


R. 3298

3
4
2
6
1
8
9
10
11
15
13
14
12
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40



DE
 PRISCA
 CAESIORVM
 GENTE
 IO. BAPTISTAE FONTEI
 PRIMIONIS
 COMMENTARIORVM
 LIBRI DVO
 CVM
 IVLII IACOBONII
 APPENDICE.

AEQVITAS

VBERITAS

R. 3218



D E
 P R I S C A
 C A E S I O R V M
 G E N T E
 I O . B A P T I S T A E F O N T E I
 P R I M I O N I S
 C O M M E N T A R I O R V M
 L I B R I D V O
 C V M
 I V L I I I A C O B O N I I
 A P P E N D I C E .

AEQVITAS

LIBERTAS



IULIVS IACOBONIUS

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. P. DONATO CAESIO

S. R. E. PRESB. CARDINALI

BONONIAE LEGATO

S. P. D.



P *VI* semper in ea sententia, ut qui inter eas virtutes, quae ceterarum summae habentur, Prudentiam primas omnino agere affirmant, & vere illi quidem dicere, & praeclare sentire videantur. nam fit saepissime, ut sublata Prudentia, pro Iustitia iniuria, pro Fortitudine feritas, pro Temperantia vel rustica parcimonia, vel taetra avaritia exerceatur. In hac porro virtute inest ratio, iudicium, circumspectio, cautio: haec quid in quaque re verissimum, ac rectissimum sit, prouidet maxime; suum quod cuique est, ut reddatur, ne cui quis officiat, praemonet; haec labores, haec pericula, ut caute suscipiantur, praecipit; animis haec moderatur, ac temperat; prauis cupiditatibus liberat: haec denique expetendarum, fugiendarumque rerum recta scientia, ac vera viuendi ars, & dici merito, & haberi potest. hoc illud Pythagoreum: SAL APPONENDVM. quod excolendam in omni vita Prudentiam, lubet explicare. Verum cum haec ipsa virtus vel sine perfecta natura, vel sine mirifico rerum plurimarum usu, comparari prorsus nequeat; cumque vel usus ipse casu aliquo praeuertatur, vel vita nos decedere ante cogamur, quam vel mediocrem rerum peritiam habeamus; recte, meo quidem animo, a doctis, ac litteratis viris consultum mortalibus est, ut scilicet, quae plures homines praeclare fecere, facta ipsi perscriberent, & in pluribus quasi tabellis, expressa hic atque illic exempla, ob omnium oculos obijcerent; ex quo homines rerum laudabilium praesidijs ad omnia muniti existerent, in dieque fieri prudentiores possent. siquidem nil aliud est nostra Prudentia, quam, quod pluribus acciderit, observatio, rerumque praesentium, ac futurarum ex praeteritis, tamquam ex aliquo

† 2 archetypo



archetypo desumpta cognitio. Haec Prudentia, quae vere tanquam Hesperus, aut Lucifer inter minor sidera, sic inter virtutes ceteras praecipua fulget, quantam omnino vim habeat, ut quamplurimas utilitates sileam, nos quotidie experimur in ijs, qui Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatumq. gubernaculis adhibentur: qui nisi diuersarum gentium, populorum, ciuiumq. mores, ritus, ac consuetudines percaleant, vix, aut ne vix quidem, hominum sibi commissorum rationibus consulere, sine prolapsione, valent. Hoc ipsum, P. DONATE CAESI, Cardinalis amplissime, ac praestantissime, cum Tu in omni vita senseris, ad incredibilem ingenij tui magnitudinem historiarum lectionem, quae vna Prudentiae magistra est, perpetuo adhibuisti. non enim Tibi tantum adrogas, atque adsumis, licet id merito possis, ut apud Te pluris sit, quod ipse egregie meditaris, quam quod alij recte fecerint, imitari. nunquam eum falli, magnopere credis, si quos sequatur, is nobiles, is virtute insignes auctores habeat. Hinc tu doctos, hinc eruditos viros amasti semper, iuisti, ornaisti: atque hoc etiam clarorum Principum, Regumq. illustrium imitatione praestas. Legisti enim Croesum illum, omnium, quos fama celebrat, ditissimum, magnopere Solonis, & Anacharsidis consuetudine delectatum: legisti Archelaum non minus ex Euripidis, quam Euripidem ex Archelai familiaritate clarum: legisti Platonem, atque Aristippum cum Dionysio; cum Hierone Pindarum; cum Philippo Aeschinem; Callisthenem cum Alexandro filio vixisse: atque ne longior sim, alios Reges, aliorum philosophorum, doctorumq. hominum domesticum usum adamasse: hinc Romae amplissima Tibi librorum congerie referta Bibliotheca est; hinc totus quotidie in prodicta litteris, aeternaeq. consignata memoriae, excellentium viro- rum laudum encomia perscrutanda incumbis; ad quorum Te normae similitudinem fingis; Tibiq. optimam viuendi rationem praescribis. Turpe sane, atque omnino foedum Principi viro, ac rempublicam capeffenti, alijsq. imperanti, esse putas, ceteros corporis ornatu, ac dignitatis splendore, domesticoq. apparatu praecedere, animi autem cultu nihil quidquam a plebeio differre. Non Tu lustra, non libidinum formas, non luxus ex historiae lectione depromis: non populorum oppres- siones, non rapinas, non damna, non tormenta, non supplicia, non varia quae- stionum, ac cruciatu genera; non denique ludentem excarnificandis homi- nibus saeuitiam, ceteraq. maleficia ex priscorum scriptorum monumentis decerpis: (hoc enim Tyrannorum est) sed voluptatum contemptum, laboris toleran- tiam, animi moderationem, munificentiam, in pauperes misericordiam, in om- nes Iustitiam; ad ceteras vero actiones summam, quam diximus, Prudentiam comparas, comparastiq. semper. quarum rerum eam de Te opinionem perpetuo concitasti, ut non modo amplissimis Ciuitatibus, Prouincijsq. illustribus, sed Re- gnis vel maximis administrandis Te dignum quisque putauerit. Quas ob res (ut tua innumerabilia facinora, quae singulari semper cum prudentia egisti, prudens nunc sciensq. praeteream) summo, ac sapientissimo vniuersae Christianae Ecclesiae Pontifici, GREGORIO, non secus ac ceteris superiorum temporum Pontificibus,

cognitus,

cognitus, è magno purpuratorum Patrum numero Legatus ab eodem delectus es, qui, fatali quadam impurorum hominum peste, per omnem fere Ecclesiasticam di- tionem grassante; turbatam in primis, & in summum paene discrimen adductam omnium, quas nunc Apostolica Sedes obtinet, splendidissimam, atq. opulentissimam Ciuitatem Bononiam, patrium ipsius Pontificis tum gratum, tum amatum solum; agrumq. Bononiensem vniuersum à perduellibus, sicarijs, parricidis, grassatori- bus defenderes, ac tuereris; atque ab omni scelerum colluione expurgares. Nec diutius Pontificis mentem sefellit euentus. vix enim ex audito huius rei nuncio, ita malorum animos timor inuasit, ut vno die mille, & amplius ex nefarijs illis, seditio- sis, ac maleficis hominibus solum vertisse visum sit. Haudquaquam diris Edictorum minis, saeuisq. Proscriptionibus opus fuit. ut enim Solis imbare exorto nebulae om- nes, caeliq. caligines euolare, atque effugere videntur, ita ipso Tuae Legationis nomine declarato, illum nebulosum, ac caliginosum flagitiosorum coetum, ac con- sociationem euolasse, atque effugisse; sibiq. voluntarium exsilium imperasse, comper- tissimum fuerit. Itaque quod alijs praesentibus, armatis militibus, multo compa- rato exercitu praestare potuisse, vix contigerat: Tu absens, Tu togatus, Tu solus praestitisti: quin etiam Tui tantum nominis fama, atque auctoritas id ipsum prae- stitit; labentibusq. rebus occurrit. Ex quo non magis Tu viribus, aut velocitate, celeritateve corporum, res magnas geri, ostendisti, quam consilio, auctoritate, atque sententia: declarastiq. simul, non minorem utilitatem ab ijs afferrì, qui rogati publi- ce praesunt, quam qui bellum gerunt. Non amplius corruptos mores, non turba- tas leges; non iura, non iudicia sublata, Te Legato, ac Conseruatore accepto, Bo- nonia queritur: non insidiae, non doli, non caedes, non manifesta adulteria, & quaecunq. impunitate proposita, nascuntur mala; quae passim Bononiae impune fieri, dum Urbem colebamus, nostrae omnium aures personabant, timentur am- plius: non amplius templa, domus, officinae, tabernae, latrorum rapinas, ac fur- ta formidant: nunc mercator, nunc negotiator, pastor; nunc agricola, viator à grassatorum vi, atque incursionibus tutus, opus quisq. laetus exercet suum. Nemo non GREGORIVM, Pontificem Maximum vidisse multum praedicat, qui tam opportuno, tam salutari remedio, in summa paene rerum procliuitate, ad ea, quae diximus, mala uti voluerit. videre ex Bononiensibus neminem est, quin sublatis in coelum manibus summam DEO OPT. MAX. gratias agat, qui talem Pontifici ipsi mentem dederit, ut tuo iustissimo, ac clementissimo imperio, atque regimini hanc iterum Ciuitatem subiecerit. Iam nunc longo post tempore reguistat Bononia Ciuitas parentem, amatorem, amplificatorem, ornatores suum; iam tuo laeta, atque hilaris recreatur adspectu: non singulas modo Bononiensium omnis sexus, atque aetatis omnis voces solidum, ac summum gaudium, Te Ciuitatem ingresso, palam protulisse, nostris nos oculis, atque auribus percepimus, sed ea, quae sensu ca- rent, tecta, ac parietes, foresq. domorum summam laetitiam declarasse: passim enim inscripti parietes cernebantur, atque etiam nunc cernuntur: PLAVDE ET

LAETARE FELSINA QVIA REVERSA EST DIES TVA. *Quid non Bononia plaudat? quid non laetetur? quid non totis sensibus exultet? quid non paene gaudio triumphet? à summis difficultatibus, vel impendenti potius exitio erepta, atque ad optatam quietem, publicamq. tranquillitatem traducta? Talem enim Te futurum esse, quisquis illa scripserat, prospiciebat, qualem esse Te magis ac magis in dies Bononia experitur. Omitto Poetarum, ac doctorum virorum ex tuo adventu declaratas, nunc carmine, nunc soluta oratione gratulationes: quorum è scriptis confici volumina queunt. Hoc virtus praestat; hoc Prudentia efficit tua, non minus ex tuo exprompto ingenio, quod nunquam indocilem vsus desideravit disciplinam, quam ex assidua historiae lectione adepta. cuius Tu studio non modo vehementer teneris, in oreq. assidue historiam habes, sed alijs quotidie historicorū scripta colenda, ac periuolutanda proponis; ad eorumq. exercitationem Tibi carissimum quemq. exemplo incitas tuo. Vnde ego, qui antea mea sponte ad historiae studium satis comotus videbar, Te tanto auctore, atque auspice, ad id ardentior factus, antequam Roma, ut te Bononiam consequeretur, ipse discederem, nullum fere diem sinebam abire, quin ex tuorū librorum immensitate, quorum Tu mihi, praeter ceteros, qui Amplitudini Tuae operam dant, copiam semper benigne fecisti, aliquid exciperem. Cunctorum me quidem lectio delectabat, nec paruo cum fructu ab eorum tractatione abibam: sed stimulis quibusdam pertentari animum meum sentiebam; idq. fere quotidie evenerat: conspiciebam enim, non sine doloris sensu, inter amplissima scriptorum volumina, tum aureis, tum conchyliatis membranulis egregie elaboratis consuta, atq. exornata, pulcherrimos in abacos exquisito artificio fabricatos, ordine nō vulgari distincta, quae spectantibus mirificum oblectamentum afferunt: unum iacere in angulo, dissolutis paene, ac discriptis paginulis; blattis, tineis, pulveriq. expositum, Ioannis Baptae, Fonteij, Commentariorum opus, DE PRISCA CAESIORVM GENTĒ: quod is partim, dum luce hae frueretur, absoluit, partim morte praereptus inchoatum reliquit. Haud me continere potui, quin Amplitudinem rogarem Tuam, hortarerq. quantum in me fuit, ne tot vigiliarum labores in tenebrarum caligine latere amplius ferret: opus sane dignum arbitratus, ut etiam nunc arbitror, si in lucem proferatur, ut & auctori ipsi, optime de CAESIIS merito, gloriosum futurum sit, & legentibus apprime utile, & Caesiorum soboli, tum praesentium, tum posterorum omnium, tam gratum, ut nihil ea re gratius, accidere unquam possit. Tu vero Princeps Amplissime, cum historiam habeas ex gentilibus tuis, non minus tuorum, arbitror, exempla cupies, quam aliena cognoscere. Illud sane stultorum proprium est, ea, quae nihil ad se attinent, perquirere; in suis autem rebus mente, atque animo peregrinari. Quid enim ineptius, quā cum domesticos fontes habeas, alienos riuulos consectari? Lubeat alijs euagari per vastos historiae campos; hac illac pererrent, ut dignitatum, ut honorum, ut virtutum, ceterorumq. tum animi, tum corporis, tum Fortunae bonorum exempla conquirant; ea Tibi gentiles tui, uno quasi loco conclusi, affatim praebent. Quis non summam rei militaris scientiam, quis non auctorita-*

tem,

tem, virtutem, adde etiam Fortunā, in M. Caesio, generis principe admiretur? quem bello aduersus Pyrrhum Tarentino, ex Scriba ad Imperatoriam maiestate uniuersi plane exercitus consensione euectum, apud ipsum Fonteium secundo, et tertio Libri primi capitibus legimus. sequitur hunc C. Caesius antiquior, Latinus Poeta, summa eruditione excultus. huic adhaeret P. Caesius, Eques Romanus, huius praenominis primus, qui domo Rauennas, nullis, ut ait ille, fauitoribus, sed bellicae rei, ac probitatis ornamentis praeditus, ita Strabonis Pompeij gratiam iniuit, ut per eum Romanam Ciuitatem adeptus, posteriq. eius omnes videantur. liceat M. Caesij, huius praenominis secundi, Praetoriam dignitatem suspicere, belli Mithridatici tempore: qui capitum ordine ad Caesium Equitem adscriptus est. Patrocinium dein, & civilem auctoritatem P. Caesij iunioris, viri grauis, eiusdemq. cum M. Cicerone amicitiam spectemus: de quo capite septimo narratio exstat. post quem aequo numero relatum cernimus, P. Caesium, P. F. Aedilem Sorae, et Romae Publicanum: cuius insignis lapidis inscriptio capite octauo habetur. neque eiusdem, ut existimare licet, P. Caesij, Liberti, obscurior memoria est, Curatoris Regionis XIII. Urbanae, ut ex vetusta marmorea Capitolina inscriptione cernitur, nono capite descripta. industriam, & sedulitatem in vectigalibus exigendis, quis non C. N. Caesij, Equitis Romani, Decumani, C. Verre in Sicilia Praetore, laudet? quod non eximiae integritatis, ac castitatis exemplum? quod in provinciali pecunia tractanda prudentiae, & fidei specimen ex Ciceronis Oratione exhibet Sextus Caesius, Eques Romanus? cuius innocentiae testimonio Cicero (appellat enim eum hominem castissimum, atque integerimum) utitur in diluendo crimine, quod L. Flacco Praetori Asiae, obijciebatur; de quo Fonteius verba capite undecimo facit. non minorem integritatem cernere est in Lucio Caesio, Q. Tulij Ciceronis comite, Asiae Proconsulis: cuius laudis capite duodecimo toto Fonteius meminit. Verum illud ponendum ante oculos est; illud saepius inculcandum exemplum, M. Caesij Scaeuae, militum C. Caesaris fortissimi, huius praedicanda, ac recensenda crebrius fortitudinis memoria est, quem virum praelio magnum, maiori disciplinae militaris fama elatum defatigasse non exigua cernimus priscorum scriptorum ingenia. Municipalem Aedilitatem, eximiumq. rerum usum indicat tertius M. Caesius, M. Tulij Ciceronis non amicus solum, sed pernecessarius; qui capite XIV. inexuperabilem spiritum, ut Valerij utar verbis, M. Caesium Scaeuam, subsequitur. huic adijcitur T. Caesij Iuris peritiae gloria, Magni illius Sulpicij auditoris, quacum Tuam Iuris prudentiae laudem confert Fonteius ipse non iniuria. hunc, ipso ordine, comitatur L. Caesius sub Augusti, ut videtur, tempus, muneri signandorum argenteorum nummum praefectus: cuius argenteus nummus ad caput sextum decimum, cum nobili ipsius encomio, delineatus adspicitur. Habemus Proconsulare Craetae, & Cyrenarum imperium Caesij Cordi: de quo Fonteius ex Taciti Annalibus historiam capite decimo septimo narrat. huic accedit bellica fortitudo, magna q. felicitas Caesij Nasciae, Praefecti Legionis, sub Imperatore Claudio: cuius de Britannis victoria capite

duodeuigesimo recensetur. Disciplinarum omnium perfecta cognitione excultum Neroniana, Galbiana, Vitelliana, Othonianaq. tempora produunt, C. Caesium Bassum, Lyricorum poetarum celeberrimum, & scriptorem grauiſſimum: de cuius scientia illustre, apud Fonteium, testimonium undeuigesimo capite apparet. Vigefimum, & vltimum primi libri caput claudit Caesij Sabini, Vmbriae ornamentum, dignitatis splendor, eiusdem cum Domitiano, & cum Iunio Plinio amicitiae coniunctio; cui Caesij Siluani commemoratio non insuavis adiuncta est. Taceo ex libro secundo honorificas Caesiorum memorias, è vetustatis monumentis depromtas: ibi Legionum Signiferos, Municipiorum Patronos, ciuitate, equo publico, alijsq. ornamentis donatos, Flamines, Sacerdotes, Annonae praefectos, Augustales, Duumuiros Quinquennales, Seuiros, Curiones, Imperatores, Prouinciarum Procuratores, Apparitionis Numerarios, Magistrum Equitum, Pontificios, Cancellarios; matronarum, lectissimarumq. feminarum stemmata amplissima; matrimonia illustria; atque innumerabiles Caesiorum bene domi forisq. gestarum laudes, non obscuris Epigrammatum praeconijs concelebratas videmus: in quibus recensendis haud longius lubet oratione progredi; ne quid ex ea Tibi voluptate praecerpam, quam, ut spero, Amplitudo tua ex Fonteio per se ipsa excipiet: quem iam iam loquentem in amplissimum doctorum virorum Theatrum induco; quando Te exorari à me passus es, ut aliquando tandem promulgetur: immo vero ut tot Caesiorum familiae, tot ex ijs Illustrissimi viri, omni virtutum genere conspicui, quorum nomina partim in scriptorum vastitate abdita, atque reclusa; partim vepribus, dumetisq. obsita, atque obducta; partim temporis caducitati subiecta fuerant, lucis simul reddantur, et prisca CAESII nouis CAESIIS longo postliminio restituantur. Illud vero hoc in opere praestitimus, ut dum id partim, amanuensum incuria, mendis quamplurimis scatebat, partim, auctoris scriptione, locis non paucis oratio subdurior videbatur, emendatius, ac dulcius legeretur. meo ipse ingenio non prorsus fretus (duras nimirum partes suscepisse se putent, qui aliena corrigere, atque emendare contendunt) adhibui peragre, ac limatulum doctissimi viri, Caroli Sigonij, iudicium. qui non pauca sane, vel addenda, vel eliminanda, vel expungenda penitus, mecum sensit. suboscurorem stylum (ut Amplitudini Tuae non semel visum est) praeclearam alioqui eruditionem, summumq. ingenij acumen habebat Fonteius. Hoc praeterea oneris libentius quoq. suscepi, ut quotquot lapides inscripti, cum Caesiorum nominibus, à Fonteio afferuntur, eos, ut tacent, delineandos, & ad ueram, quoad fieri potuit, imaginem effingendos curarim; multaq. alia, non modo ad opus ipsum exornandum, sed ad legentes labore subleuandos, in calce operis posuerim. En igitur Amplitudini Tuae Fonteij opus, typis egregijs expressum do. Sed quid dico, dare me? enimvero, quod tuum est reddo, ac restituo. Id quod perpetuae Tuae, Caesiorumq. quot sunt, quotq. post alijs erunt in annis, memoriae dicatum, DEVS faxit, ut maneat sempiternum. Vale, mearum fortunarum Patrone optime. Bononiae.

IO.



IO. BAPTISTAE FONTEII PRIMIONIS
DE PRISCA CAESIORVM GENTE
COMMENTARIORVM
PRAEFATIO

AD ILLUSTRIS. ET REVERENDISS.
D. P. DONATVM CAESIVM S. R. E.
PRESB. CARDINALEM



CAESIA domus & fuit semper eruditis, & plena fuit ipsa litterarum. Atque ego de talibus familijs Varronem legeram libros conscripsisse, & Atticum Pomponium, M. Bruti rogatu, Iunios ab stirpe ad suam aetatem enumerasse; idemque in multis alijs praestitisse: simili etiã in studio & Caesarem, & Messallam versatos fuisse. Quibus me auctoribus quodammodo obsecutum CAESI, Cardinalis praestantissime; & ipsorum secutum institutum existimabis, ut meum hoc factum probes, quod tibi non ingratisimum accidere posse iudicauit. Praeterea insignes viros hisce temporibus audiebam alios in hoc genere elaborare; alios idem facturum polliceri, quod omnibus ista familiarum periucunda esset commemoratio: & quamuis alienos magnopere delectaret: id cum animaduertentem, plane fieri posse, mecum ipse negabam, ut illa veterum gentilitatum historia mirifice plerisque caperet, ad quos nihil quicquam attineret: contra ij nihil mouerentur, quos, & nominis similitudine, & argumentis alijs persuasi, certa ortos eiusmodi aliqua stirpe opinaremur. siquidem clarissimas aliquot tempestatis huius familias fama est perpetua, & consentiens saeculis duobus spectatas: altero, quo stantibus Romanis vel Reipublicae, vel Imperij nominibus tam ortae sint insigniter, quam laudabiliter illustratae; altero, quo post Italicarum rerum commutationes, factamq. respirandi à Barbaris facultatem, vel intermortuae renasci, vel fractae redintegrari pridem coeperint; pristinaeq. vetusti nominis gloriam vindicarint. Tales Cornelios, alibi Magios, alicubi Cottas; in Latio quidem Vrsinos, Cincios, Sabellos; in Vmbris, Attios, Vitellios, Caesios. Ac sane, ne temere famam condemnemus, ut est creditu asperum, si quis se dicat oriundum, à quibus omnino appellatione differt, & credi tamen: experimur praecipue in Frangipanibus. quis enim negat ab Anicijs populi rumore perpetuo deductos: ita refelli maiores nequeunt, si qui se progeniem illorum dixerunt, quorum nomen habebant, & quia nosse generatores suos optime poterant, eorum vocabula ad nepotes transmiserunt. Patere, obsecro te, dum ostende



ostendo, quanta ratio debeat haberi nominis, quo nihil est in familijs communius: quod
que cum profertur, atque per propagationem agnoscitur, rite dicitur profapia. Quo-
niam igitur praedicatur nominis similitudo probabilissima, eaque in praesentibus est,
& in antiquis: colligo praesentibus, verbi gratia, Cincijs, Sabellis, Caesijs, atque alijs hu-
iusmodi, primam cum antiquis nominis esse societatem; inter quos autem nomen, inter
eosdem etiam gentilitatem usurpari: quae cum sit agnatio, agnatione quoque consocia-
tos praesentes cum veteribus putandos. Inter quos porro sit vinculum agnationis, inter
eos etiam familiae coniunctionem, famae communicationem esse: quibus autem huius-
modi sunt inter eos communia, & stirpis eiusdem haberi, eumq. alios ab alijs gigni oport-
uerit, multo verius ab ijs, quibus sunt appellatione similes esse procreatos. Ac propterea,
quod ad nomen attinet, si Vitellij, si Caesij, atque omnino reliqui eiusmodi, veterum
agnatione aliquorum tenentur: Vitelliorum, Caesiorum, id est, suorum gente teneri; si
nominis imago honestanda commemorando sit, propriam, non aliam praeter Vitel-
liam, Caesiam, hoc est suam repraesentari debere. Sed praeter nomen, sunt sua deinceps
quibusq. familijs argumenta. Vobis duo maxima, atque imprimis egregia: perpetua, & so-
li communio, & studiorum similitudo. Ex scriptorum, & ex lapidum monumentis quam-
plurimis obseruamus, veteres Caesios Municipia in Vmbris, ac vicinia habuisse; in Vm-
bris ius dixisse, matrimonia contraxisse; praedia, villas, fundos possedisse; vobis quoque
in veterum vestigij incunabula vestra sortitis, ne dubitemus, quin ex Caesijs sint Caesij
proferminati. Patrimonia, bona, hereditates in antiquorum ipsis agris sint positae, ne sci-
licet quibus eadem est germana patria, diuersa putetur stirpis origo. Multi excellentes vi-
ri, vel eo solo, quod ex eodem municipio essent, aliquos in maioribus suis numerarunt,
tanti est communis vel natalium sedes, vel possessionum. Veruntamen vincet, opinor,
nominis, & patriae communionem, aut potius addiuuabit ipsa in praesenti, & in atiqua
familia constans & morum, & studiorum similitudo. Protulit antiqua, praeter strenuos
aliquot, insignesq. militares, longe maxima ex parte viros, qui leges callere, ius dicere, de
iuris prudentia scribere, consuli; Praeturis, Sacerdotiis, ac Ciuilibus muneribus omnibus
in Repub. fungi voluerunt: vt sit verissimum, quod est à M. Cicerone traditum; & à multis
obseruatum: qua in familia laus aliqua forte floruerit, hanc fere, qui sunt eius stirpis, cu-
pidissime prosequi. Non igitur mirabor posteris Caesijs accidisse, tanquam ingeneratum
à stirpe generis, ac feminis, vt nonnullos quidem bellicosos viros, reliquos tamen ha-
buerit propemodum omnes, qui eandem laudis viam rectissimam duxerunt, quam tri-
tissimam Prisci reliquerant: eosdem libenter auctores studiorum secuti sunt, quos prae-
cellentissimos generis habuerant: nimirum & honoribus tam Vrbanis, quam Prouin-
cialibus gerendis, & iisdem doctrinae, legumq. peritiae vestigijs, cum monumento nomi-
nis persequendis: quo profecto studio nihil aptius, nihil existare accommodatius potest
ad veram probandam posteritatem. Quamquam non ego, si de nulla domo coniunctio
huiuscemodi veterum, & praesentium creditur, vestram vnam esse eximiam cupio. Sin
magnis tributa venia semper fuit familijs, vt sese cum antiquis commiscendo, initia sua il-
lustriora facerent, intelliget, qui volet, paucis veniam maiorem, quam Caesiae deberi. In
qua ego valde libenter feci, vt quae hactenus nemo concinnasset, nec esset vnde cupidi rea-
rum harum exciperent, quaeq. ad te, Patrone, pertinerent, colligerem. neque enim ab an-
tiquis peti possunt, quorum, quae scripta fuerant de familijs, perierunt: neque, quod ha-
ctenus sciam, ab hominibus nostrae aetatis, qui cum de multis aliquid conscripserint, de
multis vel labore inuestigandi deterriti, vel negligenti aliqua opinione inducti tacuerunt.

sic

sic egi de Caesijs, vt suppeditaturi sint hi Libelli, tamquam è Censorijs illis voluminibus,
ne dicam Thesauris, quantum nominum ad eam celebrandam satis est. Nec vero fuit,
cui tale argumentum proponeret antiquitatis amor, labor in alia familia suscipiendus,
quam in Caesia, in qua & Priscorum tanta dignitas, tantus est numerus, vt meruisse vi-
deantur, qui vnum in locum componerentur: & posteriorum tam non contemnenda
laus, vt ea nepotibus, & ceteris deinceps ex stirpe prodi debuerit. Nam ista vestra recen-
tia, quamquam magna, quamquam multa, quis dubitet, quin ad centum annos partim
obscura, partim nulla sint futura, nisi memoriae litterarum consecrentur. Recentia voco,
quot supersunt, qui ex vestra familia viderint nouies Episcopos creatos, tres in Cardi-
natum ordinem amplissimum adscitos, quatuor Pontificalis Aerarij Decem viros, tres
vrbis Romae Senatores, quatuor summi purpurati Senatus Aduocatos, denique supra
quindecim Iure consultos, qui multis muneribus, ac magistratibus floruerunt: vt bellicos
ipso Duces; vt affinitates, quibus estis omnem nobilitatem complexi; vt Comitum, ac
Marchionum titulos, reliquaq. ornamenta praeteream; quantam enim obliuionem tem-
pus afferat, exemplis domesticis didicistis. ante trecentos, ac plures annos è maioribus
vestris alij Flaminiae totius pro Pontifice iudicijs praefuerunt, alij patriam, & Vilm-
briam regionem vicario Imperio tenuerunt; alij consilio, manu, praestantes ab Impera-
toribus ornati saepius fuerunt. huiusmodi tamen, & alia in Tabularijs variarum ciuita-
tum aegre viuunt: in Actis municipalibus, & auitis Testamentis delitescunt, quaeq. erant
sua tempestate clarissima, nunc è tenebris eruta vix agnoscantur. Neque vero tam mi-
serum est, omnino numquam existisse, neque tam turpe obscurum fuisse, quam est indi-
gnum, cum illustri vixeris, ignorari. Sed quoniam de Caesijs omnibus duas feci partes:
alteram, in qua veteres excitauit, alteram in qua posteros repraesentare in animo est. par-
tis huius primae, quam perpetratae do, & donoq. tibi, Patrone amplissime, hinc iam ab
initio rationes exponendas arbitror. Ergo cum auctorum locos de Caesijs multos, vt
nouos probari, vt obscuros illustrari, vt oppugnatos defendi, res moneret: opportune
rem litterariam, quam semper amasti, iuuat propositum sic scribendi. Et cum neque vul-
gata, neque ab alijs tradita, sed primus à me conquisita, & inuenta conferrem; non debui
aut tractare simpliciter ea, aut narrare breuiter, sed necesse habui, vt crederentur, atque
intelligerentur, quae abdita essent, diligenter explicare; quae dubia, explore confirmate.
Neque vero omnia arripui, quae statim pro Caesijs facere viderentur. Nam quod vetera
publice descripta exemplaria multa habent Caesium, pro eo, qui Quaestor Craesi à Par-
this militum partem eripuit, non admitto: cum alibi quoque iisdem nunc non Caesij,
nunc Caesij esse dicuntur, quoniam nihil priuatim eruditius est, cur hos malim, quam
illos, praetereo. Sed quos certo in aliqua aetatum memoria existisse comperio, non exor-
nare libentius institui, quam curiosius commemorando, qui quanti fuissent, demonstrare.
Opinor exemplo esse posse, quod principio in M. Caesij commentario praestiti: Nam
vt Simonides, Poeta antiquissimus, quippe M. huius Caesij aequalis, fuisse demonstrator
fertur vnus cuiusq. amicorum, quos aedium ruina oppressos apud hospitem, humare sui
cuperent, sed obritos internoscere non possent, sic cupienti M. Caesij non tam amicos,
quam res gestas saeculorum casibus oppressas, sparsas, ac dissipatas colligere, non sane,
vt sepelirem, potius, sed vt diu sepultas eruerem, erutas componerem compositarum me-
moriam, atque imaginem mihi, ceterisq. proponerem; ipse me M. Caesius, alter Simo-
nides, non vt vnus ex obritis, sed tristi monumentorum suorum, & Annalium ruinae
subductus, docuit ordinem, quem in reliquijs tenerem inueniendis, ac collocandis. Ve-

terem

terem suam Campanam patriam in XII. Epitome Liuij, & XIII. indicauit, Ciuitatem Romanam, alteram patriam in scriptoribus suis, qui exstant, omnibus: Nomen, munus, ac dignitatem in Valerij Maximi secundo libro: innocentiam in Liuiana, Scipionis, aduersus seditiosos milites concione; gesti muneris auctoritatem in Polybij, auctoris optimi, principio: fortitudinem in Plutarchae Pyrrhi vita, & Zonarae historia: honestum de se testimonium in Sex. Iulij Frontini tertio: praeclaram aduersus obtrectatores defensionem in Strabonis sexto volumine; defensionis probationem in Claudij Aeliani varia historia: multa praeterea in Orosio, Iornande, Eutropio, Paulo: aliqua in Pausania; nonnulla in Iustino commonstrauit. ex quibus omnibus, & alijs M. Caesij, ab vno dumtaxat nominati, res proprias deprompsi, quae maxime me specie mouebant veritatis. Quid enim fuit, nisi in hoc genere elaborassem, vt dissipata apud multos, apud neminem vnum temporis illius cognitione continuata corrogarem. Ita feci in plerisque omnibus, vt quos historiae dabant, historiae lumen ijs accenderem: quos Grammatici, Oratores, Poetae, subministrarent, ita proponerem, vt quae ad sensum, & perspicuitatem pertinebant auctorum, qui Caesij alicuius mentionem litteris consignarant, ea dilucide, atque accurate circumscriberem, ac quasi gradus quosdam ad cetera intelligenda constituerem. Cur porro vnum in locum, & caput omnia non conluserim, & ratio apparet ex superioribus, & fuit haec veterum Caesiorum haud obscura quaedam voluntas: qui quoniam non communibus tantum muneribus, verum proprijs etiam industriae se, virtutisq. laudibus ornatos voluerunt, iccirco parua potius modo peculiari suorum singulorum ornamentorum parte, quam promiscue omnes omnibus frui maluerunt; praeterea tot rerum, ac nominum, vel coarctata vno in angulo coniunctio fuit vitanda propter confusionem; vel non distincta vno in campo expositio fugienda, propter prolixitatem: & diuersorum sequendus fuit ordo temporum; & diuersis ex auctoribus petiti diuersi Caesij, diuerso loco listi; & litterati litterate, & militares gloriose, & describi reliqui pro ipsorum, aut perfecte, aut imperfecte accepta notitia debuerunt. Atque haec de ijs, quos scriptores nobis suppeditarunt. quos autem, & lapides, & nummi argentei, & aeneae tabulae prodiderunt; quis puter, aut minus distincte, quam primos, aut minus copiose litteris debuisse commendari? qui modo videat omnino necessarium fuisse, notas exponere, tempora inscriptionum conijcere, loquendi formas obseruare, de iure militiae, Legionum numero, antiqua consuetudine, honoribus Urbanis, Municipalibus, quaeq. postulabat, differere? Ad haec eadem praenomina coniungere, cognominum rationes, ac similitudines afferre: testimonia lapidum, & auctorum recitare, sine quibus omnia vel incerta, vel obscurissima fuissent. Sunt igitur huiusmodi causae, quibus, & separatim, & pluribus verbis de Caesijs veteribus agendum existimaui.



IO. BA-

DE PRISCA CAESIORVM GENTE



IO. BAPTISTAE FONTEII
PRIMIONIS
COMMENTARIORVM
LIBER PRIMVS



DE NOMINE, ORIGINE, STATVQVE
PRISCAE CAESIORVM GENTIS
CAPVT PRIMVM



VE MADMODVM à Caesijs antiquis origo petitur praesentium, sic antiquorum originem fuisse aliquam oportuit, quam inuestigabimus. Ad nomen quod pertinet, Caesia potuit olim Gens declinari ex vocabulis multis. vnum videtur caedo, aliud caelum, atque is caeli color, qui Graecorum lingua glaucus, Latine caesius appellatur; Caesius nobilis fluvius è monte Tauro, & legitur Caesium litus in Corsica; sunt Caesiae silvae; scribuntur Caesi populi, & aliquot villae Caesiae; & Caesae, Caesiumue oppidum; existit & Caesus viri principis nomen. Quae omnia, vt quae stioni conueniant, sunt vocum eodem initio, & ratione ad hominem nominandum apta; praeterea & caesa Punicum vocabulum; & caesus matris vterus; & quaecunque causa pro Caesonibus, Caesaribus, Caesenijs, dici potest, nihil impedit, quo minus sit Caesij communis; à quibus analogiae vi deductos sentio cum alios, tum in primis Caesinos, Caesianos, Caesidios. ex vocabulis omnibus, si proponere omnia per statutum scribendi modum licitum esset, si quis roget, à quonam maxime Caesios existimem, ab eo, quod est viri nomen, respondeo: propterea quod cum ipsi consuetudini vehementer est consentaneum, tum iudicio, atque doctrina praestantibus viris magis probatum iri conijcio. Constitit enim similis causa vbique gentium, & terrarum à nomine insignis cuiuspiam viri; tanquam à principe generis, stirpes nominandi.

A

De qua

De qua si valde bene existimamus, friuola illa videbuntur, quae de caedendi verbo dicuntur. at quomodo ab Orientis fluuio Caesius Romanus nomen accepit, quo tempore nondum extra Italiam arma Romani mouerant? quod itidem sentio de Caesis populis, longissime versus Indos remotis. quae porro ratio fuit denominandae familiae Caesio litori, filiusue Caesij? tum Caesium oppidum, ac Caesias villas, quis ostendet, ijs temporibus fuisse potius, quam post multas aetates ab ipsis Caesijs conditas? Quod, si uti volunt, caelius color, idem est cum Caesio, ne à colore quidem impositum nomen putarim: cum multi fuerint Caelij, quos ab eo colore dictos suspicari possemus. Deinde ex dijs, locis, oppidis, montibus, coloribus, fluuijs, populis, factis ali- quibus cognomenta saepius familijs, quam nomina deducta, constat. Ab hominum vero nuncupationibus plerasque omnes, praesertim insignes, familias vocatas obscurum non est. Idque tam in ijs, quae Troianae dicebantur, vt Atij ab Ati, Cloelij à Cloele, Cluentij à Cloanto, Sergij à Sergesto, quam in reliquis: puta in Latinis Metilij à Metio, Seruilij à Seruio: in Sabinis Pomponij à Pompono, Claudij à Clauso: in Romanis Romulij, & Tullij à Romulo, & Tullo Regibus. Quando igitur gloriari de generis principe, vnde nomen traxissent, Romanae familiae consueuerant; atque ita, vt praeter alios, quos praetereo: & Iulum Iulij, Aeneae filium, & Antonem Antonij, Hercule factum, & Aemilum Aemilij Ascanij fratrem, & Lamum Lamiae Formiarum conditorem, & Caemem Caelij Etruscum ducem, auctores suos stirpis, ac nominis asseuerarint: age videamus & quem Caesium Caesij habuerint, vnde se ortos, ac nominatos dolere non possint. Non habeo Aeneae comitem vllum commemorare. Neminem quidem legi potiore, quamuis studio se veterum monumenta obseruarim, cuius retineri nomen, ac reminisci debuerint posterij, quam Caesium illum, Temeni filium primum, ex Heraclidis iure hereditario Regem Argiuorum, de quo differit Pausanias, egregie ille quidem, sed sine Satyro tamen, ac Diodoro Siculo explicare, quantum opus habeo, non possum. Vnum hoc, quod de antiquae Caesiae Gentis origine necessario dicendum videtur, absoluiam: deinceps ad Caesiorum res alias aggrediar. Hylus Herculis filiorum clarissimus, post obitum parentis, cum apud Regem Trachiniorum Ceycem, paternum hospitem educaretur, persequente capitali hoste Eurystheo, Athenas cum fratribus abiit, Thesijque opibus adiutus, proelio commisso, Eurystheum interfecit. cui cum Atreus successisset, atque ingentem exercitum contra Herculis filios comparasset, Hylus hostem, quicumque is esset, ad certamen singulare prouocauit, ea lege, vt victor ipse cum fratribus Eurysthei regno potiretur; sin vinceretur, excederent Peloponneso Herculis liberi: neque eam liceret ijs intra annos quinquaginta repetere. Occisus Hylus ab Rege Tegeatarum, extorres acti, tum reliqui fratres, tum filius Hyli Cleodaeus, & ex Cleodaeo Aristomachus nepos: huius

huius liberi tres Cresphontes, Temenus, Aristodemus. post exilij tempus, auxiliante Doriensium manu Messenen, Argos, Sparten, ciectis earum Regibus, receperunt. re ad sortem reuocata, Cresphonti Messene, Temeno Argi, Sparta duobus Aristodemi liberis obtigit. Temeni filiorum maximus natus Caesus, Argis regnavit, anno post captam Troiam centesimo vigesimo, pluribus ante Romam conditam. At Argiuos tradit Pausanias cum iam inde ab initio, libertatis desiderio, coepissent ita viuere, vt vellent, regiam potestatem tot terminis circumscripsisse, vt Caesi liberis, eiusque posteris, vix aliud, quam Regis nomen relinquerent: quos ad extremum Regno spoliatos commemorat, atque ciectos. Erat tum Graecis tam Principibus, quam populis afflictis fugae portus tutissimus in Italia, & subsidium salutis in his ciuitatibus, quae dicebantur Magnae Graeciae. Quin neque antea vquam, neque post desitum fuit a Graecis hominibus aequae ac barbaris, quacunque de causa, Italiam peti. Quamobrem vel Heraclidis, vt Solinus ait, Tarentum fundantibus, vel Argiuis Phaliscam, Phalerios, Tibur, ac Fesceniam condentibus, vel Graecis alijs Locros Crotonem, & reliquas colonias in Italiam deducuntibus. quibus temporibus obseruo, Reges Argis esse desisse, profugos Caesi nepotes, ac sedem in Italia quaerentes, nihil vetat iure sanguinis, claritatis, nobilitatisue gratia dici Caesios obtinuisse. Quin omnino antea necesse fuerat Caeso oriundos iccirco vel Caesios, vel Caesidas nuncupari, vt a posteritate distinguerentur, tam fratrum, quos Caesus multos habuit, quam Deiphontis Temeni generi, qui sibi Regnum Argiuum vindicabat: sic à Caesi patruelibus apud Messenios Aepytijs, & Aepytidae: apud Spartanos Agidae, Euripontei, & Eurypontidae cognominati. Quis autem non tam à Caeso Rege ipso, quam ab eius, & maiorum, & posterorum serie nominatas familias planissime docet, ac confirmat? Non ne praecipuus ex omnibus, Satyrus antiquissimus auctor, qui historiam composuit familiarum Alexandrinarum (mitto, quod Satyrum praeter alios laudat Theophilus insignis scriptor, ac Sextus Antiochiae Episcopus, secundo ad Autolyicum libro, compluribus Satyri verbis recitatis) diserte Caesi stemmate ab origine in gradum vicesimum deducto ostendit simul, ac nominat Altheiam ab Althea Caesi tritauia materna, Ariadniam ab Ariadna, quae, vt inquit, vxor fuit Bacchi, Eunisiam, Thoantiam, Staphyliam, ab Eunoe, Thoante, Staphylo, Bacchi filio, Caesi tritauo materno, à quo Tribus ipsa Dionysia: in qua hae familiae censebantur. Atque vt vetustiores praeteream, Maroniam stirpem trahit à Marone; Caesi filium Maronem fuisse narrat: Thesiam à Thesio Caesi itidem ex Marone filio. Sic eas, quas exstare etiam sua aetate Theophilus commemorat, Iouiam ab Ioue quodam Caesi tritauo paterno; Apolloniam ab Apolline, Neptuniam à Neptuno, plurimasque alias, quas è genere eodem tradit nuncupatas. Apparet igitur, cum ex Caesi stemmate tot gentilitates



tilitates ductas rettulerit, aliasque plurimas denominatas affirmarit; inter illas facillime censerī posse Romanas, quae ab Argiuis viris principibus Romam venientibus, sedemque ibi propriam vindicantibus ortum habuerunt: fauet enim huic origini Caesiorum Varro, cum refert: Argeorum sacraria in septem, & viginti partes Urbis Romae fuisse disposita; & Argeos dictos à principibus Argiuis, qui Romam venerunt, & in Saturnia subsederunt. Festus item Pōpeius, ex Verrio Flacco, siue Paullus, Argeos loca Romae appellata refert, quod in his sepulti essent quidā Argiuorum illustres viri. qui autem illustriores, quam qui à Caesi Argiui regia stirpe nomen, ac laudem in urbem nouam deducebant? addit idem Varro Suburrā primam Argeorum esse regionem, atque hanc dici quoque Succusam, vnde tribus Succusana: ex qua cum plures ego Caesios repperi, Vespasiani temporibus, ad statuam ponendam aēs contulisse. Ergo si auctōribus Diodoro, Pausania, Varrone, Pompeio, Satyro, Caesus Argiuis imperauit; Caesi posterī Argiuorum principatu deiecti sunt: Argiui principes & in Italia colonias instituerunt, & Romam venerunt: partemque Urbis occupatam, & Tribum, & sacrificia denominarunt. Caesi genus tam maiorum, quā posterorum vocabulis familias, ac gentilitates constituit, atque appellauit. Non iniuria quae Romanae, ac Latinae familiae similitudinem cum Argiuorum principum nominibus habent, eae pro consuetudine initium inde traxisse perhibentur: quales Temenij ab Temeno, Caesi patre; Caesij ab Caeso rege ipso, Marones, in quibus Virgilij, à Marone, Caesi filio: & forte Tettij ab Tettio, Caesi nepote: sane Tettios Caesios in vetustis inscriptionibus coniunctos habemus: Acatii ab Acoo, Caesi pronepote. est verò Acutia Caesia in Brixiano antiquo epigrammate: Caronij à Carono Caeside, Acoi nepote: Coenij à Coeno, Acoi pronepote: Philippij, in quibus Marcij, à Philippo Caeside, Coeni pronepote: Alcetij ab Alceta, Coeni adnepote: quod item senior Alciatus obseruarat: Bocrij à Bocro Alcetae ipsius nepote. Et si quae aliae tam in libris, quam in vetustis monumentis familiae ad Caesi stemmatis vocabula referuntur: quae omnia constare arbitror. ac Fabios Fouo, Herculis filio fabuloso, prognatos, qui tradidit, eum non libenter opinor negaturum à Caeso Caesios. Certe commodius Caesij à Caeso, & facilius, quam Fabij à Fouo denominantur; & quam aut Geganj à Troiano Gya; aut Memmij à Mnestheo; aut Valerij à Volufo. Sed haec de priscorum Caesiorum prisca origine. in qua licet abunde mihi suppetant, de quibus disputem; tamen vndecunque tandem trahatur, nunquam tantum referre vim nominis, ac dignitatem duxi, vt in eo longe cuiquam volitandum, aut vltra coniecturas progrediendum existimam. Quod superest de Caesia antiqua familia in vniuersum haec proponenda puto, ac quasi per indicem demonstranda, fuisse eam Romae perhonoratam, praenominibus vsam esse Publij, Marci, Caij, Quincti, Lucij, Titi

fre-

frequentissime; minus saepe alijs: cognominibus, Cordi, Naficae, Bafsi, Sabini, Bafiani, Ingenui, Magni, Taurini, Aequidici, Marciani, Balbini, Nigri, Valentis, Asiatici, Fontinalis, Agrippae, Prisci, Celeris, Romani, Clementis, atque alijs prope triginta; praeter ea, quae feminis, matronis ingenuis, honestis adiuncta reperiuntur: cuiusmodi sunt Seuerae, Secundae, Gemellae, Victricis, Sabinae, Veroniae, Casianae, Victoriae, Acutiae, Fuscae, Priscillae, Inuentianae. Munera vero, & functiones variae Caesiorum, ac permultae ad memoriam notatae sunt, multisque locis commendatae. etenim Caesios Pontifices, Flamines, Sacerdotes publicos, Augustales, Curiones minores, Sextum viros Flauiales, ac vota soluentes inuenimus; & in bellicis rebus, Classarios eos, ac Signiferos, Centuriones, Tribunos, Magistros equitum, apparitionis, Scribas legionum, Praefectos, Imperatores, Legatos, ac multorum stipendiorum milites, tam in libris, quam in lapidibus deprehendemus. Quod si ciuiles adibimus, ibi vero ingentem numerum reperiemus: nempe Duumuiros iuridicundo, Duumuiros Quinquennialcios, Iudices ex decurijs, ex publicis admisionibus Decuriones, Praefectos Annonae, siue Annonarios, Consulares, Triumuiros Monetales, Seuiros, Curatores Regionum, Patronos municipiorum, Proconsules; aliquot Aediles tam vrbanos, quam municipales; nonnullos Praetores, ac Consules, postremo ex priuatis Comites Praetorum, Publicanos, Decumanos, Poetas, Iurisconsultos, Equites Romanos, Senatores, omnibus disciplinis eruditos scriptores. Iam si affinitates, ac necessitudines Caesiorum considerabimus, occurrent affines Apirij, Fufidij, Suetonij, Minicij: necessarii etiam Tullij Cicerones. praeterea propter vxores Caesiorum, Naronij, Casij, Furij, Vlpj, Iulij, Silij, Grati, Tamudij, Seruilij, Aegrilij, Tullij, atque alij: denique propter maritos Caesiarum, Saluij, Postumij, Betucij, Septimij, Aelij, Racellij, Ceionij: sicut propter adoptiones, Cestij, Balbini, Vibij, Apronij, Tettij, Iuuentij, Largij, Nanneij. Tribus vero has Caesij praecipuas habuerunt, Romiliam, Pupiniam, Papiriam, Terentinam, Sabatinam, siue Tromentinam, Pobliliam, Palatinam, Succusanam, Sergiam. Loca vero terrarum, in quibus versatos esse Caesios, vel auctorum, vel lapidum monumenta testantur, sunt Sicilia, Cyrene, Creta, Gallia, Britannia, Germania, Mesopotamia, Asia, Moesia, Pannonia, Hispania, Vmbria, Tuscia, Sabini: Ciuitates, Amida, Apamea, Amestratum, Rhegium, Arpinum, Misenum, Manilianum, Sora, Fufidianum. At vero vrbes, & oppida in quibus adhuc lapides Caesiorum exstant, Luceria, Neapolis, Venafrum, Amiternum, siue Aquila, Tudertum, Nursia, Ameria, Praeneste, Cosparia, Orbitum, Salsina, Rauenna, Ferraria, Gambarā, Brixia, Laus Pompeia, Comum, Cremona, Mantua, Verona, Maternum, Strata, Patauium, Venetiae, Opitergium, Tragurium, Poetouio, Narbonensis ager, Hispalis: Romae aedes D. Georgij ad velabrū, D. Paulli via Ostiensi, D. Sebastiani via Appia, Capito-

A 3 lium,

lium, via Latina, horti Auentini Maximorum, domus item praecipuae Pauli Bubali, Hieronymi Alterij, Laurentij Particappae, Iulij Porcarii, Paulli Pini, cubicula, & horti Caesiorum. Pro quibus omnibus testimonia suppetunt, descripta ipsa fideliter ex archetypis; siue bases, ac columnae marmoreae sint, siue lapides alii, siue nummi argentei, siue aeneae tabulae. Neque vero non temporum nominatim aetates certae notantur, quibus vixisse Caesios significatum est: vt anni Reipublicae temporibus post urbem conditam quadringentesimus septuagesimus, sexcentessimus tertius, DC septuagesimus septimus, DC octuagesimus, DC nonagesimus, DC nonagesimus quartus, septingentesimus sextus. Deinceps sub certis principatibus, vt Augusti, Tiberij, Caligulae, Claudii, Neronis, Vespasianorum, Traiani, Hadriani, Pertinacis, Septimij Seueri, Gallieni, & Valeriani Constantij, demum vsque ad Desiderium Regem Longobardorum. nam coniectura sub ceteris etiam Imperatoribus vixerunt: neque enim posteriores sine prioribus, neque liberi sine parentibus esse potuerunt. Et satis est magna multitudo Caesiorum, quorum non est aetas distincta Consulibus, & Imperatoribus. Qui vero ex veteribus scriptoribus nominatim Caesiorum meminerunt, illustres sunt, M. Tullius Cicero, Cornelius Tacitus, Q. Cornificius, Valerius Catullus, Valerius Maximus, Valerius Martialis, Fabius Quintilianus, P. Ouidius, Suetonius Tranquillus, Plutarchus, Caecilius Plinius, Arnobius Afer, Terentianus, Rufinus, Marcellinus Amianus, Pomponius I.C. siue Tribonianus, Diomedes, Priscianus, Cornutus, siue Probus, atq; alij. nam plures omitto, qui duntaxat designarunt, & vt fugiam fatietatem, amplius viginti auctores aetatis, auorum, & proauorum nostrorum praetereo, ac nostrae quoque, quamquam multi sunt, nullum hoc loco nomino. Haec de veteribus plusquam centum quinquaginta Caesijs ab eorum vltima origine vsque ad deuictos omnino Longobardos.

DE M. CAESIO, SCRIBA, ATQVE

Imperatore Legionis Campanae.

Caput II

MARCVS hic Caesius primus est, quem exstet, vt opinor, & de quo sit memoriae proditum, ex Caesia familia profectum, & deinceps ad exemplum commemoratum. cuius cum fortunae, tum nominis est auctor Valerius Maximus. quamquam de fortuna etiam alij meminere. Nomen, nisi vnius esset Valerij testimonio cognitum, id vetustas, vt aliorum minime paucorum, obliuione obruisset. Incurrit Caesij huius laus in sanctissima ea tempora, quibus Romana virtus Curij, Fabricijque

abricijque nomine recreabatur: Graeca vero maxime omnium Pyrrhi, qui fere vicesimus ab altero Pyrrho, Achillis filio, primus siue Graecorum, siue transmarinorum bellum Romanis intulit: in Caesij aetatem ad omnia militiae, pacisque munia obeunda accommodatam incidit, & bellum Tarentinum, & quae inter huius exitum, ac Punici primi initium contigerunt. Nam eum, neque ante indictum Tarentinum quicquam egisse, neque post susceptum Punicum vixisse, contendam. Hoc intervallum annorum non fuit vel amplius decem & octo, vel minus septemdecim: quod anno Romani post urbem conditam quadringentesimo septuagesimo cum Tarentinis, quadringentesimo octuagesimo nono cum Chartaginensibus bellum gerere coeperint; cuius tempestatis cum paullo etiam inferiori, cumque adeo particula superioris, historia omnis, quae perfecta, atque absoluta a summis viris condita fuerat, interijt. Quamobrem quo manifestius, quae sunt afferenda de M. Caesio, deprehendantur, explicabo, quam potero, ea breuissimo, ad quorum rationes illius quam proxime accedunt. Erat aemula Romano Imperij Tarentina ciuitas; rebus illius secundis non obscuram animis ac gratitudinem susceperat, laeserat clam, quibuscunque rebus potuerat. denique classem Romanorum nihil hostile metuentem praefecto, & militibus interfectis captam, direptamque in portum suum coegerat, missos ad res repetendas, & exoptulandum de iniurijs legatos, male dimiserat acceptos. His causis permotum Senatum, Populumque Romanum reperio arma, & exercitus Tarentinis denunciasse; breuique effecisse, vt hostes maxime sibi conficij; quam minus essent in campo virium, & facultatis ad repugnandum habituri, confugerent ad externas opes, ac Pyrrhi in primis enixissime per oratores implorandas. Rex potens, ac generosus nullum supplicem non putabat leuandum; prior etiam beneficio fuerat prouocatus, quod ei Corcyram occupanti Tarentini subsidio venerant. Nec dubitabat gloriae cupidissimus, quin ipse, cuius genus esset ex Pyrrho, qui Troianos quondam euerisset, vincere posset Troianorum coloniam Romanos. Late vero regnandi cum primis, & bellandi desiderio incensum inflammabat recens Magni affinis Alexandri memoria, qui Orientis opes habuerat; eodem studio Occidentem sibi inuadendum, vicinam prius Italiam, Siciliam deinde, Africamque sibi destinabat. Incredibili igitur belli apparatu, magna vi pecuniae, militum, nauium, Elephantorum comparata, profectionem in Italiam edixit. Fama Rhegini tanti exercitus Ionium transmittentis perterriti, trepidis rebus, Populi Romani praesidium petiuerunt. Urbem ij, & agrum a Siculo fracto ad ortum colebant, expositum primis non Pyrrhi modo conatibus, vt eum repentinis etiam Chartaginensium, a quibus quoniam mare tenebatur, perpetuo sibi metuendum iudicabant. Quo tempore e Republica visum est, vt praesidium petentibus socijs praeponeretur legio cum duce D. Iubellio, &

Scriba

Scriba M. Caesio: hoc ipso, quem videri mihi dixi antiquissimum ex Caesij in litterarum monumentis occurrere; cuius fidei tabulas publicas, periculaque magistratus Respublica commisit. Neque festinanter assentior Pausaniae, extollenti Pyrrhi celeritatem, qua & veniens latuerit Romanos; & pugnant nec opinantes adortus sit; aliter reliqui scriptores docent; aliter ratio; & preces ipsae Rheginorum; qui quoniam se fluctus copiarum Regis ab Epeiro in Italiam aduentantibus haud ferre sua vi posse praedicerent; eam, quam dixi, Iubellij, & Caesij legionem impetrarunt, quam octauam quidam dixerunt. Ipse non memini frequenter me legere certum ea tempestate vel numerum, vel nomen legionum Populi Romani, quale fuit deinceps, & extremis Reipub. temporibus, & post amissam libertatem. Iornandes quidem aliam eorum quoque temporum legionem quartam appellat; & constat ex T. Liuij libro nono, ante Punica bella in omni defectione sociorum non plures decem scriptas legiones. Campanam vero eandem duobus in locis vocat epitome; reliqui videntur ex ciuibus Romanis collectam significare. Eam ego, quamquam, quia Capuae hybernare solita esset, Campana dici legio potuit, tamen ortu vere Campanam fuisse existimo: quod Strabo Rhegij illud praesidium Campanum vocat, & nomen Tribuni D. Iubellij Polybius duxit Campanum. Perottus mendosorem codicem fortasse nactus, duos ex vno faciens Decium, & Campanum duces vertit; quem vnum in Graeco Vaticano exemplari manuscripto, atque alijs emendate legi. D. autem Iubellium, qui rursus vitio librarium apud Valerium Maximum corruptus in Bubellium transuerat, Capuae natum, vix sinit dubitare celebre facinus illud Taureae Iubellij Campani, qui capta à Romanis patria, grauisimeque in poenam defectionis ad Annibalem multata, ante Fuluium victorem elato animo mortem sibi consciiuit. Ceterum Romanorum ciuium eam legionem fuisse, non dubium est; & quia legionarium militem non nisi ciuem Romanum stipendia olim fecisse, didicimus, & quia ante annos quinquaginta, vt auctor Velleius est, data ciuitas Campanis, Sp. Postumio Albino, Ti. Veturio Caluino Coss. data alias Sabinis, multisque Municipijs fuerat; deductae item complures in Latium, in Campaniam; proximisque populos coloniae: vt minime mirandum sit, delectos ex ijs milites ciues Romanos appellatos. Hinc est, vt M. Caesium sine controuersia Romanum ciuem pronunciare; & ex nobilissima Italiae parte Campania oriundum arguere liceat. cui necessario tempore munus contigerit in eo ordine, qui honestissimus ab omnibus est habitus, & à quo non modo semper ad equites proximus, sed saepe ad Curules magistratus gratiosus adscensus dabatur. Eam Campanam legionem, hoc est, hominum quatuor millia, M. Caesij commilitones, refert Polybius; ingressos Rhegium fortiter per multum temporis ab acerrimis hostibus vitam, fortunas, urbem, ciuium nihil praeuaticatos defendisse, auocatos porro ab hac mente

mente vult Orosius, quod Pyrrhi vires contemplati Romani rebus diffiderent, quasi, opinor, aequius putarint, quando patriae res alibi ruerent, (vicit enim saepe Romanos Pyrrhus) se, qui laboribus, vulneribusque suis hostiles copias arcuissent, urbis potestatem possidere, quam Rheginos, qui sua per se tutari non possent. Addit Polybius, accessisse exemplum, & adhortationes Mamertinorum, qui non multo ante simili opportunitate adiuti pulsus Messenij, Rheginorum propinquis, in Messanae imperium inuaserant. Alij Campani idem ad Entellam fecerant, maiores suos imitati, quos aiunt Capuam quondam his artibus oppressisse. Testatur P. Scipionis Liuiana concio, milites cum D. Iubellium Tribunum sequerentur, interfectis principibus Rheginis, eorum opibus manum attulisse, dominatumque urbis occupasse. quod factum Valerius iniustum bellum nominauit; fortasse enim acie contenderant. Quod ad M. Caesium attinet, ita se rem habere existimo; cum post id factum facinus accidisset, vt interiret Iubellius, (hoc enim ex Valerio constat, & Liuius ibidem ostendit, cum scribit, milites primum secutos D. Iubellium fuisse ad eam rem perficiendam) cum periisset, inquam, subacta ciuitate Iubellius, ac milites de habendo duce deliberarent, quem neque improvidum esse, neque negligentem oportebat, eam omnino fuisse aequitatem, peritiam, fortitudinem, benevolentiam, auctoritatem, M. Caesij, vt summo consensu Imperatorem, quod bene verteret, eum conclamerent, & exercitus, & ei gubernandae ciuitatis onus imponerent. Annis decem, si Liuium audimus, decem & septem, si Polybium, sed id postea temporum ponderibus examinabo, dico interim diutissime in potestate Campanae Legionis fuisse Rhegium. quae urbs Iubellium Tyrannum, non conseruatorem receperat: M. Caesium moderatorem ciuitatis, & custodem experiebatur. quod non ad coniecturam sensus dico, à Liuij Scipione eodem testimonium sumo, satis ostendente, quam egregie postea milites in officio duxi continerit: cum asseuerat eos, licet id facere potuissent, nec cum Pyrrho, nec cum Samnitibus, aut Lucanis hostibus Populi Romani se coniunxisse, & Rhegium fuisse commodis, bonisque moribus, tamquam coloniam, sedem perpetuam habituros, nec rem Romanam, nec socios Populi Romani vltro bello lacesituros. Id ferri acceptum summae M. Caesij ducis sapientiae, ac bonitati res ipsa cogit. Nisi volumus suspicari Pyrrhum, qui aperte Fabricio patriae prodicionem suaserat, non ausum clam ducis huius, atque legionis fidem attentare: quique interfectos in pugna milites Romanos suspirijs desiderio plenis fuerat profecutus, eum sibi viuentes hos, quorum virtutem animaduertebat, & de quibus tamquam ab Senatu alienatis sperare poterat, non exspectauisse, sed à Pyrrhi amicitia tantum Caesij milites abfuerunt, vt Regi molestiam maiorem attulerint nulli. Si quidem vera sunt, quae Polybius, ac reliqui prodiderunt; Mamertinos, quamdiu legionis huius au-

xilium habere, subsidioque vti potuerunt, non à se solum ciuitate, atque agris omnem hostium iniuriam propulsaſſe, verum Syracuſanorum etiam, & Chartagenenſium res ita fregiſſe, fortunaſq. afflixiſſe, vt & aliquot vrbes ſuo Imperio ſubiecerint, & Pyrrhum in primis de relinquenda Sicilia conſilia agitare compulerint: quem nimis magno dedecore decedere coactum, in ſula facillime parta, haud fane comiter in Italiam redeuntem, Caefiani exceperunt. Libet narrantem audire Plutarchum de Pyrrho, in quem ex Sicilia ad Italiae litus deſcendentem feciſſe ait impetum Mamertinos. ſed niſi culpa librariorum ſubeſt, Rheginos Mamertinorum ſocios intelligit. Etenim Rheginorum eſt, traijcientes ex Sicilia excipere, neque in vllos hoſtes Pyrrhus potuit citra fretum tam proximos incidere: praeterea eodem tempore Mamertinos vltra fretum ſcriptum reliquit Plutarchus Meſſanae Pyrrho diſcedenti inſultantes. Ab his igitur Pyrrhi, refert, exercitum perturbatum, Elephantos duos caeſos, complures extremi agminis oppreſſos; Regem ipſum, capite vulnerato, paene occiſum; Tarentumq. non ſine trepidatione compulſum. Zonaras confirmat, reuerſum ex Sicilia Pyrrhum, Rhegium armis obſeſſum oppugnaffe: verum & faucium ipſum, & multis incommodis acceptis, magnaq. parte militum amiſſa victum, ac proſtigatum reſceſſiſſe. Idem paulo poſt docet, Crotonem urbem ab his ipſis, qui Rhegij erant, captam, atque euerſam. Quod ſi auſpiciis in exercitu vnus fuerunt Imperatoris, & penes eum ius ſtetit dimicandi, oppugnandi, inſidias ſtruendi, milites in aciem educendi, caſtra locandi, mouendi, auxilia ſocijs ferendi; fatebimur, M. Caefij, ad quem hæc Imperij munera, & vitae, neciſq. poteſtatem detulerat conſenſus militaris, ductu, auſpicijs, ſapientia, tot res egregias, ac praeclaras geſtas; atque ei cum Rheginae urbis, tum ſociorum Mamertinorum ſalutem acceptam feremus. Nam quantum virium, auctoritatis, opis amiſerint Mamertini, deuicta legione Caefij, nihil attinet hoc loco explicare: & Polybius, ceteriq. ſatis praedicarunt, & res ipſa deinceps declarauit; cum vndique à Syracuſanis, & Hierone obſeſſi, coacti ſint nunc à Poenis, nunc ab Romanis auxilia implorantes; vtriſque ſeſe, ſuaq. dedere. Atque vtinam

M. Caefio milites nunquam non paruiffent, ſed aturo fortaliſſis ea mala, quae poſtea acciderunt, dum nulla manſuetudinis compenſatione Iubellianam acerbitatem in ſocios leniuere: ſed ſeuerius agentes Senatum ad poenas veteris culpae reſciendas incitarunt.

CVIVS

CVIVS CVLPA EVERSVM RHEGIVM SIT, ET
M. Caefij deſenſio aduerſus accuſatorem.

Caput III

REGAM & veri ſtudio inueſtigandi, & M. Caefij gratia de caſu dicere tum Rheginorum, tum militum; & optimi praeterea ducis innocentiam comprobare. Rheginos ego primum putabam, dum dolentius ſuas querellas deplorant, & iracundius moleſtiuſq. per ſuos exules, ac Senatum iniurias palam vlcifci laborant; mali cauſam vltro accerſiuiſſe. Sed aliud quippiam fuit. Locri vicini Rhegio, ſicuti, & Zonaras, & è Trogo ſcribit Iuſtinus, prodito, atque interfecto praefidio ciuium Romanorum, ad Pyrrhum victorem defeſerant; ad eam defeſionem cum erigerentur aliarum ciuitatum animi, paſſimq. Romana praefidia opprimerentur, adducor opinari, M. Caefij milites ad cauendas ciuium inſidias, id aut vtile, aut atrox conſilium, ne perderentur ipſi, cepiſſe. Nam de proditione aliquid agitaſſe ciues, cum per ſe multis de cauſis, ſimile eſt veri, tum & magnopere innuit Strabo, qui eos foedifragos viſos inquit, & index eſt Aelianus. is narrat, cum maxime Tarentini à Romanis obſiderentur, periculumq. immineret, ne fame victi deditioem facerent, Rheginos decimo quoque die ieiunos nihil guſtare ſolitos, quo victum Tarentinis ſuppeditarent. Id quod eo tempore intelligimus accidiſſe. Puniſſo enim bello ſecundo, repente per proditionem capta à Fabio Tarentina ciuitas, nec diutius obſeſſa eſt, neque re vlla neceſſaria indiguit, cum claſſe mari polleret. Venerat praeterea Rhegium, iſdem Pyrrhi temporibus, Dionyſij olim Tyranni filius, iſque urbis parte, quam Phoebiam dixit, munita, multum poterat, & erat plane, vt hiftorici homines commonefaciunt, reſerta perſugis Rhegina ciuitas, exulibus captarum, aut à Pyrrho, aut à Romanis urbium; confluxerantq. eo, quibus alibi tuto verſari non licebat. Ita comparabantur omnia ad calamitatem, qua ad extremum Rhegini ciuitate euerterentur. Polybius euerſi Rhegij Oppidi crimen Mamertinis impingit, cum ait, fortaliſſe iure facturos, ſi qui Romanos primum in Siciliam proſectos, propterea reprehendendos putent; quod & petentibus amicitiam, & laborantibus praefidium miſerint Mamertinis, qui non ita multo ante Meſſanam primum, deinde vero etiam Rhegium opulentiffimas Siciliae ciuitates diripiſſent. Verum enimvero (nam & à Iuſtino, & ab Oroſio, Eutropioe videor agnoſcere, temere alicubi Rheginos pro Meſſanae ciuibus nominari) ſiue Mamertinorum, ſiue exulium, ac latronum, ſiue etiam militum facinus id fuit, M. quidem Caefio tam inuito contigit, vt propterea conſtitutum in milites ſupplicium dixerint; quod id praeter imperium ducis

B 2 com-

commisissent. Sex. Iulius Frontinus, testis locupletissimus, nihil caussatur, praeter relictam, & abiectam militarem obedientiam scripsit in libro tertio. *In legionem, quae Rhegium oppidum iniussu ducis diruerat, animaduersum.* Frontini verba sunt, nihil addo. Iustam igitur, & legitimam M. Caesij potestatem aliquis à sensu vero iudicet, si quidem militibus aequè crimini datum est, quod quippiam illo minime iubente fecerint, ac si quid pessime egerint. Neque vero de Iubellio loquitur Frontinus, à quo orta, & profecta huius mali initia constat, antequam supremum vitae diem morte conficeret. M. Caesius iussisset, fortasse probabilior causa fuisset, ut postea L. Pinarij, qui propter similem rationem Ennenses in Sicilia trucidauit, ipsorum urbem diripuit, ut timore deterriti Siculi proditiōibus temperarent praesidiorum. Verum ad quem exitialem exitum perducta res sit, grauiſſimus scriptor Polybius, idemq. probatissimus commemorat; cum milites diutissime obseſſos, quamquam ad extremum fortissime repugnantes, expugnatos tamen, ac trecentos, qui viui in potestatem inimicorum soli venerant, Romam celeriter missos, in forum productos, virgis caesos, securi percussos, diserte tradit. reliquos Romanos scriptores, qui carceres, qui homines quater mille caesos, qui eosdem cum luctus honore, tum sepulturae spoliatos addiderunt, aliquid arbitror ad terrorem, & militiae disciplinam confirmandam affinxisse. Polybij sunt haec eiusmodi omnia. ut quem assensum à ceterorum scriptis cohibere potes, ab eo cur te sustineas narrante ipso, nihil sit. fuit enim proximus ijs temporibus, & descripsit ex Timaeo, qui & Locris Rhegio vicinus, & Caesij tempeſtate vixit, historiamq. condidit. Quare libentius quoque Polybium sequor, scribentem omnibus, qui Italiam incolerent, praeter Celtas, subactis, tum Romanos, hoc est Caesianos, qui Rhegium tenebant, obsideri coepisse; at non nisi anno urbis CDXXCVIII contigit, ut Italia omnis à freto Siculo ad Rubiconem, & Ligures subigeretur. quare septemdecim, atque etiam octodecim annis ea Legio Campana Rhegij fuit. Quamuis Oroſius post duodecimum annum, à Genucio Consule victam tradat. Liuij decem annos suspicari possumus esse, quos post defensum Senatus nomine Rhegium Iubellius, & Caesius ipsi suo imperio addiderunt. Est praeterea scriptum in historia miscella Paulli Aquileiensis, Pyrrhum XV anno, quam venerat, ab Italia victum aufugisse. quod si verum est, quoniam & idem, & alij fatentur aduentante Pyrrho missam esse legionem Rhegium, nec eam nisi confecto bello Tarentino expugnatam, potest quiuis colligere, quorū annos Caesius Rhegium tenuerit. Oppugnationem Zonaras difficillimam ait fuisse. laboratumq. vehementer penuria rerum omnium apud Consulem Romanum, donec commeatus, copiaeq. subsidio ab Hierone mitterentur. Cur autem tam diu quiesca per Senatum legio Campana fuerit, non ea solum causa est, quam affert Polybius, occupatam Rempubicam tot

bellis

bellis expectandum censuisse, dum cetera omnia conficerentur; verum etiam quoniam cum ab eius duce nihil hostiliter, multa etiam fideliter, atque amice gererentur, nihil erat, cur perdere properaret suos, quo benigne faceret alienis. Sed perfugas quidem, ac latrones, capto Rhegio, supplicio affectos à Consule scribit Oroſius. Milites tamen à Senatu morte multatos, non valde probante populo, monet: vel tentata à M. Flacco Tribuno plebis eorum defensionis ratio, quae postea Porcia lata lege valuit, vel quod laborantibus Mamertinis, à quibus non modo eadem culpa, sed prius quoque fuerat contracta, populo iubente, subsidio itum est. Cum autem dixerint omnes de poena militum, qui tradiderit, quid duce M. Caesio factum sit, quae res vel in primis ad exemplum pertinebat, historicum hominem, aut ex Graecis, aut ex Latinis reperi neminem: sed mihi ex aequo coniectanti ita videbatur, duci, quo inuito, ut demonstratum est, sociorum vrbs afflicta esset, fraudi esse non oportuisse. Quam cogitationem cum à me non prompsissem, sed fortuito in eam scribens incidissem, ecce autem de tranſuerso libelli se obtulerunt, quos P. Aerodius, Iureconsultus non indifertus, edidit rerum iudicatarum. Is post tot annos M. Caesium non ut ampliaturum in ius vocat, & accusat, sed uti damnatum exemplo esse iubet, & infectatur. Quod quemadmodum faciat, operae precium est audire. posuit posteriore libro neminem ad se delatum Imperium capere oportere, nisi legibus à Principe, aut à Senatu deferatur. facio non tam dubitanter, quam verecunde, si de cuiusquam aliqua non recta ratione disputo. Omitto, quae dici possunt in diuisionem minime omnium absolutam: à Valerio Maximo proposuit se descripsisse. mirificum vero, ac reconditum fuisse oportet Valerij exemplar illud, ex quo, quae nemo legit, descripserit. Testis Aerodij Valerius fidem infirmat. Debet quilibet scriptae rei pronunciator esse sincerus eius, quam omnibus exemplo esse statuit, ut auctoritatem naturalem quandam habeat hortatio. Narrat, milites M. Caesium solos, sua sponte, inconsulto Senatu, Imperatorem creasse, propter quod scelus Caesium in carcerem coniectum, & cum militibus quibusdam securi percussum. Ita quod nulla tenuissima suspicione ex Valerio intelligebamus, significari Caesium in carcerem contrusum, aut interfectum, id homo ad scribendi licentiam liber, tanquam vnice, maximeq. omnium conspicuum, quibus plurimum verbis potest, ad terrorem auget, ac repetit. proptereaq. duntaxat milites morte affectos, & merito vult existimari: quod ducem ipsi Caesium constituerint; ut nimis inconsulto reos arguat facti. quo praecipuo venia digni sunt visi. nulla etenim reliqua laus, aut innocentia facta ijs erat, nisi quod virum praestantem, & optimum praefecissent. Pergit, ac grauiſſime peccasse decernit Caesium, qui, milite deferente, ceperit Imperium, quem si neque compescere, neque reuocare ad officium poterat, potius ut in se crudeliter ageret, quam ut gra-

B 3

uiter

uiter faceret aduersus Rempublicam, committere debuit. fateor hanc mihi magnam sanctitatem, atque adeo feueritatem placere: interrogo tamen, quam multos habebat, qui mori se maluerint, quam imperare? aut quem potissimum ex Romanis, si eo loco fuisset, aliter fuisse facturum existimet? aut etiam quibus indicijs deprehenderit futurum, vt puniretur T. Quinctius, quem ex omnibus habeo, quem potius cum M. Caesio comparem. Non enim piget commemorare, quod annis ante Caesium septuaginta non nullam habuit cum Legionis huiusce facto similitudinem. Nam cum praesidium Romanum Capuam Campanis petentibus missum esset, & consilia in Hybernis inirentur adimendae ciuibus Capuae, milites vti ducem haberent, quemadmodum Liuius auctor est, T. Quinctium ruri agentem in castra pertraxerunt, & appellato Imperatori insignia honoris detulerunt agrum Albanum aliosq. depopulati, conuulsis signis, eo duce, infesto agmine, aduersus patriam ad octauum lapidem peruenerunt. Contra quos creatus Dictator M. Valerius Coruinus Quinctium siue volentem, siue nolentem milites Imperatorem aduersus patriam praeposuisent, lenissime appellauit; ipsi, militibusq. veniam ab Senatu impetrauit. Hoc exemplo Aerodi Caesium nihil vnquam in patriam molitum, multa saepe pro patria conatum iure vel accusaret, vel in custodiam Consul traderet? Nam quod factum affers, L. Marcij Tribuni militum, qui se Propraetorem, litteris ad Senatum missis, ex Hispania scripserat, dicis tu quid Senatui displicuerit, non quam obrem moriendum sit forti viro, cui carentes duce milites magistratum commiserint. solent infimi, turpissimiq. homines tumultus, ac seditionis in castris auctores, quos pars manipulorum aduersus legitimum Imperatorem sequitur, vt capitales necari: non Camillis, Quinctijs, Marcijs, Caesijs similes, communi consensu lectis, quorum opera ducum magis profuit Reipublicae, quam si, vt priuati agerent, ductis onus recusassent. Abstinebo Graecis exemplis, ne longus sim. Age, occidi maluerit Caesius, quam imperium capere: fuerit dux alter Caesij dissimilis, isque crudelis in patriam, consilia cum hostibus communicarit; eo non inuito, & vetante, sed optante, suadente, iubente, cogente, milites Rhegium vastarint: ecquid amplius perpetiendum ei fuerat, quam quod expertem omnis culpa M. Caesium commeruisse, inquis? Tu vero addis etiam, si Mercurio placet, indignissimum videri, scribam Populi Romani praefesse legionibus: vt mirer, quid accusatorium animum ad criminandum istud anxie magis, quam subtiliter induxeris. Tua doctrina si satis erat ab historia instructa, non illud meminerat, in honoribus dandis antepositum à Populo Romano scribam Africani filio? non meminerat Mucium, cum interfectorius Regem Porfenam erraret in castris, & Scriba cum Rege sedens pari fere ornatu multa ageret, specie, ac dignitate deceptum scribam pro Rege obruncasse? Neque, ex Cornelio Nepote, legeras in Aemilio Probo apud Graecos quoque

quoque Scribe munus honorificentissimum fuisse, & ad id solitum admitti neminem, nisi honestissimo loco, & summa fide, summaq. industria spectatissimum: quod eum oporteret esse omnium participem consiliorum? Haec in mentem, atque huiusmodi alia si non venerant, ne illud quidem cogitare poteras necessario habuisse Scribe munus dignitatem, quod vsque ad hoc tempus apud Reges, ceterosq. Principes omnium nationum consensu summum sit, & amplissimum? Non enim togato homini extra sacerdotia in administranda Republica ad gradum honoris altioris ascensum dari intelligis. Quod si non Scribam, sed priuatum, M. Caesium sibi legio praefecisset, tu nihil interesse arbitrare, vnde quis ad primum locum capessendum accersatur? non familiae dignitatem? non animi corporisq. fortitudinem spectandam duceres? fuerit vero M. Caesii, si id ipsum tantopere vis, culpa aliqua, quod honorificum Imperium sibi datum non deposuerit, quoniam neque tu expetitur ab eo probare, neque ego contemptum ostendere possumus, ceperit, inquam, magistratum, aut gesserit etiam non sine aliqua ambitione: necesse est hinc colligas eius naturae generosam virtutem quandam, & cum diuino illo intelligendi auctore Platone intelligas, errata huiusmodi non esse aut humilium, aut mediocrium ingeniorum indicia, sed ab excelsa animi quadam, & praeclara indole, paullulum gloriae cupiditate affecta proficisci. Sed ego cum te alibi ad omnem rationem humanitatis commodum existimem, facile interim putabo, à prudentia ista, & constantia abhorrere monumenta ad M. Caesij notam tua; teque his credam acuere quodammodo in scholis disceptandi consuetudinem, non ad maledicendi libidinem mendacia accommodare voluisse.

DE C. CAESIO ANTIQVIOR E Poeta Latino Caput III



CAESII, (quem antiquiorem appello, propter alterum illum C. Caesium cognomento Bassium, qui aetate inferior Neronum Caesarum temporibus princeps, post Horatium, fuit Latino- rum omnium Lyricorum) antiquioris huius inquam Caesij fecere praeter novos, duo Latini prisca scriptores mentionem, Valerius Catullus, & Q. Cornificius, si tamen hic auctor est Rhetoricorum ad Herennium. De Catullo dicam, deinceps in Cornificio cum duriora, atque acerbiora tulerit Caesius, ac pene oppressus sit, tempus flagitat, vt quamprimum per me ratione, quantum potest, ac luce veritatis recreetur, erigatur, restituatur. Aliqua est iniuria libri quarti locus ad Herennium violatus ab homine suis temporibus vix vlli secundo Baptista Guarino, Guarini filio. Is cum in libro antiquissimae notae suo, atque in alijs ita scriptum cognosceret,


Et

*Et si verborum transfectionem vitarimus, nisi quae erit concinna, de qua re posterius loquemur, in quo vitio est Caesius assiduus, ut hoc est in priore libro. Has res ad te scriptas Luci misimus Aeli, cum inquam Caesij vocem Guarinus legeret, neque putaret poetam hoc nomine quemquam ab alijs nominatum, confugit ad facillimas coniecturas. Quae res quemadmodum aut acciderit, aut à me cognita sit, referam. nam ipse cum locum, quem modo recitavi, expendere accuratius, quod utebar vulgatis codicibus, in quibus auctor illius versus scriptus est Lucilius, coepi sic mecum cogitare: Quid Cornificius priorem Lucilij librum citat? Lucilij à Nonio in libris plusquam triginta testimonium afferri, atque à Varrone, Sex. Pompeio, Charisio, alijsq. grammaticis diuersos Lucilij libros nominari memineram; quam ergo incite ex tot libris primum priorem dixisset? non potest recte in priore duobus aduocari libris, qui ad quadraginta conscripsit; neque sine inscriptione, qui inscriptiones tam multas, ac dissimiles adhibuit, quod si quis priorem librum initium libri interpretetur, licet exempla attulerit, subtilius tamen agere, quam vera persuadere videbitur. Mox ad eas annotationes me confero, quae variarum lectionum indicant ambiguitatem. admoneor alijs in codicibus Caecilium pro Lucilio legi, atque ego, difficilius esse multo intellexi Caecilio poetae, qui non duos libros, sed plures comoedias non heroico, sed iambico versu factitauisset, tribui in priore ei libro versus hexametrum. magis obscuras itaque per Caecilium sensi offundi tenebras, atque ita, ut Lucilianas ducerem magis tolerabiles. Non ille tamen poeta Caecilius Nouocomensis, Catulli amicus ex animo mihi penitus exciderat, quem tradunt libros tres de Dindymene absoluisse; quod poema inchoatum ab eo meminit Catullus. Sed neque si libros tres hic Caecilius de Cybele fecit, potuit in priore aduocare, neque versus huiusmodi in tale argumenti fabulosi opus videtur incurrere potuisse: quod facile iudicare periti queunt, neque cum Valerij Catulli aetate vixerit, ab auctore Rhetoricorum ad Herennium nominatus fuisset; qui nullius auctoritatem scriptoris eorum temporum sit secutus, nullum scriptorem appellaret; qui aliquid aetate illa vel docuisset, vel edidisset. Cum neque Lucilium, neque Caecilium vllum recipere possem, paucis post diebus aliud omnino quaerens incidi in scriptoris accuratissimi Gyraldi libros de poetis: in quibus ille de poeta hoc Caesio loquens, ait eum reprehendi in Rhetoricis ad Herennium, in eo versu; *Has res ad te scriptas*. significatq. omnino se eo loci Caesium legisse. Eodem fere tempore cum percurrerem Alexandri Guarini, Bapt. F. commentarios in Catullum, vbi Catullus Caesios nominat; *Caesium*, inquit ille, *poetam reprehendit Cicero ad Herennium in eo versu. Has res ad te scriptas*. me, si dubitassem de alterius auctoritate, asseueratio alterius confirmasset. Quamobrem cum nihil esset, cur Caesij lectionem reiiciendam putarem, assentireq. tam praestantibus in omni litteratura viris constituerem, hoc tamen amplius mihi*

mihî faciendum credidi, ut scriberem ad Guarinos posteros superiorum, quos nominavi; ut libros ij paternos, atque auitos consulere. quaeque lectio ex ijs sequenda proponeretur, indicarent: non quia vererer, ne vel opinione, vel memoria Gyraldus, Alexanderue lapsi essent, quamquam vtrumq. hominibus accidit: sed ut ipse certior sic quoque fierem. Accidit autem commodum, ut quibus diebus haec agito, Baptista Guarinus, Baptistae nepos Romam venerit; is à me conuentus, qua multa est humanitate, & quaedam antiquissima ad Herennium exemplaria sibi esse domi ostendit, & ea se quam diligentissime perscrutaturum pollicitus est. Interim vestigabundi apud librarios in vetustum fragmentum manuscripti exemplaris nescio an optimi incidimus: in quo plane C. est Caesius; sed codex frequentibus est mendis, & maculis opertus: emptus continuo à me tamen ob hanc causam. Guarinus in patriam post aliquot dies reuersus, scribit ad me, mirari se quid ita ab Aui Baptistae sententia recesserit patruus suus, Alexander, cui in Catullianis commentarijs ad scribere eum versus Caesio libuerit. docuisse Baptistam auum in commentarijs Herennianis tribus modis se reperire scriptum: nempe, Caecilium, Caesium, & Caelium; pro suo autem iudicio, Caecilium, & Caelium damnasse, Caelium retinuisse, ac propterea in vetustissimo suo codice pro Caesio Caelium reposuisse, quod & ipsius commentariorum lectio confirmat. in quibus illud praeterea sit additum; de quo poeta Caelio mentio fit in fine libri de optimo dicendi genere: vbi M. Tullius ait, non minus Terentium, aut Caecilium, quam Menandrum legi à Romanis. Etenim auus meus legendum hic censet Caelium, Typographi tamen inquit, Lucilium fecere de cepti scilicet imprudentes malae figurae traiectionis, *Luci, & Aeli*: sunt enim haec verba Baptistae aui. *Scribebat ad unum nomine Lucilium, cum debuisset dicere Lucili misimus, accepit illud. E. & coniunxit cum, Li. fecitq. Luci misimus Aeli. ex quo librarij existimarunt, poetam de se ipso loqui. & Lucili in casu esse positum patrio, quem vocandi voluit esse Baptista auus.* Haec tamen Guarini. Quorum ego doctrinam imploro. Sed quod ad Caesium pertinet, ita, quod sentio dicam, ut eorum pace, si bene eos noui, dicturum confidam. Quis tandem enim poeta est iste Caelius, quem substituere in locum Caecilij, quem comitem addere Terentio, cum de Comicis agitur, quisquam debeat? est nimis, & vera, & necessaria illa lectio, quae Caecilium habet; ut etiam si Caelium quispiam olim intrusisset, tamen non dubitandum nobis esset, quin Caelium restituere deberemus. Nam Caelium fuisse Annalium scriptorem, neque versus scripsisse, ostendunt tum ceteri, tum in primis M. Cicero, qui Antipatrum quoque eum appellat; vti Nonius etiam, quamquam non valde perite Hadrianus Iunius Antipatri vocem cupit extinguere. Nam Marcum Caelium oratorem intelligi, nemo puto est, qui suspicari velit. Caelius vero si aliquis poeta est, cum eum Guarinus cum Comicis coniunxerit, nec

sic quidem impetrari potest, ut hic versus Comici sit poetae; aut ut comodia vulgo liber dicatur. Quamobrem quando ostendimus, neque Lucilium, neque Caecilium, neque Caesium villo modo versus huius auctores fuisse, Caesij autem lectionem vnus Guarinus probarit, tres testificati sint, Gyraldus agnouerit, aliquot vetusta exemplaria confirmant, Catulli versus adiuuent, quamquam magna est interdum librariorum in recipiendis erroribus promptitudo, in fouendis etiam pertinacia, reddatur tamen aliquando vnicique suum; fiat satis rationibus; tribuatur aliquid vetustis codicibus; excusentur viri docti, per quos maculae asperae sunt; accusentur per quos inueterascunt, dicatur Caesius, qualiscunque versus sit, (nam de eo iam differam) sui versus auctor; neque optari eum putemus aut à Lucilio, aut a Caelio, qui nullus poeta est, aut à Caecilio, quo sane nomine nullum vnquam irreperere facilius potuit, ad quod commutandum tam nostrae, quam superioris aetatis librarij praecipites festinauerint. si quis attentius inspiciat, nullum fuit negotium, C. Caesium in Caecilium transire; ex Caecilio deinceps in Lucilium immigrare. C. Caesium poetam ego existimo versus suos ad L. Aelium amicum, sicuti Lucretium ad Memmium, Catullum ad Cornelium, ac Mallium misisse. L. autem Aelium doctum eum virum suspicor, quem M. Cicero tum alibi, tum in Bruto fuisse inquit omnino virum egregium, & equitem Romanum cum primis honestum, eundemq, eruditissimum, & Graecis litteris, & Latinis, antiquitatishq, Romanae, & in inuentis rebus, & in actis, scriptorumq, veterum litterate peritum: quam scientiam Varronem accepisse ab illo, auctamq, illustrioribus litteris explicauisse. Atque hoc loco opportune faciam, si A. Gellij locos eos, in quibus dicitur Laelius Varronis Magister, sic emendandos moneam, ut distinguamus. neque Laelius, sicuti in omnibus, quos vidi, codicibus, sed L. Aelius legatur: qui cum fieri potest ut amicitia Caesio intercesserit, propterq, & familiaritatem, & doctrinam Caesius sua scripta ad eum miserit: neque enim Ciceronis, aut Cornificij temporibus C. hic Caesius exstitit poeta propter eam, quam diximus causam, sed fuit superiore aetate, quod obseruare ex Catulli etiam nominandi ordine, si quid hoc refert, possumus. Quod attinet ad reprehensionem, ea non est huiusmodi, ut minus belle de Caesij ingenio sentire debeamus. reprehenditur enim, quod in alijs poetis summis semper animaduertimus. At frequens est; & bis in eodem versu transiectione vsus, cum res scriptas separet *ad te*, & *Luci Aeli* nomen secet *misimus*. exigua culpa; at magnus poeta Caesius fuit, in quo tantus vir etiam minima obseruarit: transiectione est in quarti eo Lucretiano. *Partimq, varij ab rebus cumque recedunt*; & rursus in sexti libri versu illo; *Inter qui lapidem, ferrumq, est eumque locatus*. in vtroq, bis fit eadem transiectione. si quidem talem Cornificius intelligit. atque frequens haec est vsurpatio Lucretij, quamquam ut vllum ego vitium in eo, *res ad te scriptas,*

ptas, putem, tantum abest, summa magis ut cum elegancia coniunctum credam, at tmelis ea *Luci misimus Aeli* displicet; (nunquam enim talem, qualem Guarinus intellexit, accipies; nemo profecto nostrorum temporum vel pessimus poeta tantum ineptiae susciperet;) Sed qualia illa Virgilij sunt? *Inque ligatus; Hac celebrata tenus, septem subiecta Trioni*, multa q, eiusmodi? nescio porro quae transiectione illis in mentem venerit, qui *Luci* esse aduerbium hoc in versu docuerunt. Iam illud Catulli, *Cinna est Caius*; & Horatij illud *Celfo gaudere, & bene rem gerere Albinouano*, tum illud Lucilij, *in numero quorum nunc primum Trebellium multum Lucium marcebat*, atque huiusmodi quamplurima defendent, Caesij qualecumque hoc fuit vitium. Nam si vitium dicendum est, illud *Luci misimus Aeli*; ut demus, centies in eo peccasse Caesium, centies idem ostendam peccasse singulos veterum, quorum aut integra opera, aut certe fragmenta legere solemus. Monuit hoc loco me vir doctissimus Achilles Staius verba illa, *Has res ad te scriptas Luci misimus Aeli*, non poetae magis videri debere, quam liberi scriptoris. Oratores enim instituendos sibi sumpsisse Cornificium, non poetas, quibus propter necessitatem parcitur: quod ut cuiquam probetur, minime tamen receptum Caesij nomen exigitur: nam Caesium plurimos annalium libros scripsisse, notum est: hic auctor duos tantum, è quibus priorem citat Cornificius. Qui cum in omnibus auctoribus cerneret aliquid vel nouum, vel audacter positum, vel non ita feliciter elaboratum, credidit summum Caesij candorem, quasi naeno, hac transiectionum frequentia asperum. quae tamen cuiusmodi sint, iam dixi. Maius quidem de Caesij ingenio factum est praecudicium ab falsa quadam Valerij Catulli dicacitate. Nam cum C. Licinio Caluo, C. Macri filio, & Poeta, & Oratore insigni arctissima familiaritate deinctus Catullus vivebat. solebantq, vterque aut ociosi ludere delicatos scribentes versiculos, aut aliorum veterum scripta inter se legenda communicare. cum forte misisset Caluus ad Catullum poetas aliquot repertos, ut opinor à grammatico quopiam, ut ipsos die Saturnalium animi gratia percurreret, hos sane malos poetas iocandi occasione errepta significaturus Catullus, epigramma scripsit ad Caluum, in quo ostendit, se lectione horribilis illius, ut ait, & facerum pessimorum poetarum libri misere propemodum periisse. iocose deinceps tamquam suspicetur, Caluum de industria malos ad se poetas illudendi sui, atque affligendi gratia misisse, minatur non impune eum laturum, se cum primum illuxerit, properaturum, scriniaq, omnia librariorum peruestigaturum, ut inuentis poetarum incommodorum monumentis, Caluum remuneret. Traducit autem nescio quomodo, nisi visum est ei pro animi libidine, carminisue gratia id facere, inter eos, de quibus non ita magnifice amiceq, sentit, Caesium. Qui quidem si ob vetustatem, ut pleriq, veteres, durior, aut propter argumentum minus gratus fuit, aut si etiam iniuria for-



tas ab Catullo notatur, detur hoc frequentibus poetae vel lepidissimi iocis, vel maledici conuicij. Amicos certe ab amicis potius, quam dicti cuiuspiam gratia pereat, vulgo impeti videmus. Quod si merito etiam censebimus perstringi à liberrimo poetarum Caesium, quid mirum? Num hic aut primus, aut postremus à praestantia, & virtute maiorum degenerauit? Non peruenierunt ad nos ipsius scripta; quod si accidisset, commodius iudicare possemus: Vt tamen conijcias Caesium pretij poetam alicuius fuisse, quid facit? an quia quos omnino contemnimus, ac nihili ducimus, eos ne nominare quidem sustinemus? sic neque Cicero infimum quemque ex plebe Oratorem commemorat; an quoniam magni poetae non despiciatissimorum meminisse, sed eorum, quos aemularentur: non infirmis indicere bellum, sed ijs certe, qui in contentionem venire possent, dignabantur? Potuit sua tempestate Caesius primum locum obtinere, sed succedentibus melioribus, ut fit, minus magnifici coepit. recte enim Laberius, *Non omnes primi esse possunt omni in tempore*. Id quod Ennio, Lucilio, ceterisque post Virgilium, Horatium, similesque accidisse cognouimus. Ego interim, & voluntatem Caesij, quod studuerit, animumque ad artes praecclaras, atque ingenuas appulerit, laudo. aiunt enim, *in magnis, & voluisse satis esse*; & Catullum magis amare, quocumque tandem modo Caesij poetae meminerit. ut satius est fuisse olim aliquo loco, quam nullo, & vixisse, praesertim recta proficientem, quam numquam extitisse neque enim fiet, ut esse saltem inter Caesios non liceat Caesio; si minus ei contingit inter principes in studio Musico viros numerari.

DE P. CAESIO EQVITE ROMANO

huius praenominis primo

Caput V



ICTVRVS de P. Caesio ciuitate donato, faciam à principio, ut huius praemij tanti, ac tam ampli laudem ipse Caesius, quaesiuisset, ac sustinuisse intelligatur. Etenim in omnibus ornamentis, quae grauisima, maximaque sunt, quid quisque habuerit, pepererit, acceperit, non ex fortuna, sed ex merito eius, de quo dicitur, est ponderandum. P. Caesius domo Rauennas, idemque auxiliorum P. R. praefectus, verum ceteroqui fortis plane, nobilissimusque ius optimum consecutus ciuitatis, Eques Ro. ostenditur. Habeo M. Ciceronem in ornatissima oratione ea, quae pro Cornelio Balbo inscribitur, affirmantem, P. Caesium fuisse Rauennantem. Cetera, quae ipsius vel maioribus, vel posteritati sunt affinia commodiore loco referam: nunc paullisper circumspectamus animo, quantum inter hunc, atque alios, qui recepti in ciuitatem sunt, intersit.

sit. Nam si magnarum rerum obtinendarum difficultas putatur ad laudem commendatior; si quibus quisque optimis artibus summum locum consecutus est, spectatur; si munera eiusmodi, & dantis persona, & auctoritate, & genere, ac dignitate accipientis ornantur: nondum intelligo, quis fuerit P. Caesio praestantior. si demum parti honoris perfecta omnia additamenta expenduntur, certe P. Caesio perfectius Romanam ciuitatem nullus est adeptus. Quae singula tantam vim habent, ut neque sine his rei magnitudo cognosci, & cum his non facile quisquam hoc in genere P. Caesio possit honestior reperiri. Primum quibus magnis, atque infinitis difficultatibus cuius alij, iisdem quoque P. Caesio ciuitas obstruebatnr. verum eundem praecipue duae grauisimae, quae minime alios omnes impediabant, sui populi, suique temporis condicio. Populus is erat, ut quod omnis Italia, omnes Prouinciae, omnis regio terrarum expetebant summis votis, id ipse non modo non cuperet, sed etiam prohiberet, quia foederatus. Quippe in illius populi, ac similibus sacrosanctis foederibus excipiebatur, ne quis suorum a Populo Romano ciuis reciperetur. malebat enim suorum virtute se ipsum frui, quam alios: & maximo damno se affici intelligebat, si, ut quisque in insignem, fortemque maxime ciuem euasisset, ita eo potissimum per illud Populi Romani beneficium spoliaretur. Hoc tantum itaque incommodum, quod etiam tempus augebat, P. Caesius cum industria sua, tum fortitudine reiecit: qui effecit, ut Populus Romanus foederis legem aequitatis officio compensaret: cum non posset non eum suae ciuitatis praemijs afficere, qui voluisset cum periculis illius sua communicare. Porro temporis difficultatem multo quidem mea sententia maiorem incredibili quodam virtutis genere, à P. Caesio victam libet cogitare: quandoquidem qua tempestate Romani socijs, ac cognatis iter ad ius ciuitatis interseptum esse omni concionum, armorumque studio conabantur, eadem alienus ipse iter illud meritorum magnitudine sibi aperuit. Quae res, quando, ac quomodo, quaque de causa acciderit, dilucide, quam fieri poterit, ac breuiter exponam. Cum propter potentiam nimiamque auaritiam optimatum Romanorum ad paucos diuites, agri pene omnes omnium Italiae oppidorum peruenissent, homines Itali, qui neque sua praedia haberent, neque ad aliena colenda conducerentur, quod vnus quisque seruis emptis ad rem rusticam utebatur, necessario conqueri, ac turbas ciere coeperant. Quibus malis ut occurrerent, varias saepe rationes Patroni plebis, & Italorum iniuerant. Ad extremum duo tentata remedia; alterum ut diuiderentur agri, alterum, quia hoc ipsum diuidendi negocium, & prorogabatur, & in dies magis, atque magis implicabatur, ut socijs, qui maxime de agris contendebant, ciuitas daretur, quo beneficio obligati contentionis huiusmodi studium abijcerent. Atque sane Italici eo animo fuerant, ut ius ciuitatis accipere, quam agrum publicum sibi diuidi, mallent; quapro-

pteria iam se se bona pars eorum pro ciuibus gerebant. Verum indignantibus Romanis exaequari sibi Italos, atque in partem Imperij vocari, Consules L. Licinius Crassus, & Q. Mucius Scaeuola legem tulerunt, vt in suae Italicus quisq. ciuitatis ius redigeretur. Hinc factum est, vt iterum ac tertio spe ciuitatis Itali deiectioni coniurarint inter se, Imperiumq. alterum, quod diceretur Italicum, constituendum decreuerint. Id accidit anno post V. C. DCLXII. L. Marcio Philippo, Sex. Iulio Caesare Coss. quo anno belli Socialis initium a Marsis commotum est. Itaque in proximum annum L. Caesari, & P. Rutilio Lupo Consulibus grauisimum bellum Italicum decretum est. Cuius incredibiliter varia, atque atrox fortuna fuit. Hoc illud bellum est, quo magna gloria P. Caesius, magno vsu, paratu militum, & armorum fuit. hoc idem bello cum Romanos Imperatores periculo suo iuisset, Romanae ciuitatis honore dignissimus iudicatus est. Scribit Appianus, Caesarem Consulem acciuisse Gallorum peditum decem millia; quin fuerint autem ex ijs, qui Pisaurum, Ariminum, Rauennam, vicinamq. regionem incolabant, nemo peritus historiae dubitabit; ex ijs X. millibus, qui nominatus sit, praeter vnum P. Caesium reperio neminem. Quamobrem cum tempus eiusmodi illud fuerit, vt nullum omnino difficilius ad impetrandam ciuitatem exstare potuerit, quod Romani potius in summum discrimen amittendi Imperij, vel niendum sibi, quam ciuitatem vel cognatis, ac vicinis concedendam decreuerant, constat ex hac difficultate P. Caesio datum munus amplissimum esse. Quid? si neque antea, neque post id temporis tanti aestimatum est, recipi in ciuitatem Romanam? quis enim dubitet, quin antea necessitatis fuerit, cum Populus Romanus ad societatem bellorum, atque incommodorum promptissimus eos admittebat, quos hoc tempore ad imperandum, partoq. Imperio fruendum haud libenter recipiebat. Porro in sequentibus annis tam prolixè dari coepit id beneficij, vt ciuitas non iam aliquibus, aut singillatim, sed totis prouincijs, nationibusq. vniuersis donaretur. Sic igitur, quod ad tempus attinet, nemo illustriore, nemo difficiliore tempore nemo quo maius & esset, & aestimaretur, ciuitatis beneficium est consecutus, quam P. Caesius. nunc ad rationem consequendi accedam. Etenim si in omnes, qui se se pro ciuibus Romanis tum gererent, quaestione adhibita, inquirere, atque ab ipsis responderi licitum esset; maximam partem comperias, quae nesciat à quo, aut quando, aut quamobrem ciuitatem habuerit; nimis etiam multos, qui, vt Cicero monet, aut furati esse ciuitatem, aut genus suum ementiti, aut in aliquo impudenti mendacio delituisse, aut irrepsisse incensum dicerentur; tum plurimos, qui accusando, qui per aliorum calamitatem, qui proditis suis; neque paucissimos, qui linguae volubilitate, qui propter aliquod artificium, disciplinamue in numerum ciuium peruenerint. Nam seruorum libertate, hoc est ciuitate donatorum infinita millia praeter-

reo

reo. in quo ars quoque valuit, cum Latini nominis primarij viri filios suos iccirco Romae venderent, vt manumissi ciues essent. Praetereo, qui virtutis pretium vi pecuniae ab auaris magistratibus extorserunt. Reliquus omnis aditus vni excellenti, ac nobilissimae virtuti patebat. aditus hic vere illustris, ac memorandus insignibus viris reliquebatur; vt sit, cui gratulemur P. Caesio, quem in nullam fordidam suspicionem incidisse intelligimus. Non enim incerto auctore, sed omnium grauisimo; non obscuro tempore, sed celeberrimo, non ignota de causa, sed perspectissima; non fraude, sed probitate; (appellat enim virum bonum M. Cicero;) non lingua, sed manu, non accusatione forensi, sed defensione castrensi; non suos deserens, vt multi Italicorum, sed foederatis succurrens, vt pauci externorum; non propter humilem artificij disciplinaeue scientiam, sed propter egregiam rei militaris peritiam; non è barbaris seruus, sed inter Umbros facile princeps; non pecunia erogata, sed rebus maximis gestis; non cum multitudine temere, sed singillatim, ac considerate ciuitate donatus scribitur. Causa est, cur ex Vmbrijs P. Caesium vere dixerim, quod cum scriptores alij, tum Strabo ex Vmbrijs profectum Rauennatem populum, & in Vmbriorum regione Rauennam collocatam scribit. Licet, autem eadem in Gallia censetur, & Galliae incolae dicerentur, tamen Caesij nomen nullo modo Gallicum, sed Latinum, Italicumue; facilius Publium in Gallia Vmbriam, quam Gallum in Vmbria demonstrarit. Vt ad bellicam virtutem redeam, haud dubie in summum discrimen res ventura Romana videbatur, caesis iam duobus Consulibus, & tertio inter belli labores absumpto; libertinis etiam ob militum penuriam tum primum militare incipientibus, nisi nobilissimi quique, ac praestantissimi foederatorum, sociorumq. proceres, manum ex suis, quantum poterant, coegissent, ac Reipublicae succurissent. Quod si summae vtilitati, maximoq. praesidio fuisse Romanis decem illa Gallorum millia, credendum est; quam singularem fuisse P. Caesij operam oportet, cuius vnus ex ijs omnibus nomen memoriae, ac literis consignatum reperitur? Quamobrem si Lucceij, Sifennae, Sallustij, Hortensij, Liuij, tot aliorum, qui bellum Italicum scripserunt, monumenta exstarent, fortasse, vt ducum multa nomina, ita P. Caesij multa facinora legeremus. Probabile id facit P. Velleius Tiberiani saeculi scriptor, cum scribit in hunc modum: *Neque ego verecundia domestici sanguinis gloriae, dum verum refero, subtraham: quippe multum Minatij Magij, Atau mei Asculani tribuendum est memoriae, qui nepos D. Magij Campanorum principis celeberrimi, & fidelissimi viri, tantam in hoc bello Romanis fidem praestitit, vt cum Legione, quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculanum simul cum T. Didio caperet, Pompeios cum L. Sulla oppugnaret, Cossamq. occuparet: cuius de virtutibus cum alij, tum maxime, dilucideq. Q. Hortensius in annalibus suis rettulit.* Frustra inquam retulisset, & Hortensius, & alij, nisi

tu

tu Vellei meminisses, & pietatem atauo commemorando coluisses; nemo enim ex ijs, quos habemus, quicquam praeter te de Magio tradidit. Ceterum, si atauum Velleius extollit, qui Didio, aut Syllae legatis haeserit, quid de P. Caesio dicemus, qui lumina duo Populi Romani secutus est, Caesarem, qui Consul auxilia ex Gallia exciuit, deinde Cn. Pompeium, qui Caesari defuncto successit; quos non dubito, quin consilium hominis probarint, fidem officia, obseruantiamq. dilexerint: fuit enim cum duobus ijs tam claris Imperatoribus eo Sociali bello, ijs in acie, in exercitu comitem se praebuit, & vt Caesar decessit, Pompeiumq. successorem habuit, nunquam ipse, vt credi par est, à Pompeio discessit. Decuit igitur, siue dux auxiliorum P. Caesius fuit, siue priuatim vir animo, & virtute praecellens pro Romanis periculo suo dimicauit, vt maxime communione beneficiorum eius ciuitatis frueretur; quam postea ijs permisit Populus Romanus, quos Caesij, & similibus Caesij virorum armis subactos in ditionem redegerat. quare, quod scribit P. Velleius Magij atauum sui pietati plenam à Populo Romano gratiam relatam, quod eum viritum ciuitate donarit, ac deinceps duos eius filios crearit Praetores, id quidem tam simile in P. Caesio animaduerto, vt paucis post annis, quam ipse singillatim ciuitate donatus est, & M. Caesium Praetorem Vrbanum, & P. Caesium comperiam tanta gratia, atque auctoritate virum, vt ei M. Cicero tamquam summum magistratum gerenti ornatissimos Equites Romanos commendaret. quos ambos quidem P. Caesij filios fuisse vel rei, vel temporum ratio satis admoneat. Verum de ijs paullo post. Hactenus ostendi non artibus quae humilium sunt, sed via quadam nobilissimorum, ac Principum propria peruenisse in ciuitatem P. Caesium. Iam quid de personis sentiendum sit, attingam. Atque vt ab eo, qui beneficium contulit, incipiam: sicuti nemo est, quin laetetur à laudatissimo laudari, ita magni interest, quonam auctore praemij gaudeas. neque enim tam est gloriosum priuati precibus, aut ope ducis obscuri cuiuspiam ciuitate donari, quam munere, atque auctoritate clarissimi Consulis, ac Populi Romani Imperatoris felicissimi. Nam cum à quatuor Consulibus res gestas in eo Sociali bello, cum peritissimorum ducum, ac legatorum ibidem illustre nomen fuerit, nemo tamen plus Cn. Pompeio excellit, nemo nisi Cn. Pompeius triumphauit. is solus Vestinos, ac Pelignos subegit; solus Picentes, & Asculanos, qui tantum bellum concitauerant, deuicit; solus de Maris, de quibus, & sine quibus, ad eam diem nunquam triumphatum fuerat, triumphum egit; atque idem Cn. Pompeij pater fuit illius Magni, qui vnus, & patris, & omnium aetatum, ac gentium laudes superauit. Is igitur vir tantus, non priuatus, sed Consul, non ab initio statim, sed rebus maximis gestis, (vt testis locuples M. Cicero ostendit,) P. Caesium, quem oculis ipse, non aliorum sermonibus spectatum, praesenti virtute, non absentum verbis commendatum haberet, ciuem Romanum ad-

scen-

scendum decreuit. Hoc loco licet etiam, praeter virtutem, reliqua in P. Caesio considerare. Cum enim virtutis causa perspicuum sit, alios quoque idem praemij consecutos, quibus rebus potissimum P. Caesius illis antistit, videndum est. Sic igitur statuo, eos homines, quibus propter virtutem patuit Romana ciuitas, ex omni gente, omni hominum condicione, ac regione terrarum esse potuisse. quod ad gentem attinet, qui hac in causa Italum, cuius externo, ac barbaro praeposendum non videt, nihil videt: ne quicquam aut de Vmbriorum vetustate repetam, aut de prouinciae Galliae in Italia ornamentis afferam. Rursus aut stipendiarij, aut serui, aut hostes, aut focij, aut foederati ijdem censendi sunt. atque iniuriam plane is P. Caesio, ac foederatis faciat, qui honore comparandos putet stipendiarios immunibus; seruos liberis; hostes amicis. Nam focijs etiam honoratiores foederati censendi sunt, quod ij obligati quibusdam necessitudinibus sunt: hi voluntaria quadam, ac prope aequali comitate coniuncti. Et P. Caesius iccirco cuius sociorum praestat; quod difficilius, vt dixi, foederatis, quam focijs, dari ciuitas poterat. Et quia quod focij rogabant, foederati etiam interdicebant, aestimo in eo foederatos focijs superiores. Virtute igitur ijs, qui arte alia, gente ijs, qui virtute, in ciuitatem veniebant, P. Caesius antecellit. Dignitate autem suos, quae gente sibi pares essent, vbi domus examinetur, P. Caesius superauit. Namque vti reliqui Imperatores exemplum largiendae ciuitatis in ijs potissimum statuebant, qui omnes honores domi suae facillime adipiscerentur, & magnifice, atque amplissime gererent; quippe oppida sua generis antiquitate, ac monumentis decorarent, ita quidem credendus sapientissimus Consul, atque Imperator Cn. Pompeius P. Caesium, quod is in ciuitate sua splendore, apud omnes gratia, existimatione praecipua esset, ex omnibus delegisse, quem honestaret; ita vt propter & rei aequitatem, & hominis amplitudinem iucundus is honor Caesij popularibus, ac gratissimus accideret. Ad cetera enim omnia ornamenta etiam amicitia tanti Consulis, clarorumq. Ducum Caesio accesserat, cuius beneuolentia, ac veteris patriae defendendae studio, futuram Romanis Raenam longe commendatiorem sperare possent. Honestatem domus, ac fortunarum P. Caesij apud suos confirmat id etiam, quod instituo dicere, nempe decus ordinis parta ciuitate. neque enim qui plebeius apud suos fuisset, statim ciuitate habita Eques Romanus fieri potuisset: cum etiam qui Equites domi suae fuerant, in plebe Romana ciues facti consisterent. Polluisse igitur opibus, atque insigni, ornatissimaq. familia P. Caesium dico, qui in ciuitatem receptus, in Equestrem ordinem continenter relatus sit: neque vero in superiorem vnquam, vno Appio Claudio excepto, memini nouum ciuem ascitum. Quod si is, cui CCCCHS in censu non esset, Equestrem ordinem per leges adipisci non poterat, facile est de P. Caesio existimare. Nos vero multos etiam Caesios, si non eius liberos, at liberorum eius aetate Equites

D

Roma-

Romanos honestissimos legimus, quibus cum tantumdem in censu singulis non suppeteret, ordinem non amiserunt. Veniat nunc in mentem quam mul-
 ti recepti in ciuitatem vel suffragio carebant, vel vix interdum ius Quiritium,
 atque infimae plebis assequerantur: constituetur aequius, quid de P. Caesij
 maioribus sentiendum sit. Cui ego debere posteritatem eius intelligo, quod
 ab ipsius animi virtute, ac praestantia secunda quaedam domesticae dignita-
 tis initia, eaque optima profecta habemus. Nam tametsi M. Caesium Cam-
 panae legionis imperatorem, multo hoc vetustiore scimus, tamen quod ab
 eo ad hunc certum Caesium vix vnum, aut alterum reperimus, ac quoniam
 fieri potuit, ut is propter Rheginorum causam exilio damnatus, cum
 liberis solum verterit: existimabimus hunc P. Caesium quasi postliminio ci-
 uitatem repetiuisse. Amittetur enim, si quis Romanus alij ciuitati ad-
 scriberetur, quod accidisse multis scimus, neque deinceps, nisi nouo iure,
 recuperabatur. Ac forsitan is primus M. Caesius Rauennam exsulatum
 abiens Roma relicta eam ciuitatem suarum fortunarum domicilium esse vo-
 luerat. De P. Caesio tantum addam, cum propter varietatem codicum M.
 Ciceronis verba in grauisima Cornelij causa aliter ab alijs legantur, hanc esse
 vulgatam, & videri certam, probatamque lectionem. *Cn. Pompeius pater
 rebus Italico bello maximis gestis, P. Caesium Equitem Romanum, virum bonum,
 qui viuit, Rauennae natum foederato ex populo, non ne ciuitate donauit?* Demon-
 stratur enim patria, quam minime reticere aut solet, aut debet M. Tullius;
 qui & in hac oratione, & alibi primum patriam, deinceps patriae conditio-
 nem ciuitate donatorum semper commemorat, atque hanc sententiam pro-
 bari Paulo Manutio, viro doctissimo, cum eum conuenissem, testor.

DE M. CAESIO HVIVS PRAENOMINIS

Secundo, viro Praetorio

Caput VI



SUBICIAM nunc eos, quos P. Caesio filios, aut fuisse, aut per
 aetatem esse potuisse intelligo: ac duos quidem, quos proxime
 proponam, Praetorios putandos existimo. Quippe alterum
 extitisse, graui testimonio M. Tullij confirmo, alterum aliquot
 bonis coniecturis apud eundem auctorem adducor, ut vel
 Praeturam, vel similem certe magistratum gessisse credam. Quae cuiusmo-
 di sint, ostendam suo loco, nunc ordinem sequens temporum, de eo, quem
 priorem nominatum, & priori didici muneribus in Republica functum,
 hoc est, de M. Caesio agam. Cuius Praetura incidit in annum post V. C.
 DCLXXVIII Consulibus L. Octauius, C. Aurelius Cotta illo, qui huius
 ipse

ipsum anni incommoda apud Sallustium hunc in modum exponit. *Consules
 nos fecistis, Quirites, domi, bellique impeditissima Republica: namque Imperatores
 Hispaniae stipendium, milites, arma, frumentum poscunt, & id res cogit, quoniam
 defectione sociorum, & Sertorij per montes fuga, neque manu certare possunt,
 neque utilia parare; exercitus in Asia, Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis alun-
 tur. Macedonia plena hostium est, nec minus Italiae maritima, & prouinciarum,
 cum interim vectigalia parua, & bellis incerta vix partem sumptuum sustinent,
 & reliqua. At profecto Cotta, tantumdem dolendum nobis est, tui illius an-
 ni, atque aetatis perpetuos annales deesse, de cuius tu difficultatibus tum que-
 rebare. Praetorem in tuo consulatu habemus M. Caesium, sed deperdita Grae-
 cis, ac Latinis historia T. Liuij monumenta post annum à principio Urbis
 DXXCVII. nulla sunt. Dionis libros ante annum DCXXCV. omnes
 desideramus. reliquas historias, si quae ad horum similitudinem fuerant ex-
 plicatae, ac continuatae, vetustas consumpsit; vix epitomas quasdam, frag-
 menta, ac reliquias tenemus, in quibus cum bellicarum rerum, militariumque
 hominum, propter breuitatem valde manca, tum ciuilium disceptationum,
 urbanorumque magistratum, atque in pace prouincialium assidua praeteri-
 tione nimis est obstructa cognitio. Imperfecta vero historia, ut inter infinita
 Legatorum, Tribunorum, Aedilium, Praetorumque nomina plures numera-
 remus Caesios, sic magis perspectum Praetoris huius M. Caesij magistra-
 tum, ac tempus haberemus. Quamquam de homine ipso si nihil praeterea
 aliud reperiatur, illud certe non parum aestimandum est, quod ex eo Ca-
 sium familiam Reipublicae clarissimis temporibus, & Senatoriam, quod ma-
 ximum erat in principe terrarum ciuitate, & Praetoriam fuisse cognoscimus.
 Praetorij autem magis reliquae cedebant, quam ipsae Consularibus. Non
 enim praetermittatur à me, ut dicam habuisse Praetorium illud munus au-
 ctoritatem paene principis, Praetoresque Consules appellatos, & absentium
 Consulium munus sustinere solitos more maiorum, ijs cum populo, patribusque
 agendis ius fuisse, ijs neminem intercedere potuisse, eorum potestati cunctos
 paruissse. Ceterum quia Romani Praetores primum ius dicebant in urbe, de-
 inde in prouincias ibant, de M. Caesio, cum Praetor urbanus esset, aperte
 M. Cicero in Verrem verba fecit. At urbanorum Praetorum munera quae-
 dam communia erant, videlicet, dare iudicia, optimum quemque in selectos
 iudices referre, iuris disceptatores, ac custodes esse; vim fieri vetare, restitui
 factum iubere, denique de omnibus priuatorum controuersis interdicare,
 alia vero quaedam propria, quae inter se sortito diuidebant. Nam alius de
 pecunijs repetundis, alius de ambitu cognoscebat; ad alium veneficij, ad alium
 peculatus quaestio pertinebat; hic inter ciues, ille inter peregrinos, saepe
 duo inter sicarios iudicabant, etiam saepe duo fartis tectis templorum, de
 quibus causa dicebatur, praesidebant. Itaque inter sex, ac deinde plures Prae-
 D. 2 tores*

tores hunc in modum annuae iurisdictionis Urbanae officia distribuebantur. M. Caesij, cui collega C. Licinius Sacerdos obtigit, fors fuit factorum tectorum curandorum. Habebat hoc proba illa priscorum Romanorum aetas, vt Religionis esset obseruantissima, omniq. opera, ac studio aedes Deorum vel nouas extrueret, vel veteres repararet; quod quidem faciendum etiam pius illud Q. Horatij carmen admonet. *Delicta maiorum immeritus laes Romane, donec templa refeceris, Aedesque labantes Deorum, Et foeda nigro simulacra fumo.* Sed haec curatio ordinaria, ac praecipua fuisse traditur Censorum: quo magistratu neque sanctior vllus, neque seuerior habebatur. quamquam & Aediles ipsos huic negotio incubuisse animaduerto. Ad Praetores plane nihil attinuisse existimo, nisi ob hanc causam Senatus consultum fieret, quod cum alias opinor, tum Lucio quoque Octauio, & C. Cotta Consulibus factum est, anno, vt dixi, quo M. Caesius Praetor in vrbe fuit; cui, & C. Sacerdoti collegae testatur Cicero, negotium datum fuisse ab Senatu, cum aedes sacras Consules (pro Censoribus puto) locauissent, omnia facta tecta exigendi. Porro facta tecta aedium sacrarum curari dicebantur, cum aedes ab omni detrimento conseruabantur. Itaque fuit M. Caesij Praetoris, & collegae extraordinarium officium, vt qui homines aedem Dei alicuius aut tuendam, aut reficiendam habuissent, idque oneris suscepissent; vt templum omni opere esset integrum, laqueatum, vndique tectum, columnis ad legis numerum ornatum, de ijs diligenter cognosceret, ac iudicaret: quem admodum didicimus ex M. Tullij libro tertio in Verrem, qui Marco Caesio in Praetura successit, & quaestum ex ea factorum tectorum cura improbitissimum fecit. M. autem Tullius, quo anno M. Caesius Praeturam exercuit, erat in Sicilia cum Praetore Sex. Peducaeo: nec nisi septimo anno post Caesij Praeturam, aedilitatem gessit. At M. Caesius, quinto decimo post P. Caesium seniore civitate donatum, Praetor fuit. Et quoniam non ante annum aetatis quadragesimum quisquam esse Praetor Populi Romani per leges poterat, annum quintum, & vigesimum agebat M. Caesius, cum Publius civitate donabatur: cuius si filius est Marcus, parentis dignitas ostenditur. cum eius recepti in civitatem tam cito liberi ad summos honores peruenerint; namque ante Praeturam, Marcus iam Quaestura, & fortasse Legationibus, atque aut Aedilitate, aut Tribunatu functus fuerat. at Publius si non est prognatus Marcus, magis, atque magis confirmor, fuisse in vrbe Caesios ante Publium; cuius parentes quoniam fortassis municipijs delectati domicilium Romae non habuerant: Publium oportuit ius optimum civitatis rursus acquirere, atque obtinere, sedemq. fortunarum intra urbem, quasi postliminio rursus ponere. Ceterum, quia ex Praetura, vt dixi, in prouincias ire solebant, non equidem affirmare possum, in quam M. Caesius profectus fuerit. collegae quidem ipsius Caio Sacerdoti Sicilia obtigit; Octauio Consul

teri

teri Cilicia; alteri, nempe C. Cottae Gallia: Metellus, & Pompeius in Hispanijs aduersus Sertorium bellum gerebant; M. Fonteius in Gallia Narbonensi, & Comata; Curio in Macedonia, de qua postea triumphauit. Nondum Creta, Bythia, Cyprus à Romanis Praetoribus administrabantur. Maxime verisimile mihi fit, vt vel in Sardiniam, vel in Africam Praetor iuerit, quae quoniam firmata pace ambae fruebantur, qui bellorum summam, ac triumphos annotarunt, de earum Praetoribus meminisse nihil necesse habuerunt. Etenim non Praeturae solum, & reliqui inferiores magistratus, in eiusmodi scriptoribus desiderantur, verum ipsi interdum quoque Consules. De C. Sacerdotis autem prouincia Sicilia nesciremus, nisi M. Tullio, propter ipsius, & Quaesturam, & accusationem Verris vsu venisset, vt commemoraret. Atque haec de M. Caesio, propter quem scimus Praetorium fuisse genus Caesium in Romana ciuitate.

DE P. CAESIO IUNIORE VIRO GRAVI & Ciceronis amico Caput VII



I Praetorem hunc quoque P. Caesium dicerem, non fallerer fortasse: praeter institutum tamen facerem meum, qui nisi certissima mihi de ceteris asseueranda non proposui. at dubius apud M. Tullium locus est, vbi nominatis Praetoribus, C. Sacerdote, M. Caesio, factum inquit esse S. C. quibus de factis tectis cognitum, & iudicatum non esset, vti C. Verres, P. Caesius Praetores cognoscerent, & iudicarent. nam pars magna, qui in manibus sunt, librorum Publium non Caesium magis, quam Caesium habet. Itaque ne non necessaria oriatur parua de re altercatio; quamquam Publij praenomen Caesiorum frequentissimum, fere nusquam in Caesij vidi, tamen quia exigui officij causam etiam in P. Caesio poeta antiquiore pluribus egi, (licet alia, ac iusta ratio rei litterariae iuuanda fuerit,) ne longior sim, veniam potius ad ea, quae sunt exploratissima. Etenim ad P. Caesium in libro ad P. Memmium Epistolarum perbreuis est haec, ac peruulsa M. Ciceronis. *Cicero P. Caesio S. D. P. Messienum, Equitem Romanum, omnibus rebus ornatum, meumq. per familiarum tibi commendo ea commendatione, quae potest esse diligentissima; peto à te, Et pro nostra, Et pro paterna amicitia, vt eum in tuam fidem recipias, eiusq. rem, famamq. tuare. Virum bonum, tuaque amicitia dignum tibi adiunxeris, mihiq. gratissimum feceris. Vale.* Non ego iam coniecturis, non argumentis dignitatem P. Caesij extollam; quem si verbis eiusmodi commendatum alij videre mus, magni profecto tamen aestimandum duceremus, nunc vir ornatissimus tam diligenter ei à principe civitatis commendatur. ne quid amplius differam. si priuatis fuit P. Caesius, quam tandem eius auctoritatem, existima-

D 3


tionem,

tionem, locum, inter summos patronos arbitramur fuisse, qui priuatus ornatisimos equites Romanos in fidem recipere, qui posset non mediocrium hominum rem, famamque tueri? qui patrocina susciperet, rogante M. Cicerone; non solum consulari, ac primario viro, ac patrono, sed cum ipsius, tum patris eius amico summo; expendant, quis commendet, quis commendetur, qualis sit commendatio, non iure consultum, (soliti enim iure consulti alijs potius commendari à Cicerone. quam rogari) non Senatorem leuem P. Caesium existimabunt. egebat enim Ciceronis pars bona Senatorum commendationibus; sed grauem quidem, ac nobilem Patronum; grauem, gratiosumque Senatorem iudicabunt. At mauis opinari, gessisse tum magistratum P. Caesium, laudem dicis Caesiae familiae, cum homines ex ea pluribus honoribus perfunctos autumas: atque eo quidem libro Epistolam ad P. Caesium scriptam legimus, in quo praeter Memmium, quem priuatum fuisse suspicor, omnes, ad quos scribitur, in magistratu fuisse intelligimus: accidit autem, vt cum Epistolae libri eius, qui est tertius dicimus, scriptae sint ad homines quinque, ac viginti circiter, quorum alij Consules, Proconsules, aut Imperatores, alij legati, Praetores, Propraetores, Quaestores, Proquaestores nominentur, haec fuerit ad P. Caesium media inter omnes collocata, ne dubitarem scilicet, quin ille cum Imperio, magistratusue potestate ageret. Sed alios, aut ex inscriptione, aut ex argumento, aut ex repetita eiusdem mentione, aut ex historia percipimus, quibus essent praenomina, quibus in locis, quo honore fungerentur. in alijs nullo modo haec conijcere possumus, exempli gratia C. Titium Praetorem Vrbanum ex inscriptione accepimus: Cluuium praefuisse Galliae ex argumento: Q. Philippum nesciremus, vbi tum proconsul esset, nisi ex repetita alijs in locis L. Egnatij commendatione, cuius in Asia fuisse negotia demonstrantur: Allieni Proconsulis in Sicilia, atque aliquot aliorum praenomina nisi ex historia non nouimus. Iam vero vbi Q. Curtius Ancharius, vbi Culleolus Proconsules essent, ignoratur. quod munus gereret C. Munatius, cui Liuincium; M. Rutilius, cui Sextium, P. hic Caesius, cui Messienum commendat Cicero, scire non possumus; nisi suspicari aut Romae, aut in prouincijs Praetores fuisse. Messieni nulla est alibi mentio in M. Tullij monumentis. alicubi in lapidibus, praesertim Nouocomi. Sed missa ista faciamus. illud potius inuestigamus, cur pro paterna amicitia P. Caesium M. Tullius roget, hac enim cogitatione adductus, non existimauit eundem hunc esse cum P. Caesio ciuitate donato; qui quoniam Italico bello operam egregiam nauarat, & ob virtutem praemijs affectus fuerat, videtur ea aetate fuisse, qua Ciceroni parens esse posset, agenti ea tempestate annum sextum decimum circiter. Quod autem haec Epistola iudicio omnium scripta est post consulatum, atque adeo post exilium Ciceronis, asperum factu apparet, post annos quadraginta

ginta, tot enim fere sunt à Consule Cn. Pompeio Strabone, qui P. Caesium ciuitate donauit, ad Ciceronis Procursulare Imperium, circa quod tempus scripta haec Epistola iudicari potest: eum qui Cicerone puero constanti aetate vir fuisset, ac liberos, (si modo M. Caesius Praetor Publij filius fuit) ante Ciceronem natum annis multis suscepisset, rogari à Cicerone pro ea amicitia, quae sibi cum illius parente intercessisset: asperum etiam, vt ei, qui Ra-uennae viueret, sicuti testatus est in Corneliana Cicero, tanquam patrono commendaret splendidos Equites Romanos. Quamobrem multo sane credibilis est, hunc Publium, quem iccirco Iuniorum appello, Publij illius Caesij, qui belli socialis militiam pertulit, sanguinem esse, Marcumque Tullium, qui se ait in XII. Antoniana, Tyronem in exercitu Cn. Pompeij Consulis aduersus Marfos meruisse, amicitiam, quod accidere commilitonibus solet, cum eo primum iniuisse, ac propterea hunc eius filium pro paterna ea amicitia rogare. Quae si accipimus, testimonio illi Velleiano de Magio atuo suo, cuius ob virtutem in Marfico bello viritum ciuitate donati, filios duos creatos Praetores scripsit, simile factum habemus. Eodem enim bello aeque P. Caesius ciuitatem assecutus, filios (si affirmari potest) duos hos Praetorios Marcum, & Publium habuisse existimabitur. Ceterum fuerant, & antea Romae, & erant Arpinj Caesij Ciceronibus amicitia, & cognatione proximi: ad quos, qui de P. Caesio Seniore non assentitur, horum vtrunque referat. Eundem vtriusque causam paene iccirco coniunxi, quod amorum apud eundem facta sit mentio; quod ambo non ita diuersis temporibus existiterint; quod in ambobus laus forensis simillima, idemque gerendarum honorum studium videatur; quod ambos, aut fratres inter se, aut alterum parentem, alterum filium suspicari potui: postremo quod nullum alium tam belle cum altero horum coniungi, quam horum alterum animaduerti. Disiunxi tamen, ac duobus capitibus de ijs egi, ne temere, ac sine auctore fratres eos pronunciasse dicerer.

DE P. CAESIO AEDILI, ET PVBLICANO,
ac de quibusdam alijs PP. Caesijs.

Caput IIX



OST Publios Caesios priorem illum equitem Romanum ex M. Ciceronis oratione, & iuniorem illum Senatorem, ex eiusdem Epistola, nemo huic anteponebatur; vel quia Aedilis, vel quia sine cognomine est. Sic enim pertinere eum iudico ad tempora Reipublicae, quibus Caesij nullo sunt vti cognomine:

Post Augusti vero, & Tiberij principatum plurimis eos cognominibus deletatos intelligo. visitur haec inscriptio Luceriae, & ab Aldo Manutio relata est in volumen Orthographiae suum: cui alij Publilij Caesij adijciuntur, si prius quae ad hunc pertinent, explicata fuerint. Quinctam illam notam ROM. quidam contendit esse interpretandam, Romanus, ut sit cognomen tum P. Caesij, & sane posteriores aliqui Caesij hoc cognominis habuerunt. sed ego malo, sit Romilia, ut Tribum eius significet. Neque enim patitur observatio, cognomen notis potius occultari, quam expressis litteris describi. Tribum vero etiam sine cognominis comitatu adscribi patitur. Quod Aedilem se Sorae dicit, ne mirum istud sit, & eversa, & stante Republica licuit magistratum in Municipijs gerere ciuibus Romanis. Milo, quo tempore consultatum petebat, Dictator erat Lanuij: & duo Cicerones adolescentes Marci, & Quincti filij, Aediles cum Marco Caesio Arpini fuerunt, ut suo loco dicemus. Non est autem superuacaneum, quod se Romae Publicanum ait. Equites enim Romani, tam Romae, quam in omnibus Prouincijs Publicani munus exercebant, ut narrare mihi permisi in Cnaeo, & Sexto Caesijs. Quod ad Arrium Pedatum Hilarum attinet, si libertus est, fortasse Caesio vel adsignationis beneficio, vel hereditatis obtigerat. etenim Caesiae Familiae nomen Arrius obtinisset, si manumissus à P. Caesio fuisset; gratum se tamen ostendit, quod patroni memoriam honesta inscriptione immortalem esse voluit; aut potius carus P. Caesio libertus hic fuit, cui Patronus, ut benemerenti monumentum posuit. Quanquam, mea sententia, L. ME. libens merito interpretari potest; Arriusq. Pedatus intelligendus est ob amicitiam statuae, aut titulum P. Caesio Aedili posuisse libens merito, aut ab ipso libente monumentum accepisse. Ceterum C. Plinij Iunioris Epistola ad Traianum vndecima, his verbis clauditur. *Rogo indulgeas Ius Quiritium L. Satrio Abascanto, & P. CAESIO PHOSPHORO, & Panchariae Soteridi, quod à te, volentibus patronis, peto.* Sed quin P. Caesij Phosphori liberti Patronus necessario fuerit Publius aliquis Caesius, sicut Abascanti Lucius aliquis Satrius, nemo erit, qui dubitet. Quamobrem P. praenomen Caesio Sabino, de quo alibi libenter addidissim, cum Publiorum Caesiae gentis libertorum eo Sabini tempore viuientium memoria exstet, nisi alij quoque Caesij praeter Sabinum inuenirentur. Quod ad ius Quiritium pertinet, quod petente patrono Plinius Traianum Phosphoro rogat, sciendum est id, quod & accurate Caius I. C. statim ab initio suarum institutionum tradit: & verò accuratissime Theophilus Titulo Quin

Et suarum; Libertorum ijs temporibus tria genera fuisse, nempe aut dedititios eos, aut Latinos, aut ciues Romanos vocatos; dedititios nulla ratione ad ciuium Romanorum numerum peruenire potuisse; Latinos Patronorum beneficio ciuitatem Romanam adipisci solitos; hoc est ius Quiritium, quod Plinius ait. intelligimus itaque Latinum libertum fuisse Phosphorum. Latini autem intelligebantur, si legitima, vel aetas, vel domini iura abfuisent: atque aut per Epistolam, aut inter amicos, aut in conuiuio manumissi essent, ij nec testamenta condere, nec hereditates inire poterant, vt liberti ciues Romani, qui optima conditione erant; atque ij vel vindicta, vel censu, vel testamento manumittebantur: pro quibus si Patroni voluntas ferret, video Caesaris Principis summam potestatem adhiberi solitam. Neque vero hoc loco, quamuis occasio sit, aut quid ius fuerit Quiritium disputabo, (quaestio est ab eloquentissimo viro, Carolo Sigonio diligenter pertractata) aut cur, *volentibus patronis*, addiderit Plinius, explicabo. Praeclare ex Iureconsultis didicimus, quanti referat. quin Plinius ipse studiose id semper obseruat, ne particula haec desit. nam alibi ad Traianum eundem. *Item rogo, inquit, des ius Quiritium Libertis Antoniae Maximillae ornatissimae feminae, Aeliae, & Antoniae Harmeridi, quod à te, petente patrona, peto. Seruis enim per fraudem, aut inuito, & inscio domino quaeri libertatem haud decet.* Sed ex iisdem Plinij Epistolis, quod ad Latinos pertinet libertos, opportune hanc afferam; ex qua quilibet conijcere possit, ius legitimum eos manumitti, qui futuri essent ciues Romani, ad Imperatores delatum. *Plinius Traiano. Valerius, Domine, Paullinus, excepto vno, ius Latinorum suorum mihi reliquit; ex quibus rogo tribus ius Quiritium des: vereor enim ne sit immodicum pro omnibus pariter inuocare indulgentiam tuam, qua debeo tanto modestius vti, quanto plenior ex perior. sunt autem, pro quibus peto, C. Valerius Aestiacus, C. Valerius Dionysius, C. Valerius Aper.* atque sane Traianus ab se id concessum rescribit, atque in commentarios suos referri iussit. Ceterum, neque illud tacendum reor, quod auctor, & diligens, & qui plurimum libris manuscriptoris vsus est, pluresq. Plinij Epistolas legit: quam quas hodie editas cernimus, idem Cuspinianus in Casiodori commentarijs crebram scribit esse mentionem Siluani Caesij in Epistolis Plinij; at ipsa in vulgatis codicibus semel tantum nomen reperio Caesij Siluani, in quem Suetonius Tranquillus propinquus eius sollicitè petit, transferri Tribunatum; quem Plinius à Neratio Marcello ipsi impetrarat. quare hoc totum, quibus sunt exemplaria manuscripta, dispiciant. Ego id quoque pertinere arbitratus sum ad confirmandum Caesiorum nomen apud Pliniam, cuius Epistolae, & Martialis epigrammata, duorum illius saeculi luminum, quam constanter ad Caesij Sabini dignitatem consentiant, expendimus; cum praecipue fidem facerent aetas eadem, studia eadem, communes amici, historiae, sapientum sensus, & coniecturae.

DE P.

DE P. CAESIO P. L. CRESCENTE
Curatore Reg. xiiij. Caput IX

REG. XIII
CVR

P. CAESIVS. P. L. CRESCENS
DENVTIAT

SEX. LICINIVS. SEX. L. EVTYCHVS
VICO. FIDII



CCEDAT nunc fortasse socius P. Caesij Phosphori P. Caesius Crescens, ex Hadriani temporis magna, optimaq. inscriptione, quam in ponticu Capitolina positam, Aldus Iunior in Orthographiae libro edidit. Nam anno post urbem conditam DCCCLXXXIX. L. Ceionio Commodo, Sex. Metu leno Ciuica Pompeiano, Consulibus, dedicarunt basim cum statua Hadriano Imperatori Curatores, Denuntiatores, & Magistri Vicorum urbis Regionum XIII. At in marmore tertio descripta Regio est tertia decima, vt ex inscriptione modo ostendimus. ex qua particula cernimus, P. Caesium P. L. Crescentem, caput esse, & Curatorem Regionis tertiae decimae. Fuit porro Curatoris nomen valde amplum, & commune, quemadmodum in lapidibus legimus, in quibus Curatores locorum publicorum, Curatores Tabulariorum publicorum, Curatores operum publicorum, Curatores riparum, ac aluei Tiberis, cloacarum, viarum, Curatores corporis, hoc est societatis alicuius, Curatores publicae vel sacrae pecuniae, Curatores frumenti, & Annonae obseruamus. Curatores Tribuum nominat M. Varro lib. V. de lingua Latina. *Cum omnes Quirites, inquit, pedites armatos, primatosq. Curatores omnium Tribuum, si quis pro se, siue altero dari rationem volet, voca inlicium huc ad me, hos putant, vt in vicis Vicorum Magistri factitant, sic in Tribubus Tribuum commoda prouocasse.* Plautus etiam Magistros Curiarum nominat, forte eosdem cum Curatoribus, quos Curiae Curatores Casiodorus septimo variarum appellat. atque haec in vrbe, nam extra in Municipijs, & oppidis alij Curatores erant; vt Brixiae Curatoris Reipublicae Bergomatum, & Comensium mentio fit; Perusiae Curatoris Reipublicae Veronensium; Mediolani Curatoris ciuium Roman. Mogunciatium; Romae Curatoris ciuitatis Interamnatum Nartium, vt ex vetusto lapide descripsit Iulius Iacobonius, vt videre est in suo de patriae antiquitatibus commentario, cuius exemplum est huiusmodi:


E 2

L. IVLIO

L. IVLIO. L. F. PAL.
I V L I A N O

PRAETORI. CVRATORI
CIVITATIS. INTERAMNA
TIVM. NARTIVM. PRAEF
MINICIA. PROCONSVLI
PROVINCIAE. ACHAIAE
LEG. LEGIONIS. SECVND
AVGVST. LEGAT. AVG
PROPR. PROVINCIAE. AQVITA
NIAE. OPTIMO. PRAESIDI
HOMINI. BONO

Et alibi multi dicuntur Curatores civium Romanorum, alicuius Prouinciae. Lampridius in Alexandro, Imperatorem fecisse scribit Curatores urbis quatuordecim, sed ex Consularibus viris, quos audire negotia urbana cum praefecto urbis iusserit. Atque de Curatoribus satis, ac super, quod ad P. Caesium Crescentem Curatorem attinet. Quod superest propter Publij praenomine similitudinem inscriptionem addam, quam marmoream in sepulcretis Viae Latinae nuper inuentam, licet rudem, & ignobilem ab amico dono accepi, ea est huiusmodi.



In qua duo animaduerto non ita multum in vfu posita: primum quod alibi nusquam vidi: SE, in casu nominandi positum; nam si casus alius esset, haud conueniret SE VIBVS, pro viuis, aut viuo positum; quam litterae commutationem non esse nouam intelligo. cur autem LIBERTQ. POSTERQ. in constanter puncto collocato incisum sit, ociosi viderint.

DE

DE CN. CAESIO EQ. ROMANO, DECVMANO
in Sicilia Praetore C. Verre, Item de Cn.
Caesio Zosimo Caput X



T incorruptius de Cnaei Caesij, conditione statuamus, illud in memoriam reuocemus, duo genera praecipue in Romana Republica fuisse eorum, qui contempto otio ad excellentiores urbibus necessarias occupationes descenderunt, quibus reliquis suis ciuibus facile splendore, atque existimatione praestarent; ex ijs generibus alteros delectauit amplissimus ciuitatis gradus, sella curulis, fasces, imperia, prouinciae, sacerdotia, triumphus, imagines; atque hi Senatorij ordinis, illiusque imperij caput, atque decus existere, alteri vectigalibus redimendis, tributis exigendis, portorijs, & scripturis exercendis, decumis emendis, pecunijs credendis, magnis, atque amplis negotiationibus, sodalitatibus contrahendis, fortunis, bonis, atque honestis rationibus amplificandis, conducendis, locandis, procurandis, agris, praedijs, pecuarijs vacare maluerunt. Hi vero Publicani erant ordini Senatorio dignitate proximi, Equestris ordinis flos, praesidium, atque, vt M. Cicero docet, firmamentum Reipublicae. hi populi Romani aerario subuenire, locupletare amicos, mittere in negocium, dare partes, augere, fide sustentare, cum animi magnitudine, tum largitate principes viros repraesentare poterant. ijdem erant magno adiumento in honoribus petendis, ab ijs census, ex quo Equites spectabantur, honestissime augebatur; per eos liberis Equitum Romanorum facilior ascensus ad summos gradus parabatur. Sed ex Caesia familia, qui magistratus urbanos omnes, municipales, ac prouinciales administrarint: qui iuris prudentia, ac litteris, qui domi, foris, pace, & bello claruerint: qui denique in priore illo genere sint reponendi, longe plurimos habemus; qui hoc alterum genus adamasse, atque re augenda non avaritiae praedam, sed benignitati instrumenta, genereque amplitudinem quaesisse vidicantur; cum alios, tum in primis hunc Cn. Caesium reperimus. Nam Cnaei praenomen addunt, huic Caesio publice descripti libri Venetijs, atque alibi ex fide codicis, & antiquissimae scriptionis, & lectionis emendatissimae, quem olim Aemilius Ferretus Saluiati in amplissimo ordine viri spectatissimi commendatione habuit, edidit, curauit; vulgata autem exemplaria, pro Cnaeo, Marcum suggerunt; forsitan deprauante quopiam, qui Marci Caesij Praetoris nomen in iisdem in Verrem orationibus ante legerat; quamquam praeter studium optimorum codicum sequendorum, nihil est, quo mouear ad praenomen alterum, omisso altero, retinendum. Itaque ad Caesij munus accedam: quod exercuit in Sicilia, cuius prouinciae erat omnis ager decumanus, etiam ante

E 3 impe-

imperium populi Romani ipsorum Siculorum voluntate, & institutis. Consulibus autem, atque interdum Cenforibus Senatus permittebat, ut vini, olei, frumenti decumas Romae venderent; quo tempore ad hastam accedebant, qui decumas emerent decumani. Alias Praetores ipsi Siciienses in prouincia decumas addicebant; quae tamen exigendae erant frumentaria lege Siculorum. Quibus optime consultum fuerat, nisi Caius Verres omnia perturbasset; in cuius Praeturam omni flagitio, scelere, auaritia coopertam incidit Cn. Caesius cum munere decumani. Nam Equites Romani, qui publicani erant, publica quoque vectigalia, ac tributa quaestus sui gratia redimebant, alij decumani, alij portitores, alij pecuarij dicebantur; honoratissimi autem putabantur decumani. Itaque stomachatur saepe M. Tullius, grauissimeque accusat Verrem, qui cum decumanus ipse non obscure esse vellet, ut praedari posset, certos instituerat falso nomine decumanos, re vera satellites cupiditatum suarum. Erant etiam Venerij quidam serui, *nouum*, inquit, *genus publicanorum*, quos, & ipsos exagitat, & apparitores, stipatores comites ex cohorte Praetoris, procuratores, ac administratores rapinarum. Namque, & Accensum vnum e ministris decumas Herbitenses emisse queritur; & Diognetum seruum Venerium Tiffenses, quo exemplo, atque auctore Verre non dubitandum ait, quin Romae serui publici ad vectigalia accedant. Quod idcirco commemoravi, ut magis appareant boni viri, atque honesti Equites Romani vere mancipis, ac decumani. Nam Q. Minucium narrat Equitem Romanum in primis honestum decumas agri Leontini emere voluisse, sed Verrem Apronio minoris vendidisse; meminit etiam nobilium Equitum Cn. Sergij, ac Sex. Vennonij decumanorum, simulque Cn. Caesij, quos quamuis caeteros grauissime, atque acerbissime infectatus sit, nullo verbo vel leuiter perstrinxerit, ac praesertim ipsum Caesium iterum, ac tertio nominat sine vlla criminis suspitione. Huic dicit Amestratinorum anni primi decumas addictas. Anno secundo, quid egerit, non narrat, anno tertio refert eum Calatinas decumas exegisse. Verum, ut de re tota iudicari ab omnibus queat, subiiciam ipsa M. Ciceronis verba ex quinto in Verrem libro. *Quid? Amestratini miseri; impositis ita magnis decumis, ut ipsis reliqui nihil fieret, non ne tamen numerare pecunias coacti sunt? addicuntur decumae Cn. Caesio, cum adessent legati Amestratini: statim cogitur Heraclius legatus numerare HSXXXI. quid hoc est? quae est ista praeda? quae vis? quae direptio sociorum? si erat Heraclio ab Senatu mandatum, ut emeret; emisset, si non erat, qui poterat sua sponte pecuniam numerare? Caesio renunciat se dedisset. cognoscite renunciationem ex litteris. Recita ex litteris publicis; quo S. C. erat hoc legato permissum? nullo. cur fecit? coactus est. quis hoc dicit? tota ciuitas, recita testimonium publicum. Ab hac eadem ciuitate anno secundo simili ratione extortam esse pecuniam, & Sex. Vennonio datam ex eodem testimonio cognouistis;*

At

At Amestratinos homines tenues, cum eorum decumas medimnis DCCC. vendidisses Banobali Venerio; (cognoscite nomina publicanorum) cogis eos plus lucri addere, quam quanti venierant, cum magno venissent; Dant Banobali medimnas DCCC. HS. M. D. profecto nunquam iste tam amens fuisset, ut ex agro Populi Romani plus frumenti seruo Venerio, quam Praetori tribui pateretur, nisi omnis ea praeda serui nomine ad istum ipsum perueniret. ac paullo post: Calatinis quamobrem imperasti anno tertio, ut decumas agri sui, quas Calatae dare consueuerant, Amestrati Cn. Caesio decumano darent. quod neque te Praetore illi fecerunt, neque tu ipse hoc ita statueras antea per biennium. Duplex hic locus est, vbi nominatus Cn. fuit Caesius, à quo priuatim nullam arrogantiae, iniuriae, asperitatis significationem factam ostendit. si qua est iniquitas, ea tota Praetoris est, nulla bene sui negotij gerentis Equitis Rom. An vero si quid Apronij simile gessisset Caesius, non excurrisset vehementissimus accusator? non crimen more suo amplificasset? ex diligente cupidum, ex cupido auarum, ex auaro rapacissimum fecisset. non enim tam spectandum est, quid non Cicero dixerit, sed quid accusator dixisset, si vere, aut probabiliter potuisset: neque postulandum ab eo fuit, ut rationem Cn. Caesij haberet, qui nulli vnquam pepercisset. Verum qua in re merito reprehendus sit Cn. Caesius, non satis dispicio; vbi commendandus, intelligo. Etenim cum per iniquissima Praetoris edicta debacchari illi in Siculos liceret, nusquam tamen quemquam laesisse legitur, nullum proprium Cn. Caesij factum accusatur. edixerat Verres, quantum decumanus edidisset, aratorem sibi decumae dare oportere; improbi decumani, & quantum is exarauerat, & plus etiam poscebant. nunquam edixerat Verres, ut arator decumano, quo vellet decumanus, vadimonium promitteret. nihil egisse hoc praetextu reperitur Caesius. edixerat idem Verres, ut qui aratores ex edicto professi non essent, in ius raperentur: hic tu Apronium illum, Docimum, Turpionem, reliquosque simillimos regnare vides, nusquam Caesium. Sed an sub praedone Praetore continentur, ut pauci: atque innocenter Cn. Caesius se gesserit, an ea animi solertia fuerit, ut dignus etiam maiore aliquo negotio putare potuerit: an magnas habuerit publicanorum, & cum magistris plurimarum societatum rationes initas, non quaero: honorificentissimas fuisse eiusmodi negotiationes confirmatum arbitror. Cn. Caesio vero praenomen in Caesijs, ne propter nouitatem rei iudicandum à Cn. Caesio videatur, quem codices alij Mar-

cum habent, adiungam suo loco vetustam inscriptionem, quae visitur in hor-

tis Caesijs in tabella

marmorca.

DE SEX,

DE SEX. CAESIO EQVITE ROMANO
cum Asiae Praetore L. Valerio Flacco

Caput XI



VI magistratus olim in prouincias mittebantur, praeter Quaestores, quos sortito ab ipsa Republica; praeter legatos, quos publice accipiebant, aliquos quoque ducebant, qui aut contubernales dicebantur, & Senatorum plerumque filij erant, aut ex comitatu Praetoris, & intimi appellari solebant. Hos ex domesticis conuictoribus secum esse voluerunt. Ac de Senatorum filijs illud opportune occurrit, quod postea Caesar Dictator sanxit, ne quis eorum nisi vel contubernalis, vel magistratus comes in prouincias proficisceretur; comites deligebantur, vt quique maxime Praetorem cognitione, affinitate, necessitudine aliqua attingebant. Itaque quid de Sex. Caesio Equite sit existimandum, fere praescripsi. facit vero M. Tullius, ne existimare temere possimus, quod eum primum inter primos, quos viros primarios vocat, & hominem castissimum dicit, & integerrimum; cuius L. Valerius Flaccus ad eandem res operam adhibuit, in quibus legatos suos, atque ordinis Senatorij viros exercuit. ac sane etiam & maiora, & illustriora in Praetorem Sex. Caesium officia constiterunt. Quemadmodum autem, qui cum imperio missi in prouincias fuerant, si bellum gerendum fuit, fortes, & strenuos ex amicis, & comitibus Tribunatu, & militaribus gradibus honestabant; ita si pace fruebantur, ex iisdem nauos, acres, experientesque maxime negotiorum adiutores deligebant, qui interreserent scilicet, ac praessent certis quibusdam muneribus, atque Praetorum publicis, priuatisque causis implicarentur. Horum in numerum adscribi oportere Sex. Caesium intelligimus: siue is affinis L. Valerio Flacco, siue amicus dumtaxat fuit; neque is vero aut ex equestri ordine, aut ex familia Caesia solus apud Praetores industriam posuit huiusmodi prouincialem: nam, & ornatissimi quique Equites Romani, & praeter Cnaeum, L. etiam Caesius, atque alij sunt in huiusce studij deducti similitudinem. ac de Lucio quidem proximo libro dicam. Cnaeo subiunxi Sextum, temporis ordinem secutus; & quoniam amborum in auctoris eiusdem grauisissimi, & locupletissimi M. Ciceronis est orationibus conseruata memoria: iccirco iure, sicuti paullo ante in Marco, & Publio Caesij factum est, vtriusque causam propemodum coniunctim agendam mihi duxi. Ac primum ambos suspicor, quia per aetatem licet, eodem patre prognatos P. Caesio, quem ciuitate donatum ostendimus, parente Marci pariter, & Publij Caesiorum. Rationem autem praenominum in quatuor filijs hanc illi fuisse opinor, vt Marcum vnum appellaret, quod Marcus Caesius

filius est dictus, quem antiquissimum inuenimus ex hac familia; Publium alterum diceret, vt is praenomen paternum renouaret; alium Sextum vt Sextos Pompeios patrem, fratremque amicissimi hominis Cn. Pompeij, cuius erat beneficio ciuitatem adeptus, referret, quartum Cnaeum vocaret propter ipsum Cn. Pompeium Imperatorem. Hos vero quatuor aetates interualla monent, fratres esse potuisse, aut certe fratris filios. Veruntamen, vt vt sit, de Sex. Caesio dicere aggrediar non a me magis, quam de Ciceronis verbis. Is in ea oratione, quam Consularis habuit pro nobilissimo, ac clarissimo viro L. Valerio Flacco, repetundarum reo, & Sex. Caesium ostendit cum Flacco Praetore Asiae fuisse, & eiusdem innocentiae testimonio vtitur in diluendo crimine, quod praecipuum Praetori obijciebatur: auri nempe Iudaici, de quo in hunc modum summus orator differuit. *Sequitur auri illa inuidia Iudaici. ac pallo post. Cum aurum Iudaeorum nomine quotannis ex Italia, & ex omnibus vestris prouincijs Hierosolymam exportari solet. Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret; quis est, Iudices, qui hoc non vere laudare possit? exportari aurum non oportere, cum saepe antea, Senatus, tum Consule grauissime iudicari. Huic autem Barbarae superstitioni resistere, seueritatis; multitudinem Iudaeorum flagrantem non nunquam in concionibus pro Republica contemnere, grauitatis summae fuit. At Cn. Pompeius captis Hierosolymis victor ex illo fano nihil attigit. In primis hoc, vt multa alia, sapienter, qui in tam suspiciosa, ac maledica ciuitate locum sermone obrectatorum non reliquit. non enim credo Religionem, & Iudaeorum, & hostium impedimento praestantissimo Imperatori, sed pudorem fuisse. Vbi ergo crimen est? quoniam quidem furtum nusquam reprehendis, edictum probas, iudicatum fateris, quaesitum, & probatum palam non negas, actum esse per viros primarios res ipsa declarat. Apameae manifeste comprehensum, ante pedes Praetoris in foro expensum est auri pondo centum paullo minus, per Sex. Caesium, Equitem Romanum, castissimum hominem, atque integerrimum. Laodiceae viginti pondo paullo amplius per hunc ipsum L. Peducaeum, Iudicem nostrum: Adrymeti per Cn. Domitium Legatum: Pergami non multum auri, ratio constat, aurum in aerario est; furtum non reprehenditur, inuidia quaeritur, a Iudicibus oratio auertitur, vox in coronam, turbamque effunditur, & reliqua. Qua in disceptatione cum, vt supra monui, non modo communiter Sex. Caesius primarius vir a tanto Consulari dicatur, sed solus etiam honorificentissime appelletur, & primo loco, & maiore in summa; quoniam satis illius apparet, & virtus, & dignitas, nihil addam praeterca de meo. Recitavi autem praeter institutum prolixius etiam, quam cogebat, Ciceronis locum, quod iuuat imprimis subijcere oculis, quanti facerent Iudaeos illius aetatis optimates; ac multo magis quid de ipsorum religione sentiret homo extra veri, ac immortalis Dei notitiam positus; cetero qui summus. quo circa pauculos eiusdem versus ibidem continuatos ad-*

scribam; deinceps ad reliquam conuertam. sic igitur inquit: *Sua cuique ciuitati Religio Laeli est; nostra nobis. Scantibus Hierosolymis, pacatisq. Iudaeis, athenis istorum religio, sacrorum a splendore huius Imperij, grauitate nominis nostri, maiorem infirmitatem abhorrebat; nunc vero hoc magis, quod illa gens quid de Imperio nostro sentiret; ascendit armis, quam eam. Dijs immortalibus esse, docuit, quod est sancta, quod elocata, quod seruata.* Hoc testimonio nihil antiquius apud Romanos cum habeamus, eo moueri necesse est. quod autem *Seruationem* hanc, aut seruationem originem notat, aut legendum *serua* uicta potius, quam *seruata*, ne interim plane frustra alienum a proposito locum recitarim. Ceterum Sexti praenomen tam rarum est in Caesia gente, ut vix iterum reperiat. Visitur in hortis Caesij mensa marmorea, quae Sex. Caesij *Hilari* mentionem habet, & libro proximo ostendetur. Sex autem *Fertus* Caesius Sabinus id praenominis habet ob adoptionem potius, quam ex domestica consuetudine maiorum.

DE L. CAESTO COMITE Q. TULLII CICERONIS

Asiae Proconsulis, & in calce de Caesianis

Caput XII



APRINATI Tulliorum familiae plurimum necessarios, ac familiares fuisse Caesios ex ijs, quae scripta sunt a M. Cicrone ad M. Brutum de M. Caesio magis etiam confirmatur. Cum enim Q. Tullius Cicero prouinciam Asiam Proconsule obtineret, annis post urbem conditam **DCLXXXII. III. IIII.** comes adhaesit ei L. Caesius, cum, ut diximus, proximo ante biennio similiter Sex. Caesius, Eques Romanus, in eadem prouincia cum L. Valerio Flacco Praetore fuisset; sed quemadmodum ex cognita, perspectaque omnibus Sex. Caesij integritate testimonium sumpsit M. Cicero, quo repetundarum cum L. Flaccum in iudicio defenderet, sic idem in aere carilla, atque omnium praestantissima ad Q. fratrem Epistola, primo loco posita, & hominum fama, & sua existimatione commendatam, L. Caesij prouincialem abstinentiam proposuit. Et sane Caesij accidit, ut cum testimonij gratia frequenter appellentur, (quod est sanctissimum, & verissimum genus nominandi) & id efficiant, ut non tanquam ab oratore, sed ut a teste veritatem exigamus, & longissime absint ab omni culpa, & suspitione. Etenim cum in longissima Epistola praecepta M. Tullius scriberet, quibus institutus, aut commonestus frater ita se gereret, ut moderatio animi, temperantia, iustitia, ceteraeque eius in administrando virtutes maxime ab omnibus intelligerentur,

rentur, quia magnum momentum habebat ad opinionem continentiae, praesertim in Asia, quibus quisque Praetoris comes esset moribus: propterea fratrem hortatus est, ut efficeret eiusmodi esse opinionem hominum, non modo ijs, qui aliquid accepissent, sed ijs etiam, qui dedissent, ipsum inimicum (si id cognouisset) futurum; soliti erant enim huiusmodi comites esse gratiosissimi, multumque apud Praetorem posse, multaque ab eo impetrare, aut certe quo quaestum facerent, vtrumque simulare. Veruntamen ne talibus praecipis, atque oratione M. Cicero fratrem in suos aut durum nimium, aut suspiciosum redderet, quod suspectos fortassis haberet quosdam, excepit paucos eos, de quorum probitate dubitandum non putaret, in quibus princeps est Caesius. Nam inquit, *Si quis est eorum, qui tibi biennij spatio nunquam in suspicionem auaritiae venerit, ut ego Caesium, & Cherippum, & Labeonem, & audio, & quia cognoui existimo, nihil est quod non & ijs, & si quis est alius eiusdemmodi, & committi, & credi rectissime putem. Sed si quis est, in quo iam offenderis, huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuae commiseris.* Intelligo autem ex his comitibus Praetores deligere solitos, quos certis negocijs praeficerent, & muneribus in prouincia, & dignitatibus honestarent. Cum Caesio hoc vero eundem L. Caesium omnino existimandum duco, quem breui decessurus de prouincia Quinctus vel ut fidissimum cum litteris de multis & magnis rebus ad fratrem misit, vel ut properantem ad petitionem alicuius Magistratus eidem magnopere commendauit. Sunt enim haec verba secundae Epistolae: *Nunc respondebo ad eas Epistolas, quas mihi reddidit L. Caesius, cui, quoniam ita te velle intelligo, nullo loco deero, quarum altera est de Blandemio Zeuxide.* Sed L. Caesij existat quoque nummus argenteus, de quo alibi differemus: Lucios vero Caesianos duos cum legerim alterum in libris, alterum in lapidibus, commodum factu visum est, si eorum vtrumque huic L. Caesio subiungerem. Non enim debet ex vlla gente omnino tolli, si quis propter adoptionem hereditatem alterius nominis, & pecuniae, & sacrorum secutus est. Nam & Liuij Iuliam Augustam, & Claudij Germanicum (quamquam ij in Caesarum familiam, ac nomen transiuerunt) prompte vendicant, & Domitij Sex. Neronem, vel inuiti reposcunt; & Caesij L. Caesianum virum Consularem repetunt; quem in filium L. Apronius sub Tiberio inter optimates primarius, summisque honoribus functus adoptauit. Quamobrem sicut Paulli Aemilij filius adoptatus a P. Cornelio Scipione, Scipio Aemilianus, & Octavius adoptatus ab C. Iulio Caesare, Caesar Octavianus dictus est; sic Caesius a L. Apronio viro Consulari, ac grauisimo adoptatus, Apronius Caesianus. cui quantum fert temporum ratio, natura pater esse potuit Caesius Cordus, de quo alio loco. Sed, uti memoriae prodidit Cornelius Tacitus, anno ante, quam Caesius Cordus reus fieret, adolescens Caesius iam Caesianus dici coepit, missu patris, qui in Africa Pro-

consul bellum gerebat aduersus Tacfarinatem; qui dux impiger grauibus proelijs, ac populationibus assidue Romanis molestiam afferebat, cum Equite, & cohortibus auxiliarijs, queis velocissimi legionum additi fuerant, prosperam pugnam fecit; Numidasq. in deserta pepulit. Hunc eundem Caesium in fastis Consularibus, in Dione, atque alijs historijs legimus, Consullem fuisse cum C. Caesare Caligula, anno Imperij ipsius primo, post Urbem conditam DCCLXXXII; annis XVIII, quam Caesius Cordus Proconsul Craetae, ac Cyrenarum in iudicio repetundarum conciderat. Apud Hupertum Goltium in Augusto nummus ponitur L. Apronij Caesiani, quem nummum, quia nondum vidi, fides apud Goltium sit. Comi vero, vt exstat in antiquitatibus Benedicti Iouij, viri sua aetate longe accuratissimi, ara est cum
DIS MANIBVS L. CAESIANI LARGI.

DE M. CAESIO SCAEVA MILITVM

C. Caesaris fortissimo, & Centurione

Primipili Caput XIII



IT tua fama ingens, M. Caesi Scaeva dignissime, qui tuis laudibus gentem antiquam, & claram illustres. quamquam autem (licet irasci ferreis librarijs) Imperator tuus C. Caesar, & poetae, & historici homines praenomen, ac cognomen tuum scriptis celebrarunt: nomen tamen ipsum, & Valerius Maximus, qui vetustissimum tuae gentis M. Caesium nobis antea demonstrarat, & Suetonius Tranquillus, & Plutarchus Cheronaeus conseruarunt. Sed ita vt in Valerio Maximo supini illi Typographi nomen ommitterent, veteres manuscriptores omnes vbique gentium retinerent; in Suetonio idem plerique corrumpere; in Plutarcho ignaui interpretes traducerent; scientes litterarum Graecarum, & amantes antiquitatis agnoscerent. Faciam itaque de principio, vt quis sis, omnes norint; gratiasq. tibi agant vetusti, ac celebres auctores, quod tua causa defendi se a vitijs vel imperitorum, vel negligentium, intelligant. Tu fortissime miles fortissimi Imperatoris; tu eiusdem in octauis ordinibus Centurio, ac deinceps tui ordinis omnium virtute, ac rebus gestis nobilissimus Primumpilum duxisti. Sed breuiter, vt res gesta sit, explicabo; deinde si quid ad scriptorum testimonia faciet, in medium producam. Interim emendatis vel mea, vel aliorum opera, incorruptisq. exemplaribus vtar. Bello Gallico diuturno, quo Imperator C. Iulius Caesar praeter fines, populosq. Germaniae, etiam Britanniae litus, & copias animis temptauit, M. Caesius Scaeva pedestria stipendia merens fortia, & praeclara rei militaris facinora fecit, ob quae ad Centurionis gradum ascendit. id quod

quod Annecus quoque Lucanus his tribus versibus innuit, aut potius indicat.

*Scaeva viro nomen castrorum in plebe merebat,
Ante feras Rhodani gentes, ibi sanguine multo
Promotus Latiam longo gerit ordine vitem.*

Occasionem, qua virtus exercitatisissimi militis ab optimo duce honore illo affecta est, reperio fuisse huiusmodi. quo tempore Caesar cum primis nauibus Britanniam attigit, cum naues propter magnitudinem nisi in alto constitui non possent, summa difficultas fuit militum egredi volentium, quod ignotis locis, impeditis manibus, magno, & graui onere armorum praesidis, simul & de nauibus desiliendum, & in fluctibus consistendum, & cum hostibus erat pugnandum: id Caesar scribit. aliquot igitur primi Centuriones, vt Plutarchus addit, cum magnopere perturbarentur; quia impeditos paucos Britanni plures adoriebantur, & circumstitebant, Caesarianis opem laturus scaphis longarum nauium, item speculatoria nauigia militibus compleri iussit: & quos laborantes conspexerat, subsidia submittebat. M. Caesius Scaeva, vt narrat Valerius Maximus, cum quatuor commilitonibus rate transgressus est in scopulum vicinum insulae. at postea quam maris aestus regressu suo spacium illud inter scopulum, & insulam vadum transitu facile vt esset, fecit, ceteri commilitones rate regressi sunt: solus M. Caesius immobilem stationis gradum retinuit. Illuc multitudine barbarorum affluente, & vniuersis in vnum tela conijcientibus, vnum adoriri conantibus; Caesius omnia pila diurno praelio quinque militum suffectura, vt ait Maximus, vna dextra in hostium corpora adegit: deinceps districto gladio audacissimum quemque vel vimbonis impulsu, vel mucronis ictu depellens hinc Romanis, illinc Britannis, incredibile spectaculum edidit. Postremo cum ira, pudorq. hostes quamquam fessos extrema conari cogeret, ruerentq. innumeri, Caesius Scaeva, tragula femur traectus, faxi pondere ora contusus, galea iam ictibus discussa, scutoq. crebris foraminibus absumpto; Oceano, quem hostili sanguine infecerat, se credidit: inde duabus loricis onustus nunc natans, nunc aegre nitens, amisso tamen scuto, ad suos euasit. Profecto ipsum Caesar aduentantem admirabundus, atque hilarus, item milites magno clamore, & plausu excipiebant. Scaeva tamen, vilo Imperatore, maestus concidit, cum laudem mereretur; veniam multis cum lacrymis, vt Plutarchus narrat, ob amissum scutum, postulauit. Huic fortissimo militi acclamat, & gratulatur Valerius Maximus, hunc in modum: *Tuum Scaeva in exsuperabilem spiritum in vtraque parte rerum naturae, qua admiratione prosequar nescio; quoniam excellenti virtute dubium reliquisti, inter undas ne pugnam fortiozem edideris, an in terra vocem emisseris; Et deinde, magnus praelio, sed maior disciplinae militaris memoria. Itaque ab optimo virtutis aestimatore tum facta, tum etiam verba tua Centurionatus honore donata sunt.* Atque haec historia est

ame partim ex C. Caesare, partim ex Valerio Maximo, partim ex Plutarcho collecta, ut emendatos eos auctores legere oportet, qua, anno post V.C. DCXCIX. L. Domitio, Ap. Claudio Consulibus, Marcum Caesium Scaeuam fortitudine sua, ac disciplina militari ad eum honoris gradum ascendisse ostendi. Adiciam nunc causam, cur ad Primpili ordinem ab eodem Imperatore Caesare transductus est, anno post V.C. DCCVI. G. ipso Caesare, & P. Seruilio Vatia Consulibus: quo anno illustribus illis ad Dyrrhachium dimicationibus, bello ciuili inter Caesarem, & Pompeium pugnatum est. propterea Marcus Caesius Scaeuam cum esset in octauis ordinibus Centurio, quatuor est Centurionibus praepositus; & quadringentis militibus in prima acie, & inter prima Signa Praefectus, primusq. Centurio constitutus; quod virtus eius maxime omnium apparuit. Expediam breuiter belli & locum, & tempus, & statum, quo ad cognoscendum omnia clara magis, magisque in aperto sint. Pompeius relicta Italia omnem commeatum, totiusq. belli apparatus Dyrrhachium in Macedoniae Urbem contulerat, atque prope castrametatus, late imperabat. Aduersus eum Caesar noua, & inusitata belli ratione utebatur: quippe superiorem numero Equitum, & peditum ipse longe impar, validum, & victorem, ipse percussus, & semel praelio superatus, omnium rerum copia abundantem, ipse se consumptis frumentis summis in angustijs positus, ac radicibus victitans obsidere conabatur. obsidendi consilium Caesari erat, ut Pompeij auctoritatem, qua ille maxime apud exterarum nationes utebatur, minueret: cum fama per orbem terrarum percrebuisse, illum a Caesare obsideri. Ratio mundusq. obsidendi fuit huiusmodi. Erant circum castra Pompeij permulti editi, atque asperi colles. hos Caesar primum praesidijs tenuit, castellaq. ibi communiuit: inde ut loci cuiusque natura ferebat, ex castello in castellum, producta munitione, Pompeium circumuallabat. causa, atque utilitas obsidendi duplex spectabatur. altera, quod Caesar, qui angusta re frumentaria utebatur, cum Pompeius multitudine equitum valeret, minore periculo vndiq. frumentum, commeatumq. exercitui supportare poterat tectus ijs castellis, atque munitionibus: altera quia iisdem pabulatione Pompeium prohibebat, equitemque eius inutilem ad rem gerendam efficiebat. Pompeium & necessitas urgebat, & pudor, ut aliqua erumperet. Erumpendi locus primus, & opportunus est visus M. Caesij Scaeuam castellum. quamquam huius castelli Praefectum fuisse Minucium quemdam, Appianus dicit, & Lucanus innuit: tamen Valerius Maximus, & Suetonius auctores sunt, praepositum illi fuisse Scaeuam cum vna cohorte. Certe, quod cohors non vnum Centurionem haberet, vere tradunt, qui volunt vnius castelli portae custodiam Scaeuam commissam. Pompeius igitur Caesarianos opere prohibere, munitiones impedire, & quoniam multitudine militum abundabat,

Caesaris

Caesaris copias diuersis proelijs, diuersis in locis distinere: denique hoc castello uti potiretur, nullam artem, nihil intentatum relinquere. Principio igitur spe conficiendi negocij prope in noctem rem deduxit; deinde tumulum quemdam occupauit, qui tantum aberat ab eo castello, ut telum, tormentumue missum adigi non posset. eoq. loco, quem dumeta, & densae arbores tegebant, consedit: omnesque ibi copias, hoc est, ut Suetonius testatur, legiones quatuor continuit, ita satagens, ut improuisus, atque, ut Lucanus ait, subitus, nulloq. puluere proditus castellum inuaderet. Tum autem distinendae Caesarianae manus causa, per reliquum exercitum plura castella, alia temptari iussit, ne ex proximis praesidijs succuri castello Caesij Scaeuam posset. Testatur Caesar eodie inter se, ac Pompeium sex praelia facta fuisse: tria ad Dyrrhachium, tria ad munitiones. Rebus omnibus ita comparatis aduersus castellum veniente Pompeio, cum Lucano, qui rem omnem exacte describit, dicam:

Tot simul è campis latiae fulsere volucres,
Tot cecidere tubae, ne quid victoria ferro
Deberet, paucor attonitos confecerat hostes.

Tanta sagittariorum, & funditorum, & tormentorum vis fuit, ut in castello nemo fuerit omnino militum, quin vulneraretur; quatuorq. ex ea vna cohorte Centuriones oculos amiserint; qui postea, ut Caesar ait, cum laboris sui, periculiq. testimonium afferre vellent: millia sagittarum circiter triginta in castellum coniecta Caesari renunciarunt certe qui conciderunt.

Quod solum valuit virtus, iacere perempti
Deberat quo stare loco.

Iam decrant Caesariani in castello, qui vulnerari possent, ac frustra tela ad Pompeianis in confectos, atque digressos mitti videbantur; occupauerat ignis munitiones: castelli turres aut corruerant, aut ruinam minabantur. Soluebatur agger; signa Pompeianorum vallo imposita fuerant; neque dubium erat, quorum esset victoria, cum vnius M. Caesij Scaeuam virtus omnia sustentaret.

Quem non mille simul turris, nec Caesare toto
Auferret fortuna locum, victoribus vnus
Eripuit, vetustq. capi, seque arma tenente,
Ac nondum strato Magnum vicisse negauit,
 M. Caesius Scaeuam. Promptissimus quidem is ad omne facinus, sed, ut Lucanus dolet.

qui nesciret in armis
Quam magnum virtus crimen ciuilibus esset.
 Is igitur, ut milites Caesarianos, cedentes ex pugna, & salutem fuga cernentes vidit: his illos verbis compellauit.

quo

quo vos pavor, inquit, abegit; *Impius, & cunctis ignotus Caesaris armis?* *O famuli turpes, seruum pecus absque cruore* non. *Terga datis morti? cumulo vos deesse virorum* *Non pudet? & bustis, interque cadauera quaeri?* *Non ira saltem iuuenes pietate remota* *Stabitis? è cunctis, per quos erumperet hostis,* *Nos sumus electi? non paruo sanguine Magni* *Ista dies ierit.* Felicior quidem occubèrem, si mihi sub oculos Caesaris cadere contigisset; sed quando illum mihi testem fortuna negat, certè Pompeio ipso hoste laudante cadam: quin vos quoque commilitones tela in hostium aduersa pectora confringitis, quin hostium iugulis gladios reconditis. durate, ademit citissime ipse Caesar auxilio; hi strepitus, hae ruinae, pugna, & clamor noster ad Imperatoris aures iam peruenerunt; nostra est victoria, ademit iam qui nos vlciscatur, etiamsi vitam interim profundere contigerit.

movit tantum vox illa furorem,

Quantum non primo succedunt classica cantu.

Mirantesq. virum, atque avidi spectare sequuntur.

Scituri iuuenes, numero deprenta locoq.

An plus, quam mortem virtus daret.

Sic animatis focijs M. Caesius pro vallo semiruto substitit, ac primum interemptorum corporibus pro telo vsus, ipsa correpta coniecit in hostes, atque ijs subeuntes oppressit; simul quicquid ex ruinis illi in manus inciderat, id tanquam iaculum contorquere in aduersarios, & sudibus, & contis ascendentes deturbare; summum aggerem tenentibus manus praecidere; faxis obterere; faculis inflammare; ac demum cum omnes, qui propius accesserant, interemisset, cum iam cadauera forsan vallo acquassent, saltu se ipsum in hostium aciem, quae confertissima visa est, deiecit: ipse sibi auferens regrediendi facultatem, quemcunque ferro petit, interficit. ipse gladius iam hebes, atque obtusus, asperq. multo cruore hostili non magis caedebat, quam frangebatur. circumstant vniuersi vnum, ad hunc omnis se multitudo conuertit.

Illum tota premit moles, illum omnia tela,

Nulla fuit; non certa manus, non lancea felix.

Parque nouum fortuna videt concurrere bellum,

Atque virum fortis crebris sonat ictibus umbo,

Et galeae fragmenta cauae compressa perurunt

Tempora.

Quid addam? tot hastis, tot iaculis transfixus M. Caesius Scaeva fuit, vt hastae

stae ipsae iam pro annis, & munimento essent: ne cetera tela penetrarent. & phalarica, & ariete, & ballistis opus esse aduersus Scaeuam non iaculis, aut sagittis quispiam diceret. Summa fane Centurionum Caesaris virtus legitur in ipsis commentarijs: vt T. Pulfionis, & L. Varenii, & Sextij Baculi; & aliorum quorundam, qui tamen praefendus sit Caesio Scaevae, non facile animaduerto. ita se periculo obijciebat, quasi vereretur culpam suam futuram, si vixisset. Ita quoque media in pugna defendebat, ne reprehenderetur, quasi clypeo caruisset. cum faucibus, ac transfixus multis in locis esset, iamq. aliquem ex numero hostium deligeret, in quem rueret, cum extremo spiritu interfecturus, ictus sagitta laeuum oculum amittit, quam ipse lumine excidente auellens pedibus protriuit, & viribus defectus ad artes confugit. gaudebant omnes hoc Scaevae viso vulnere, vt ex Caesaris vulnere vix maiorem laetitiam percepturi crederentur. Itaque (vt refert Appianus) dolorem Caesius di simulans, & quod insigne dedentis sese, ac pacati esse consueuerat, manu silentium poscens, Aulum quendam Pompeianum; Centurionem virtute nobilem, appellauit; ac serua, inquit, tui similem, serua amicum; fac faucibus deducar in castra Pompeij; vos reliqui ciues abstincte ferrum; parcite vulneribus, nihil addituris morti meae, vt moriar, cuellenda sunt ex hoc corpore tela, non vlla in ipsum conijcienda. quantum in vobis est, hoc praestate Imperatori vestro Pompeio, tollite me illi deditum; ac facite M. Caesius Scaeva exemplum sit potius relinquens Caesarem, quam honestam mortem oppetentis. Crediderunt id hostes, atque, vt Lucanus vult, Aulus ipse Centurio Pompeianus accedens incautius Scaeuam capturus, & armis spoliaturus ab illo iugulatur. scribit Appianus, cum duo accessissent, alterum ab Scaeva occisum priusquam dolum sentiret; alterius abscisum fuisse humerum; idque Scaeuam fecisse autumat de se, ac castello desperantem. Plutarchus ait, vnum tantum à Caesio Scaeva interfectum, alterum ore percussum aufugisse. quae dissensio non est magni momenti. in eo cuncti consentiunt, Caesarianos milites hoc facinore conspecto animos sumpsisse, & castellum vsque in Caesaris, qui subsidio properabat, aduentum seruasse. Porro Caesij Scaevae ipsius virtutem quoque hoc facto incaluisse, ac sese refecisse Lucanus canit, ipsumq. haec verba addidisse.

Soluat, ait, poenas, Scaeuam quicumque subactum

Sperauit; pacem gladio si quaerit ab isto

Magnus, adorato submittat Caesare signa:

An similem vestri, segnemq. ad fata putastis?

Pompeij vobis minor est, caussaeque Senatus,

Quam mihi mortis amor.

Haec vbi locutus est Caesius, appropinquauerunt Caesaris suppetiae; ma-

G gnum

gnum solamen Pompeij, ne tantum dedecus admisisse diceretur, sed à Caesare potius, quam à Scaeva victus, & fugatus crederetur. Scaeva quidem qui pugnans corruere non potuerat, fugato hoste concidit; atque, ut scriptores omnes monent, à suis exceptus, humerisq. impositus in castellum reportatus est. Sic tamen, ut tum mortuum credere minime debeamus. Nam Caesaris haec verba sunt. *Scutoq. ad eum relato Scaevae Centurionis, inventa sunt in eo foramina C C XXX. quem Caesar, ut erat de se meritis, & de Republica, donavit millibus ducentis aeris; atque ab octavis ordinibus ad Primipilum se transducere pronunciauit. eius enim opera castellum conseruatum esse magna ex parte constabat.* Plutarchus item ostendit, se legisse Caesarem, nam scribit Caesium Scaeuam amplexibus suorum incolumem relatam esse: quamquam ictus Clypei centum, ac triginta tantum numerat. Suetonius centum, & viginti, ut & Valerius Maximus, & Appianus. qua in re credendum Caesari est, aut certe putandum centenarium numerum à librarjjs adiectum ipsius commentarijs. Quod reliquum ad M. Caesium Scaeuam inuictum attinet, auctores, quos modo nominavi, vno ore dicunt, cum capite, humero, femore faucium, & oculo eruto fuisse. Appianus sex vulnera ipsi inflata tradit. quamquam per incuriam vel librariorum, vel interpretis, quae omnia vni M. Caesio Scaevae conueniunt, eorum partem Minucio Praefecto contra Caesaris auctoritatem, & aliorum testimonium communicat. Lucanus poeta ex historia adiungit, milites adorasse Scaeuam, tamquam inclusus esset in ipsius pectore numen aliquod, & viua species magnae virtutis; atque eosdem certasse euellendis telis ex eiusdem corpore: quibus telis exornarent simulachra Deorum, atque in primis Martis. Deinceps, & felicem, & infelicem poeta Caesium Scaeuam his carminibus affatur:

Armis Scaeva tuis felix, hoc nomine famae,

Si tibi durus Iber, aut si tibi terga dedisset

Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis,

Non tu bellorum spolijs ornare Tonantis

Templa potes, non tu laetis ululare triumphis

Infelix, quanta dominum virtute parasti?

Amantissimus Reipublicae, ac libertatis Lucanus M. Caesium maluisse tantam animi virtutem patriae in libertatem vindicandae, non Caesari domino constituendo praestitisse. Quod reliquum est, me iuuat incuriae librariorum obuiam iuisse eorum, qui volumina typis aeneis publice describunt. qui dum veteres manuscriptos libros adhibere negligunt, ex corruptis corruptissimos faciunt. omnia Valerij Maximi exempla, tam septem Vaticana, quam Romae alia, & in Italia, & Germania, & Gallia, quod scio, habent M. Caesium Scaeuam; quem vulgati libri libro tertio capite de Fortitudine M. Scaeuam habent. pudenda, atque execranda negligentia, Plutarchum quoque

corruerunt aut indocti interpretes, aut supini librarj. Nam Vaticana, & alia vetusta exemplaria Caesium Scaeuam appellant, quem ipsi Caesium Scaeuam verterunt: qui si accuratos se praestare voluissent, ex Plutarcho, & Valerio Maximo, Suetonij exempla deprauata correxissent; apud quem nunc Caesium, nunc Casum pro Caesio Scaeva legimus. Sane quod ad Valerium Maximum attinet laus est non mediocris Stephani Pighij, litterati hominis, atque antiquitatis amantis; qui tam hunc, quam plurimos alios locos ex Carpenfi, & nouem Germanicis veteribus codicibus emendauit; laus etiam C. Plantini egregij Typographi, qui iamdiu primus, ut opinor, edito Valerio Max. hunc Caesij Scaevae locum estituit. Sed doctis satis dictum arbitror, nam huiusmodi contemnentibus nihil omnino dictum velim. Ceterum feliciter accidit Caesij in Britannia: huic Scaevae sub C. Caesare Imperatore; Caesio Naficae sub Claudio Imperatore; de quo postea dicam. Scaeuam hunc Franciscus Petrarca inter tria fulgura militiae Romanae posuit, cum L. Dentati, M. Sergij, & huius Scaevae in Triumpho famae meminit. Quod ad Centuriones, & Primipilos attinet, notiora sunt huiusmodi, quam ut prolixus esse ijs explicandis debeam. Scaevae cognomen Romanum est: fortasse ab eo dicti Scaeuulae, & Scaevae erant, qui laeva manu pro dextra utebantur: apud M. Tullium Scaeva Seruus Q. Crotonis, quod L. Saturnium occidit, libertatem consecutus est, nescio an Q. Croto ex Caesia familia fuerit, ex cuius domo posterj Caesij Scaevae dicti sunt; Pompeius Festus ait, Scaeuam vulgus quidem, & in bona, & in mala reuocat, cum aiunt bonum, & malum Scaeuam.

DE M. CAESIO AEDILI ARPINATE

M. Ciceronis necessario

Caput XIV



VARTVS hic M. Caesius, quae ad notitiam honorati hominis & habendam, & faciendam sunt necessaria, ea vnum in locum omnia secum attulit. capiam igitur initium à primis, id simul proponens, sine quo probari illa non possunt; nimirum post victum Pompeium Bruti duo, viuentis Cicerone, Galliae Cisalpiniae praefuerunt: quorum Marcum confectis proelijs Pharsalico, & Alexandrino Caesar praefecit. Decimus & successit Marco, & ab interitu Caesaris ex S. C. prouinciam obtinuit. Sed ad hunc, & huius item ad Ciceronem Epistolae sane multae, quae leguntur in libro vndecimo earum, quae dicuntur familiares; quinque illae continuatae Bruto inscriptae in eo, qui est ad C. Memmiam, & ceteros, omnino ad M. Brutum pertinent. quod ex

multis indicijs poterit. Quatuor igitur, quae in primis oportuit, de M. Caesio docuimus: nempe de eo, & quo tempore, & ad quem scriptum sit, & quis, & quo in libro scripserit. C. Iulio Caesare III, M. Aemilio Lepido Coss. ad M. Brutum Epistolas duas, in quibus de hoc Caesio cognoscimus, M. Cicero conscripsit. Etenim, teste locupletissimo Plutarcho, Galliam Brutus administravit; cum profectus in Africam Caesar bellum aduersus Scipionem, & Iubam Regem intulit. Hoc illud tempus fuit, quo Tullius conseruatus à Caesare ob dolorem amissae cum dignitatis, tum auctoritatis libenter in praedijs, ac praecipue Arpini apud municipes suos versabatur; quos complecti, tueri, ornare pro perpetua sua erga solum patrium pietate, ac voluntate nunquam destitit. Illud, cur eos Bruto commendaret, in causa fuit. Galliae Cisalpinae, vt hac tempestate, sic olim tam opima fuit, & fertilis regio; vt in ea non priuatim solum innumerorum Ciuium Romanorum, Italarumq. hominum magnae res in possessionibus habendis, pecoribus pascendis, quaestuosis mercaturis faciendis agerentur, verum etiam omnino vrbes, & varia Italiae Municipia in agris eius prouinciae vectigalibus fortunas omnes suas repositas haberent. Inter quae, & Arpinum. Cum autem in tanta rerum perturbatione, quantam esse oportuit tam maximo bello ciuili, omnia municipia, vel grauissimis oneribus pressa, vel singularibus calamitatibus afflicta fuissent, maiore etiam afficiebantur difficultate in exigendis suis vectigalibus, ac pecunijs: partim quia fides tota Italia erat angustior, partim quia Gallia Caesari amicissima, atque de eo optime merita, beneficio Caesaris aliquo impetrato minus fortasse pati instituerat, vt exigeretur quicquam ab alienis, efferreturue extra prouinciam. Cum itaque hic ipse annus (quamquam Cicero perennis patronus erat Municipum suorum) praecipue ad eius curam, officiumq. pertineret, vt ipse scribit, constituendi Municipij causa Aedilem filium suum fieri voluit, & Q. Fratris filium, & M. Caesium hominem sibi maxime necessarium, & in quo animaduertent mihi videor summam beneuolentiam, prudentiam, dignitatem, laudem prope singularem. Quis enim dubitabit, quin affinitas illa, ac necessitudo, quae constituta M. Caesio fuit cum Ciceronibus, ad summum amorem peruenerit: cum ad cetera omnia M. Tullius curarit, vt haec accederet coniunctio gerendi muneris cum duobus suorum omnium sibi carissimis, filio, ac fratris filio? Sapienter Cicero pater, qui cum Tullios pueros honestare municipali illo honore constituisset, neque tamen illorum tenera aetas esset ad gerendum Magistratum satis firma, atque idonea, tertium illis addiderit honore collegam, beneuolentia fratrem, consilio, labore, moderatione rerum omnium quasi quemdam gubernatorem. M. enim Caesium aetate ijs anteuuisse, ipsius docet priuignus aetate constanti, Q. Fufidius, Eques Romanus, quem legatum in Galliam misit. De quo paullo post. M.

autem

autem Ciceronis filius, cui pater togam puram Arpini dederat, vix octauum, ac decimum annum attigerat. Nam Quincti filij non solum aetas fere eadem, sed multo magis impotens, inquietusq. animus collegae viri fortis, ac beneuoli grauitatem, ac iudicium requirebat: fuerat is in patrum Ciceronem, vt parum modeste, sic contumeliose acerbissimus; neque eum aut reconciliatum, aut pacatum ante hunc annum, quo Aedilis fuit cum M. Caesio, reperio. Atque haud scio, an hoc voluerit Cicero pater, cum adolescentulis eam dignitatem mandauit, vt quasi interprete, & effectore carissimo, & collega familiare Caesio, tum patruos, tum ipsi inter se amarent, simulque illa coniunctione nulla contingeret alienatio, aut offensio, quae solet accidere, cum alter honoribus progreditur. Sed de Ciceronibus pueris satis multa, qui siue Arpini propter Aedilicium munus fuerunt, non improbantur, quae dixi de illorum, & M. Caesij coniunctione; siue abfuerunt, quod credi de Quincto potest, quem Lupercum eo anno factum legimus, M. Caesij industria, & dignitas augetur; qui solus, re ipsa totam Aedilitatem gesserit. Quem honorem minime contemni potuisse arbitror; erat enim summus, & vt Cicero scribit, is Magistratus Arpini, nec vllus alius creabatur. Atque vt M. Caesius nullum Romae adeptus sit Magistratum, quod ostendi non potest, in Municipio ad Rempublicam accessit antiquissimo, & ex quo salus Imperio Romano bis missa fuit, & in quo M. ille Cicero, Ciceronis consularis auus, & Marius Gratidius, Marij septies consulis pater iisdem muneribus perfuncti fuerant. Atque ego M. Caesium Arpini municipem multis de causis existimo, & genere, & nobilitate facile primum; cognationemq. aliquam Caesiam Arpini resedisse, facit fidem L. Caesius, qui cum Quincto Cicerone Praetore in Asia fuit, de quo proxime dixi; facit Cn. Caesius, qui fuit in Sicilia cum Verre Praetore, cui Publicanos Arpinates gratias egisse, & litteris quibusdam remouendis fauisse legi. Coniunctio item ex P. Caesio, quem pro paterna amicitia rogare se scribit Cicero. lapides etiam pleni Caesiorum non longe ab Arpinati id ipsum testari videntur. Quamquam, vt vicissitudo temporum est, magnasq. mutationes semper res humanas consequuntur, in Sabinos, & Umbros postea vel migrasse, vel remigrasse Caesiam gentem perspeximus. Nunc de M. Caesij Aedilitate dico, qui omnem cogitationem in eo fixerat, id quod optimo cuique natura tributum est, vt laudem quaereret ex bene administrata sui Municipij Republica. Is igitur cum animaduertent Arpinatum omnia commoda, omnesq. facultates, quibus & sacra conficere, & facta tecta aedium sacrarum, locorumq. communium tueri poterant, consistere in his vectigalibus, quae haberent in prouincia Gallia, decreuit ex M. Ciceronis consilio ad ea visenda, pecuniaq., quae à colonis deberentur, exigendas, totamq. rem & cognoscendam, & administrandam tres legatos, Equites Romanos mittere Q. Fufidium Q. F. M. Fau-

cium M. F. Q. Mamercum, Q. F. quoniam vero ijs temporibus M. Brutus Galliae praerat, cum non dubitaretur, quin Ciceronis litterae apud eum plurimum auctoritatis essent habiturae, datae sunt litterae legatis ad Brutum commendatitiae; in quibus probata iusta officij sui ratione petit ab eo M. Tullius maiorem in modum, vt ipsi ea res curae sit, operamq. det vt per ipsum quam commodissime negotium Municipij administraretur, quamprimumq. conficiatur, vtque ipsos legatos honestos, bonosq. viros, quam honorificentissime, & quam liberalissime tractet. Atque huiusmodi fere est prior Epistola, in qua quamquam diligentissime, tamen communiter legatos Arpinates Cicero commendauit. quoniam autem princeps legationis Q. erat Fufidius priuignus M. Caesij, qui vitrici honoris causa, & Ciceronis auctoritatem secutus, eam legationem contra commodum suum susceperat; propterea quod magis etiam quam alij laudem cum ab vtroque, tum a Municipio consequi cupiebat, visum est faciendum, vt separatim alia Epistola ipse commendaretur, vt Bruti praecipuum studium consecutus, & facilius quae vellet, obtineret, & industriam ijs, qui eum impulerant, probaret. Quapropter, cum tamen nihil ex priore commendatione diminutum velit, ita eum commendat Cicero, vt ex omnibus necessitudinibus, quae sibi cum Q. Fufidio sint, tres insignes enumeret, primum illam, ac potissimam, quod priuignus sit M. Caesij, sui maximi, & familiaris, & necessarius; alteram, quoniam in Cilicia secum fuerit Tribunus militum, quod ego beneficium opinor ei Caesij rogatu Ciceronem concessisse. Tertiam praeterea, quod a Bruti, & Ciceronis studijs non abhoreret; quae studia & oratoria, & Q. Fufidio domestica arbitror. L. enim Fufidium in Bruto inquit in aliquo patronorum numero fuisse, & viget adhuc in Pandectis Fufidij Iurisconsulti nomen. Cetero qui de Fufidio, ac Fufidianis nunc praedijs, nunc hereditatibus crebra fit mentio in Epistolis ad Atticum. Haecenus M. hunc Caesium Aedilem ex Cicerone ostendimus. alios Caesios Aediles ex lapidibus alibi demonstrabimus. Sed de hoc Marco Caesio alio in loco apud M. Ciceronem mentionem fieri arbitror. Nam vt magni usus hominem, & valde rerum intelligentem facillime eundem cum Caesio illo iudico, quem bis nominat Cicero Epistola libri tertij ad Q. Fratrem prima; cuius procurationem, diligentiam, ac iudicium circa villas, aquas, aedificia Quincti fratris in primis probat his quidem verbis. *Columnas neque rectas, neque e regione Diphilus collocarat. Eas scilicet demolietur; aliquando perpendiculari, & linea discet vti. omnino spero paucis mensibus opus Diphili perfectum fore. Curat enim diligentissime Caesius, qui tum mecum fuit. ex eo loco recta Vitularia via profecti sumus in Fufidianum fundum, quem tibi proximis nuncijs (fortasse Nundinis) Arpini de Fufidio H. S. CC. & 333 emeramus. Ego locum aestate umbrosiorem vidi nunquam, per multis locis aquam persluentem, & eam uberem, quid quaeris?*

ris? Iugera L. prati Caesius irrigaturum facile te arbitrabitur, & quae subsequuntur. Quae nulli Caesio magis conuenire, quam huic, de quo agimus, videntur. Nihil spero me omisisse, quod ad explicandam M. huius Caesij mentionem pertinet. Vnum illud reliquum videri possit, cum alterius M. Caesij viri Praetorij mentio facta sit, docendum esse, cur non possit hic cum illo vnus idem haberi, in quo nihil est, cur diutius disputem. Ratio vnica vincit. Cur enim qui ante Marcum Tullium Ciceronem Consulem annis quatuordecim plus minus Praetura urbana functus fuerat, is post eundem Consulem annis fere XVIII. septuagenario maior Aedilis Arpinas esse voluisset? aut si (quod creditu difficile est) idem esset, cur de viri talis aetate, ac dignitate ad Brutum scribens, nihil orator meminisset? dicamus potius, (quod per aetatem licet) hunc Marci illius Praetorij filium esse potuisse.

DE T. CAESIO IVRECONSULTO

& M. Caesio, Titi Filio, Aedili

Caput XV



D praecipuam Caesij nominis honestatem arbitror attinere, exponi quae summa considerari debent in Tito hoc Caesio claro, & magno viro; qui aperte in suam familiam, quae semper multis viris iureconsultissimis claruit, intulit iuris professionem. Nam tametsi non ita copiose differuit de T. Caesio is, qui veteres scriptores iuris vsque à Decemuiris, & principe illo, atque auctore Papirio vnum in locum conduxit Pomponius, apparent in eo tamen vestigia, non praesla leuiter ad exiguae existimationem dignitatis, sed fixa ad gloriam illius nominis ingentem. Etenim quis non possit de T. Caesij scientia, disciplina, aetate, testimonio posterorum, imitatione, & si sine narratione, & non sine argumento dicere? Quas res quinque sic aggrediar explicare; vt eum tum propter excellentissimam virtutem stirpi suae ornamento fuisse, tum stirpem ostendam fato quodam ad simile decus perpetuo consentientem. quod igitur ad scientiae genus pertinet, haec erit summa conclusionis meae, non quia pauci quidam iuris ciuilibus scientiam contemnendam putarunt, parum dignitatis in T. Caesio videri; sed quoniam ad sanctissimum, iudicio fere omnium, amplissimumq. Romanorum legum studium se se T. Caesius contulerit: maxime liberalem, atque ingenuam illius naturam, & summum; atque erectum ingenium iudicandum. Iocetun licet, caussaeq. seruiat M. Tullius, cum milites, ac iureconsultos inter se committit; atque illos buccinarum, hos Gallorum cantibus exfuscitari dicat. extollant alij quam possunt artes alias, certe legum notitia praestat rebus

bus

bushonestis omnibus. Omitto quae plurima dici queunt de egregio scientiae genere, quod cum florere in clarissimis suae ciuitatis familijs vidisset T. Caelius, adamauit, suafq. in iure ciuili respondendo vigilias, magnae sibi ad populum auctoritati, atque sicuti Mucijs, Aelijs, Aquilijs contigerat, firmissimum fore gradum Praetoriae suae stirpi, & aditum ad maiora sperauit. Quod cum recte reputarit, addam nunc de disciplina, quam secundo loco proposueramus; quae cum optima illi accesserit, vereri non possumus, ne moribus ipsius ingeneratis oboptima stirpe generis, ac feminis non perfectos virtutis habitus sanctissima vitae consuetudo suppeditarit. Ecquem igitur senem colere, quem ex tot grauissimis ciuitatis principibus obseruare more maiorum T. Caesius instituit? in cuius clarissimi viri domum ventitare solitus fuit? nempe in eius, qui aetatis suae eloquentum iurisprudētissimus, iurisprudētum eloquentissimus summa dignitate generis, integritatis, industriae fuit eminentissimus; Seruij, inquam, illius Sulpicij, cuius vitam tam multis, praeclarisq. ornamentis ad omnem memoriam commendatam habemus; cuius grauitatem, constantiam, fidem in Republica tuenda omnium fama celebratam scimus; felicitatem dicam, an iudicium T. Caesij, qui talem vitae sit, ac scientiae magistrum secutus? Quis enim doctorem iactet discipulus rebus omnibus maiorem? Sed T. Caesius vtinam non in ea tempora incidisset, quibus inter necem C. Caesaris, confirmatamque vnus Augusti dominationem, sine iure, sine dignitate, sine tranquillitate fuit ciuitas. hoc est enim tertium, quod in T. Caesio spectandum dicebam, aetas, ac saeculum, quo dum vigere posset, iura omnia diuina, atque humana perturbata sunt. Caesius enim cum non feruentis Urbis corruptelam, sed liberae Reipublicae mores sub Seruio didicisset, progressus fuisset honoribus longius, nisi in ipsius iuuentutem per mediam virtutem, ac iuris scientiam, properantem transuersa incurrisset misera fortuna patriae; cursum ingeniorum oppressit postrema illa importuna clades ciuitatis; sic plurima monumenta obruit, vt de T. Caesij magistratibus nihil sit, quod afferam; quando etiam Republica florente, cum doctissimi, ac creberrimi scriberent; discerent, ac legerent omnes, tamen multorum qui magistratus gessissent, tempus ita inobscuraret obliuio, vt reperiri memoria non posset. sane de cuiusdam non infimi viri magistratu ita scribit Cicero, vt fateatur, nisi is homo in eo magistratu caenauisset apud Praeconem Granium; idque ipsi Cicéroni bis narrauisset Lucilius, Tribunum eum plebis ignoraturum fuisse. ne inter tot caedes, ac commutationes vrbis mirum sit, nihil de T. Caesij Quaestura, Praetura, muneribusq. alijs afferri. id quod illi commune est cum summis multis, ac nobilissimis ciuibus. quamquam quoniam inter primos Sulpicij auditores dicitur iuris gloria excelluisse, vt eiusmodi fama robur acciperet, eum oportuit diutius etiam sub Augusto floruisse. Iam enim

venio ad testimonium illud non obscuri hominis, ac leuissimi, sed celeberrimi, ac grauissimi Iureconfulti Pomponij, qui libello de origine iuris, (extat is in volumine Pandectarū primo) inter eos, qui legibus interpretandis, atque seu voce, siue scripto explicandis in maxima apud Populum Romanum dignitate, vt loquitur, atque auctoritate claruerunt, meminit cum primis T. Caesij (quem Titium vulgatis in codicibus legimus) eumque, vt dixi, inter praecipuos demonstrat Ser. Sulpicij auditores habitum: de quo quid statuas aliud, quam vt, qui summi viri primus, ac praecipuus auditor scribitur, is ad doctoris excellentiam proxime accessisse censeatur. Quantumq. autem fuit, cum profecto habere auctorem pleriq. posterius omnes voluisse visi sunt. Neque enim vquam huic rationi, studioq. defuerunt, atque, vt veteres omnes, etiam Caesium illum Sabinum, quem nobis marmora, quem poetae illustrant, & ad quem Iureconfultorum optimum, referentibus Cuspiniano, Dulcio, Mario, & scriptoribus alijs, Vlpianus rescripsisse testatur Hadrianum Imperatorem, vt antiquos, inquam, plurimos eos omittam, quibus olim patronis leges abundarunt; & de quibus suo loco dicemus, de praesenti loquor hac Caesiae agnatione, per quam fato benigno Caesiorum veterum multo interuallo memoria, ac studium renouatum est. Tota est haec enim fere Iurisconfultorum. Quos non necesse habeo hoc loco enumerare, tantum dicam, quoad longissime potest mens mea respicere spatia praeteriti temporis, & huius familiae memoriam recordari remotissimam, inde vsque Iurisconfultos Caesios amplius viginti repetere me, & ex ijs omnibus videre neminem, qui T. huic Caesio (quod ad Magistratus famam, atque auctoritatem pertinet,) sit similis magis, quam patronus meus PETRVS DONATVS, Senioris nepos, amplissimi ordinis purpuratus Antistes. est enim vsus Magno Alciato assiduo doctore, atque inter eius auditores cum, magni nominis fuisset, res ex iuris peritia plurimas, atque insignes in vrbis, ac prouincialibus Magistratibus gessit. At vero praceptor eius Alciatus eloquentiam cum Iurisprudētia primus coniunxit nostra tempestate, vt Seruius olim Sulpicius sua coniunxerat. Etenim cum Iurisconfultos sine oratoria facultate contemnendos putent, sic Seruius olim ad respondendum, & ad agendum, & ad cauendum dialecticam adhibuit, vt nuper Alciatus ad consulendum, ad docendum, & ad scribendum oratoria omnia adiunxit. quo facto vterque magnam est gloriam consecutus, numeroq. ex illo tolli studuit, in quo dumtaxat leguleios quosdam, quasi acutos, & cautos praecones actionum, cantores formularum, aucupes syllabarum repositos viderat. Quamquam autem Sulpicius senex vita discessit, Alciato immatura mors maiorem laudem inuidit: non tamē Titium Caesium Sulpicius potuit magis dilexisse, quam PETRVM DONATVM amauit Alciatus; quem & ipsum admiratum aiunt aliquando,

ac differuisse, vel fato, vel cognatione naturae, vel parentum disciplina accidisse, vt hanc omnes legum secuti sint viam Caesij, perque eam multis gradibus ad summum ascenderint. Quod igitur T. Caesius in praestantissima omnium Iuris scientia versatus est; quod omnium clarissimi praeceptoris Seruij Sulpicij disciplina est imbutus; quod in perturbatissima omnium suae ciuitatis tempestate bellis ciuilibus, Reipublicae exitu, vnus dominationis initio nomen inter aequales magnum obtinuit; quod celeberrimi Iureconsulti Pomponij famae suae testimonium habet, quod legum discendarum gentile, ac domesticum exemplum posteris suis ad imitandum princeps non frustra, sed quam qui maxime feliciter proposuit; his rebus quinque dignissimum iudico, qui immortalitatem accipiat à suis: exploso, praesertim Celso illo nescio quo homine, qui in Caesij nomen, ac famam librorum culpa, atque incitia, contra optimum exemplar Hetruscarum Pandectarum alicubi inuasit, quo magis placeat haec qualiscumque T. Caesij laudatio, ac quasi vetustum monumentum seruetur, aut ad incunabula noscenda haereditariae ciuilibis laudis, aut ad comparatam ex ea illustrandam veterem nobilitatem propagatam fortasse ab eo

T. Caesij filio Aedili, cuius mentionem alibi faciemus.

DE L. CAESII ARGENTEO NUMMO,
& quibusdam alijs LL. Caesij
Caput XVI



LIQVOT Argenteos veterum Caesiorum nummos seruari caros ijs, qui rerum harum ingenuo studio delectantur, satis est exploratum: sint autem cuncti ij nummi dissimiles inter se necne, mihi sane nondum constat. Interim de eo differam, qui exstat L. Caesij, cum apud alios, tum apud virum antiquitatis perite studiosum Fuluium Ursinum, cuius nummi imaginem, cum multis alijs hominum, qui Reipublicae temporibus vixerunt, vndique summa diligentia collectis, in lucem edidit, cum accuratis commentariolis ad cognoscendum valde facientibus. Imago nummi Caesiani fere est huiusmodi: ab altera parte caput, vt interpretantur; Veiovis est, humeris nudis, manu sagittam tenentis, cum nota quae R. similis adspicitur: ab altera duo Lares sunt sedentes, pellibusq. amicti: medius inter vtrunque canis est assidens; supra ambos caput est Vulcani pileati; ac forceps fabrorum: ad latus vtrorumq. Larium notae itidem sunt, vt in nummo insculptae videntur; infra L. CAESII nomen expressum. Causam cum signandi nummi, tum Veiovis simulacri cum Laribus coniungendi nondum aut aliorum monitu, aut mea inuestigatione reperire potui. Haec tamen ex coniectura sequebar. Obseruasse mihi videor antiquitus in Romana Republica, tam honestos ex plebe, quam ex optimatibus homines certam aedis alicuius Deorum curam sponte sua, aut Senatus, Magistratumue auctoritate adductos suscepisse. M. quidem Cicero, vt exemplum optimatum proponamus, cum de Aruspicum responsis disceptet, de sua cura aedis Telluris haec verba facit: *Putant enim ad me nonnulli persinere armamentarium Telluris aperire, nuper id patuisse dicunt, vt ego recondor: nunc sanctissimam partem, ac sedem maxime Religionis privato dicunt ve-*

stibulo contineri. multa me mouent, quod aedes Telluris est curationis meae, quod is, qui illud armamentarium sustulit meam domum Pontificum iudicio liberatam, secundum fratrem suum iudicatam esse dicebat: mouet me etiam in hac caritate annonae, sterilitate agrorum, inopia frugum; religio Telluris, & eo magis, quod eodem ostento Telluri postulatio deberi dicitur. Quod igitur M. Cicero curaret aedem Telluris, propterea in eam quoque sententiam scribit ad Q. Fratrem: *Reddit a etiam mihi est peruetus Epistola, sed sero allata, in qua de aede Telluris, & de porticu Catuli me admones; sit utrumq. diligenter; ad Telluris quidem etiam tuam statuam locauit.* idem in Praetura Urbana ita scriptum reliquit: *Aedem Castoris, Iudices, P. Iunius habuit tuendam, L. Sylla, Q. Metello Consulibus. Is mortuus est; reliquit pupillum paruum filium: de qua quidem Castoris aede cognoscere debuit M. Caesius Praetor Urbanus.* Nunc non laboro, qua de causa, aut M. Cicero Telluris, aut P. Iunius Castoris aedem curandam habuerint: neque dubito, quin Romae nobiles homines Iulij, Claudij, Fabij, Cornelij, curam earum aedium sustinuerint, quas ipsorum maiores, aut nouis sent, dedicassent, aut refecissent. hoc dico me praeter alia hoc quoque opinari, cum L. Caesius templum Larium pariter, ac Veiovis, vel aedificasset, vel re nouasset, vel factum tectum praestitisset; sicuti Cicerones statuam ad Telluris, quam curabant, statuerunt: ita illum credi posse argenteis nummis monumentum sui operis signasse, & Veiovis, ac Larium simulacra caelari voluisse. quale enim illud est in alio quodam argenteo nummo: Q. CASSIVS VESTAE, tale & hoc L. Caesius: Hanc porro sententiam accidit, ut inscriptiones duae confirmarent, quas postea vidi laudatas à Fulvio; quarum altera Imperatorem Augustum docet, Nerone Claudio Druso, & T. Quinctio Crispino Coss. siue templum, siue signum Vulcano statuisse ex stipe, quam absentis Populus Romanus anno nouo contulerat: altera eundem Augustum ostendit post annos quinque, hoc est, post urbem conditam DCCLXVno minus, C. Caluissio Sabino, L. Palsieno Ruffo Coss. Laribus publicis sacrum quippiam posuisse ex stipe, quam populus ei contulerat Cal. Ianuarijs. Conijci igitur causa potest, quae L. Caesio fuerit denarij huius signandi, potuit enim monumentum pietatis Augusti erga Vulcanum, & Lares in parte vna signari. fuit vero id plurimum in more positum, ut Augustorum tum publica opera, tum actiones nummis exprimerentur. exstant innumera exempla. Quod autem ad Veiovis caput nota apposita est, quae Romam significat, id minime mirum videri debet. Etenim antiqui, quibus haud satis fuit Romulum in Deos retulisse, Romam etiam tanquam diuinam & coluerunt, & varia effigie varijs in nummis, marmoribusq. expresserunt. Omitto lupae simulacrum, ac gemellorum infantium. Non solum Aquilae, & Deae, feminaeue formam, & tribuerunt saepe, verum Dei quoque interdum, ac viri: ut in Neroniano illo nummo argenteo, quam Romam esse dicunt litterae,

terae, Mars esse videtur, Victoriā manu continens. Quemadmodum igitur cum victricem, ac dominam gentium Romam significabant galeatam, armatam, Victoriā cum corona, aut orbe terrarum habentem fingeant: ita L. Caesius, ut eam diuinis praeditam viribus, & calamitates, nisi placeat, inuehere posse demonstraret, figura Veiovis, qui colendus est, ne noceat, exprimendam iudicauit. Romae vero speciem propterea addidisse putandus est, vel ut doceret Larium illud templum Romae ab se conditum, aut curatum: vel quoniam ad vrbes, & Deorum honores omnia referebant. Hic vero totius numini causa alias suspicari possumus. potuit enim esse domestica L. Caesij pietas, ac religio, quam cum Praefectus esset signandae pecuniae, sic maxime testari voluerit, potuit esse votorum precumq. declaratio. Veteres enim more suo ad focum supplicabant Laribus scilicet, & Vulcano; Ioui familiari, hoc est *ἱερὴ καὶ οὐνοῖα*, ex quo intelligimus, quam concinne L. Caesius domestica tria numina coniunxerit. Quod si etiam est is L. Caesius, quem Quincti Ciceronis comitem diximus, quod forsitan in ciuilia, vel primum Cesaris, vel deinde Octauij bella inciderat, & exilio multatus proscriptusue, seruatus tamen, ac restitutus fuerat, vota, sortemq. suam hoc nummo adumbravit; nempe se domesticorum Deum auxilio, ac virtute Romam ad Lares suos reuerti potuisse. est enim, ut dixi, Romae nota litterarum ad Dei formam apposita. Itaque cum & Caesar dictator, & Augustus libenter seruarent multos, forte, ut & fieri potuit, & interdum accidit, supplicem domi suae L. Caesium incolumem esse iusserant; is ut eius beneficij memoriam propagaret, Iouis Hicelsij, ac Larium, focique signa nummo sculpsit, nomenq. suum adiecit; sic enim maxime apparet, cum Laribus, & Vulcano Iuppiter Hicelsius coniunctus sit. non enim si formae, & ornatus huiusmodi commentitorum Deorum nobis ignoti sunt, propterea non à Laribus, qui domestici Dij sunt, ad eum Iouem, qui domesticus sit, iustam trahi oportet rationem. Itaque facile quoque existimabam, Iouialem Genium esse eum, de quo Caesius in libro de Dijs loquitur apud Arnobium: cum eum connumerat inter Deos Penates, & sicut Lares domum significant, ita Penates Patriam: Penatumq. praesertim praestantissimus Genius Iouialis, qui & Laribus praesideat, & Romanus Genius sit, qui que sicuti sacrificiorum tempore pateram tenet, ita belli tempore sagittam. Quamquam vero docentium in hoc nummo esse Veiouem, vera est propter eorum peritiam auctoritas, liberius tamen disputare mihi permisi. quoniam neque iuxta hunc Veiouem capra est, quam Gellius adesse oportere dicit, neque sagittas, ut idem prodidit, sed sagittam hic tenet, neque cornutum caput, ut Veiouem Alexander quidam, nescio an vere habuisse testatur, hic habet. de Veioue ita scripsit Gellius. *In antiquis spectationibus nomina haec: Deorum inesse animaduertimus. Dijouis, & Veiovis: est autem etiam aedes Veiovis Ro-*

mae inter arcem, & Capitolium, eorum nominum rationem hanc esse comperi. Cum Iouem, & Dijouem à iuuando nominassent, eum quoque contra Deum, qui non iuuandi potestatem, sed cum nocendi haberet (nam Deos quosdam, ut prodes- sent, celebrabant, quosdam ne obessent, placabant.) Veionem appellarunt, dem- pta, atque detracta iuuandi facultate. Ve enim particula, & augendae rei, & mi- nuendae valet. Simulacrum igitur dei Veionis, quod est in aede, de qua supra dixi, sagittas tenet, quae sunt videlicet paratae ad nocendum, quapropter eum Deum plerique Apollinem esse dixerunt, immolaturq. illi ritu humano capra. Eiusque animalis figmentum iuxta simulacrum stat; De Veioe quoque sic meminit Marcellinus libro xvi. Vt in Taigetis Tusci libris legitur, Veionis fulmine mox tangendi adeo hebetantur, ut nec tonitruum, nec maiores aliquos possint audi- ri fragores. Quod ad Lares attinet, cur caninis pellibus amiciantur, canisque inter eos positus sit, duplicem causam Plutarchus affert in Romaicis.

Διὰ τὴν λαοφιλίαν οὗς ἰδιώτης καλεῖται, τοῦτοῖς κύνων παρέστηκεν, ἀλλὰ τὰς κύνων διφθέραις ἀμπίχονται; ἢ πρᾶ- γμα μὲν οἱ προσηγῶτες εἰσι, τοὺς δὲ προσηγῶτας οἴκου φυλακτικούς εἶναι προσήκη φοβερός μὲν τοῖς ἀλλοτρίοις, ὡς περὶ οὐ κύνων εἶναι, ἢ πῖους δὲ, καὶ πρᾶσθ' οἷα συνοικουσίν, ἢ μάλλον, ὁ λεγούσιν ἐνοὶ ῥωμαίων, ἀληθεῖς εἶσι, καὶ καθάπερ οἱ περὶ χυρῶσι- πον οἰοῦνται φιλόσοφοι, φάσκει δαίμονια περινοσθεῖν, οἷς οἱ θεοὶ δίκαιοις χρωτῶνται κόλασιν ἐπὶ τοῖς ἀνώμοτοις, καὶ ἀδίκους ἀνθρώπους, οὕτως οἱ λαοφίλοι ἐγγυαθεῖσι τίνες εἶσι, καὶ ποινοὶ δαίμονες ἐπίσκοποι βίων, καὶ οἴκων. Διὸ κοινῶν [sic lego, non καὶ ἴδ'] δέρμασιν ἀμπίχονται, καὶ κύνων παρεδρόσ' εἶναι, ὡς δονῶς οὖσιν ἐπιχινῶσαι, καὶ μεταλθεῖν τοὺς πονηροὺς.

quibus verbis ostendit Plutarchus iccirco Laribus pelles caninas, & canem astantem addi, quoniam cum praesint domibus, instar canum eas custodiant, & ceteris quidem formidabiles sint, aduersus domesticos mites se tamen, benignosque praebeant. illam etiam opinionem probat, in qua quosdam Romanos esse, & Chryssippi philosophos sectatores dicit; existere daemonia nonnulla, quibus Dij quasi scelerum ultoribus puniendis impijs vtantur. Huiusmodi esse Lares cum humanae vitae, actionumq. exploratores, tum vindices, qui quidem tanquam assiduae, domesticaeque furiae infectantes poenas à sceleratis repetant, ac persequantur; iccirco comitem canem habentes, & caninis pellibus induti, quod tanquam canes sagacissime inda- gent, & vestigia cuiusq. sceleris odorentur. In numismate igitur L. Caesij cognoscimus eos esse Lares, qui Praestites dicebantur, domuum custodes; Lares enim alij Permarini, alij vicorum, atque itinerum Dij vocabantur, de quibus non loquor; quod ab his omnino differant coniecissim enim lu- tidos Larium in compitalia à L. Caesio curata, si domestici Lares iidem cum compitalibus fuissent. De Vulcani capite, notissimum est; cur coniun- ctum sit Laribus, qui in foco, hoc est sede Vulcani colebantur. Quod ad Pileum attinet, Eusebius prodidit, ignis virtuti; Vulcano in forma homi- nis simulacrum constitutum, in cuius capite pileum, qualis in hoc nummo conspicitur, caelestis esse Symbolum reuolutionis, vbi ignis sincerus esse creditur. Idem Pileus spectatur in diuerso argenteo nummo T. ciuidam Carrij supra incudem positus, inter malleum, ac forcipem, qualis est in hoc L. Caesij nummo. sunt enim huiusmodi instrumenta Vulcani. Reliqua ve- ro quae

ro quae plurima de tota nummi ratione, & Laribus, & Vulcano afferri pos- sunt, ne longus sim, libenter praetereo. Quod tamen, vt dixi, plures vetusti reperiuntur huiusmodi Caesiani nummi, credi par est, ijs pecuniae, ac monetae loco vsos illius tempestatis homines. Cum haec scripissim, in opus- culum Romae editum incidi Marini Barletij, eius, qui Castrioti histo- riam conscripsit: quo opusculo vetera multa nummorum monumenta an- te Imperatorum, & Pontificum Maximorum nominationem proponuntur, in quibus vnum est his notis L. CAES. FR. quod ipse sic interpretatur L. Caesius Florus, qui Consul à Nerone in Hierusalem missus fuit: verū immanis cru- delitas inde eum expulit. Cuius rei fides apud Barletium esto. eodem tem- pore cum diuerterem ad Bibliopolas, comperio Sebastianum Ericium, pa- tricium Venetum, ante aliquot annos L. Caesij nummum edidisse, eumq. Italica lingua non prorsus imperite, & in Fuluij sententiam exposuisse.

DE CAESIO CORDO CRETAE
& Cyrenarum Proconsule
Caput XVII



RAVISSIMVS auctor in Annalibus non semel scripsit Corne- lius Tacitus, Imperatorem Tiberium in mandandis honori- bus tanta diligentia in nobilitatem maiorum, & claritudinem militiae, & illustres domi artes quaesuisse, vt satis semper con- staret non alios potiores fuisse, quam quos ipse candidatos de- legisset. Nimirum hoc eiusmodi factum est, quod abunde fidem facere nobis debeat, nobilissimos, fortes, clarissimos eos exstitisse, qui Magistratus quos- cunque sub ipsius principatu gesserunt. quorum in numero quia Caesium Cordum fuisse comperio, non paruo onere me leuatum sentio, de his ipsius ornamentis differendi: atque eo etiam magis, quo minus, si quis est locus de Tiberij constantia dubitandi, dubitari de talibus Caesij laudibus potest, qui temporibus ijs Rempublicam administravit, quibus Tiberius vel propter initia Imperij, suamque simulationem, vel propter metum Germanici, & aemulationem, sancte, atque accurate praeclarum illud suum institu- tum sequebatur. qui quidem vti quamdiu sese bonum, praestantemq. prin- cipem praebuit, bonos praestantesq. ciues extulit: ita posteaquam mutato ingenio nefarias, & tyrannicas artes exercere vacuum fuit, eosdem sustulit; vt iam de Caesio Cordo perfecte iudicatum videri possit, cui bonis Reipubli- cae legibus stantibus, nondumq. detecta regnantis natura, muneribus sum- mis defungi licuerit; idem, defuncto Germanico, qui propemodum vnus Ti- berium in officio continere diceretur, communem cum reliquis optimis ciuibus

ciuibus fortunae iniquitatem subierit. Nominat nobis libro tertio Cornelius Tacitus Caesium Cordum, Proconsulem Cretae ac Cyrenarū, quarum prouinciarum coniungebatur iurisdicōtio, sicut Cypri, ac Ciliciae. Addit Cyrenaicae quidam etiam Lybiae partem. Sed is cur eos, qui Cretae, ac Cyrenis praecessent, semper Praetores appellatos scribat, ipse nondum video. Et profecto cum ex consulatu Hortensius Cretam fortitus esset, ac post eum Metellus Consul, cognomento Creticus; cumque M. Cicero M. Brutum Cretae Proconsulem, & Tacitus pariter Caesium Proconsulem dixerit, non opinor, affirmari libere potest, Praetores Cretae Praesides appellatos. Nam quod Appianus, post mortem Caesaris inquit: Caesio Praetori Cretam cum Cyrenis esse mandatam, personam Caesij potius, qui tum Praetor esset, quam prouinciae condicionem significat. Quamquam hic quoque lapsus indicatur eius, qui existimat non nisi ab Augusto Cyrenaicam Cretae coniunctam, cum Senatus item ante Augustum decrevit. quae monui, non ut errantem reprehenderem, sed ne ipse reprehenderer, quasi minime putarem alia fuisse eius, qui Proconsule esset, insignia, atque eius, qui Propractore, neque intelligerem multum ad Caesij Cordi existimationem interesse, Cretamne, ac Cyrenas Proconsule administrarit, an Propractore. etenim quemadmodum in eam prouinciam iusto cum Imperio venire non potuit, nisi Senator domi, militiaeque inferiores Magistratus alios prius obiuisset: ita si Cretae Propractorem dicas, dubitandi, fuerit ne antea Praetor, si Cretae Proconsulem cum Tacito nominabimus, existimandi, Consulem quoque fuisse causas habebimus. Namque ijs temporibus non temere dici pro consulibus missos, nisi qui consules fuissent, animaduerto. neque id difficile fuit, cum enim quatuor, ac interdum plures quotannis Consules crearentur, maior erat tum, quam stante Republica, Consularium multitudo, quae regendis prouincijs sufficeret; quorum si nomina haud relata reperimus, nihil mirum, cum eorum, qui Consulatum Cal. Ianuarijs iniuissent, memoria conferuaretur; qui Cal. Iulijs, aut mense alio facile praeterirentur. Sed siue Consul fuit Caesius, quod necessarijs rationibus obtinere non possum, siue Praetorius tantum prouinciam administravit, videndum est, quamdiu. Postremus, quem comperio Cretae praefectum ante Caesium, is est, quem Dion libro LVII. mortuum in prouincia scribit Druso, Tiberij filio, & C. Norbano Coff. qui annus post V. C. fuit Sextus sexagesimus, & septingentesimus: additque idem auctor in reliquum anni tempus insulam à Quaestore, & Legato, iussu Tiberij, gubernatam. His ego Caesium opinor Cordum Proconsule successisse. is, quia repetundarū, & falsis criminibus maiestatis petitus est, Tiberio III, & Druso ipsius filio iterum Consulibus, anno post V. C. DCCCLXXII, videtur sex annos prouinciae praefuisse. Id enim, (inquit Tacitus) *morum quoque Tiberij fuit continuare Imperia, ac ple-*

rosque

rosque ad finem etiam vitae in iisdem exercitijs, aut iurisdictionibus, habere: siue taedio nouae curae, semel placita pro aeternis seruarit, siue inuidia, ne plures fruerentur. Id nihil ad Caesium. illud magis, quod idem auctor addit: cum ab optimis quibusque sibi Tiberius metueret, ijs insidiari coepisse; obierat anno ante, quam Caesius e prouincia decederet, optimorum optimus ille Germanicus, cuius nomen nemo nisi cum quadam beneuolentia usurpauit: quo uiuente, quanto opere crudelitatem, ac vitia omnia dissimularat Tiberius, tanto per insidias, eo sublato, in omnem primo turpitudinem, deinde saeuitiam prorupit. Itaque delatores statim genus hominum publico exitio repertum, per praemia elicit, tantamque vel in motu magnarum rerum libellis eorum operam infumebat, ut postulandis rebus continui essent anni. Incedebat deterrimo cuique licentia impune probra, & inuidiam in bonos excitandi; gliscebaturque in dies periclitantium multitudo cum omni domus delatorum interpretationibus subuerteretur; utque alias flagitijs, ita dum legibus laboraretur. Verba sunt haec Cornelij Taciti, quae commoda mihi visa sunt, ut proferrentur. ea quantum ad Caesij innocentiam pertineant, satis probat idem auctor, cum de Caesij accusatione verba facturus, ita orditur: Non enim Tiberius, non accusatores fatiscabant, & Ancharius Priscus Caesium Cordum Proconsulem Cretae, postulauerat repetendis, addito Maiestatis crimine; quod tum omnium accusationum complementum erat. Quis non ex Taciti dictis aperte illud eruat, non tam veris criminibus, quam conspiratione Tiberij, & delatorum adesse iussum ad Iudices Caesium, ut quatenus neque veritati, neque innocentiae locus esset; opprimeretur? Periculum enim pro exitio tunc habitum scribit Tacitus, cuius verbis, ut institui, ad postremum usque utar, ut facilius queant omnia recognosci: facit igitur maxime suspicionem nullam in Caesio culpam refeedisse, quod addi iussit Tiberius grauius illud nomen violatae Maiestatis; haud mehercle praeter suam consuetudinem. Nam de crimine reus alio conuinci nullo qui poterat, is utique aut impius in Caesarem fuerat; aut secretos sermones aduersus Maiestatem habuerat. Antistium veterem, quo tempore postulabatur Caesius e primoribus Macedoniae absolutum adulterij Caesar, increpitis iudicibus, ad dicendam Maiestatis causam retraxit; ut satis indicaret, quanto mitius Antistio Iudices consulturi fuerint, si de adulterio condemnassent, quo exemplo denunciaisse visus est, quam parum cuperet, aut Caesium, aut reos alios liberari. Iisdem quoque diebus, quibus Caesius, C. Iunius Silanus, Proconsul Asiae repetundarum accusatus est à summis viris ciuitatis, obiectumque est ei violatum Augusti nomen, & spreta Tiberij Maiestas. Atque cum bona huiusmodi reorum inter accusatores diuiderentur; cum Praeturae extra ordinem ijs, qui Senatorij essent ordinis, darentur, minus miror, claros quoque viros, ut in hac infamia versarentur, descendisse. Sed ingeniosissime, sat agente Tiberio, ne absolueretur Silanus ex fere omnium nobilissima familia Romae ortus, post Caesium a

I

cusatus,

cusatus, ante Caesium condemnatur. Quocirca libet conijcere maximam Caesij innocentiam diutissime agitatam; tandem ne meliore esset conditio-
ne, quam fuerat aliorum, oppressam. Nam eodem fere tempore C. Silius
Procos. Germaniae, inuisus Tiberio propter amicitiam, quae illi cum
Germanico intercesserat, repetundarum, Caesare iubente, postulatus sibi ma-
nus attulit; saecutumq. in eius bona, non vt pecuniae stipendiarijs redderen-
tur, quorum nemo repetebat, sed quia ita visum Tiberio. Postulatus, vt di-
xi, Caesius fuerat Tiberio, & Druso filio Consulibus, damnatus est post Sila-
num, anno sequenti, Sulpicio Galba Consule, & D. Haterio Agrippa, de
quo sic scribit Tacitus. *Haterius iniuriosus fuit, quia somno, aut libidinosis vigi-
lijs marcidus, & ob segnitiam quamuis crudelem Principem non metuens inlustri-
bus viris perniciem inter ganeum, & supra meditabatur.* Pulchrum sane elo-
gium, atque eo dignum, quo Consule optimi, ac nobilissimi ciues pessum
irent. Innuit idem auctor de repetundis duntaxat damnatum Caesium, siue
iam fatiata, mitigataq. tantisper interiectu temporis Tiberij immanitate;
siue quod nihil reperiri prorsus potuerit, in quo non summa cura, fide, &
pietate Caesius sese gessisset aduersus Caesarem. Neque Cretensibus hanc
notam oppugnandi sui praesidijs inurit Tacitus, potius Cyrenenses leues
homines designat, ex quibus verisimile est, aliquos Tiberij opera corruptos,
iudicium hoc Caesio intentasse; homines quidem eos semper infensos suis
rektoribus fuisse reperio. Vt ad Caesium reuertar, adducor minus illum
infeliciter, quam quemquam Proconsulum, quos nominaui, ex atrocitate
temporis illius emeruisse; poenamq. ipsius, opinor, intra multam, neque gra-
uissimum exilium stetisse. Si enim qui lege Maiestatis tenebantur, tantum
cedebant Vrbe, bonisq. amissis, aqua, & igni arcebantur, mitius certe ac-
ceptos oportuit, qui de repetundis duntaxat damnabantur. Itaque non so-
lum non vita, sed neque bonis omnibus spoliatum putarim Caesium; existi-
moq. aut in Italia, aut prope Italiam manendi datam illi facultatem. Sed
quaecumque illi fors contigerit, scio equidem nullam existere certam legem
Tyrannorum. Dixi de dignitate, accusatione, ac damnatione Caesij Cordi,
eiusque fortunam incidisse in extrema Octauij Augusti tempora, ac prima
Tiberij Caesaris crudelitatis initia demonstraui: nunc de eiusdem praeno-
mine, quod obseruarim nihil adjiciam. Cornelius enim Tacitus, qui bis
eum nominat, vt fere mos fuit illius saeculi magnorum virorum tanquam
fatis nota praenomina tacendi, praenomen Caesij praetermisit. Quod ad
cognomen attinet, est illud sane vsitatum; fuereq. Cordi alij multi. Vocis
significatio ea est, vt indicet quem tarditate quadam foetum parens in lucem
vitali ediderit. Cordi auctoris scripta saepe citat Plinius. Cremutii Cor-
di historiarum scriptoris casus multum celebritatis habuit; ea ipsa Caesij
Cordi tempestate. accusatus enim, quod editis annalibus, laudatoq. M.

Brutto,

Brutto, C. Caesium Romanorum vltimum dixisset, cum Caesarem thuci
vultu defensionem accipientem conspexisset, vbi se se egregie defendit, egres-
sus Senatu vitam abstinentia finiuit. Ita duo Cordi, ac Cordati viri iudicij
inuidiosus, sub eodem Imperatore, intra paucos dies conflictati sunt. historia
apud Tacitum, & Dionem legitur. Sed haec de Caesio Cordo.

DE VIRO FORTI CAESIO NASICA
LEGIONIS LEGATO, VICTORI BRITANNORVM

Caput XVIII



Cornelius Tacitus sui generis historicorum primus, ac pru-
dentissimus, quamquam male acceptus ipse a vetustate, con-
seruauit tamen nobis vnum, atque alterum Caesium. neque
ego ab auctore temporum iniuria spoliato exigendum mihi
quemquam amplius cogitabam; cum ipse me familiariter commouit, vt in-
ter insignes Britanniae domitores decus attenderem tertij huius Caesij, qui
Nasicae cognomentum ex clarissima Scipionum familia, ob affinitatem he-
reditatemq. aliquam, desumpsit. qui vti per aetatem Caesij Cordi Procon-
sularis viri haberi filius potuit (etenim ille sub Tiberio, hic sub Claudio vis-
xit) sic minime dubitari debet, quin nobilissimus sit habitus, qui & paternas
maiorum imagines; quot nemo haecenus ex suis proferre potest; & tot di-
uinas, vt arbitror, Scipionum maternas consequutus est. obtigit ei praeter
cas, quas nescimus, Britannia Prouincia primum ea, quae cum suspicionem
luxuriae nullam haberet, nomen illius male obijci Caesio non poterat; pro-
pterea quod eam non ad voluptatem, sed ad militarem laborem peragrare
necesse erat: & fuit tum non cum mulierculis contendendum, sed cum ro-
bustissimis nationibus bellandum. Britanni enim & Germanis robore, &
Gallis ferocia, & Hispanis peritia sic praestabant, vt ex ijs constare crederen-
tur. At illi bellis assiduis Romanorum debilitati multum de pristina, atque
insita virtute gentis amiserant. Hos nondum domitos etiam circumfusus
Oceanus intra naturalem feritatem continebat. Ac si diligenter, quid Caes-
ij Nasicae tempore Britanni potuerint, & quid effecerint, & quos Duces
habuerint, consideremus; omnibus eorum exercitibus illos anteponeamus;
cum quibus in ea Prouincia magna Caesij in periculis, & laboribus adiu-
mento vsus Populus Romanus bellum gessit. Primus quidem Romanorum
omnium C. Caesar Dictator cum exercitu Britanniam ingressus gentem fe-
lici proclij euentu terruerat: sed maximam Insulam Romanis ostendisse po-
tius, quam tradidisse dicebatur. At neque Augustus, neque Tiberius quic-
quam aduersus eam ausi. Caligulam cogitasse de inferendo Britannis bello;

I 2 sed

sed deinceps deterritum putant. Claudius auctor expeditionis legiones, & auxilia in Britanniam traiecit, varijsq. proeliis confectis sibi, legatisque suis omnibus seminarium quoddam Triumphorum Britanniam fecit. Emicuit inter Claudij ministros fortuna Vespasiani, qui & tum ex Britannis triumphalia ornamenta consecutus est, & postea rerum est potitus: cui sane animaduerti, in ijsdem fere prouincijs omnibus obtigisse Magistratus, in quibus, & Caesiae familiae ijsdem prope temporibus. Nam Quaesturam Vespasianus Cretae, & Cyrenarum administravit, in quibus egisse Proconsulem Caesium Cordum ostendimus. at Proconsul Vespasianus in Africa, in qua Tribunum Equitum, Caesium adolescentem, ab Apronio adoptatum demonstrauimus: rursus legatus Vespasianus in Britanniam, in qua paullo post siue Legatus, siue Praefectus legionis appellandus est, hic Caesius Nafica fuit: in Iudaea etiam, quae ducem Vespasianum pertulit, Caesius, si credimus Scodrensi cuidam scriptori, non Cestius Florus Proconsulem egit. At numquam alias magis dubia & Britannica, & Romana res in Britannia fuerat, quam cum Nafica Caesius militaret. Nam Romanos à Britannis trucidati veterani, direpta praesidia, interceptae cohortes, concisa legio, Praetor bello absumptus adduxerant in Victoriae desperationem; contra Britanni à Romanis iniecto in Sylurum gentem, & mediam Insulam bello, colonis deductis, repressis toties, oppressisq. suis copijs, vexatis agris, capto Rege fortissimo, fugatis alijs peritissimis ducibus, non libertatis modo spe, sed iam salutis exuebantur: quapropter quis non hoc loco cogitur, magnifice de Caesio Nafica cogitare, profecto quod meruit stipendia in eo bello, quod tum Imperator Romanus non modo maximum, sed nouum, soluique gerebat: egregij, ac fortis animi, quod duxit exercitum, aciem instruxit, signa contulit, manum conseruit; summæ virtutis, ac rei militaris scientiae, quod copias hostium fudit; nobilissimæ Reginae succurrit, oppida vi, atque obsidione cepit; integram, ac diuturnam victoriam peperit, magnæ prudentiae, constantiae, ac felicitatis fuit. Quod denique vel ignauiæ, vel improbitatis in ea prouincia vestigium nullum reliquit, hoc ad diuinam quandam rerum omnium perfectionem ducopertinere. Etenim mirus artifex Tacitus à publicis rebus gestis, ad hominum mores, humilioraq. describenda transeundi, si quid incite, auare, impie, à tali viro, aut commissum, aut designatum fuisset, nullo modo praeterisset; neque ab sua huiusmodi perpetua consuetudine desciuisset. Verum, vt res gesta sit, narrandum hoc tempore video. Post Claudium Caesarem, atque ipsius Legatos in Britannia praefuit exercitui consularium primus A. Plautius: huic successit P. Ostorius Scapula, cui sapientissimo, ac fortissimo duci cognitam egregie, perspetamq. Caesij Naficae virtutem ex multis coniecio fuisse. Ostorij laudes numerantur, rationem iniuisse redigendae in Prouinciae formulam Britan-

niae, Camulodunum, veteranorum coloniam, constituisse: Cogidunum Regem, oppidis aliquot attributis, pacatum habuisse: Icenis rebellantibus cladem intulisse: Syluribus proelio magno afflictis, Caractacum, praestantissimum Regem, cum vxore, filia, ac fratribus in deditionem accepisse. Sed quam prosperis rebus vsque ad Caractacum captum; tum postea aut dubijs, aut aduersis vsus Ostorium scribit Tacitus. siue inquit, amoto Caractaco, quasi debellatus foret, minus intenta apud nos militia fuit; siue hostes miseratione tanti Regis acrius ad vltionem exarsere. Tradit itaque, Praefectum Castrorum, & legionarias cohortes extruendis apud Syluros praesidijs relictas, à Britannis circumfusas, ac ni cito subuentum foret, copias fuisse tum occidione interituras; rursus non multo post pabulanteis nostros ipsasq. missas ad subsidium turmas profligatas, ac quamuis Ostorius cohortes expeditas exponeret, non ideo fugae finem facturam fuisse, legiones proelium excepissent; quarum robore aequata pugna feliciter nobiscum actum sit. At inter legionum Praefectos excelluisse Caesium Naficam, infra commemorat: Ne longus sim, cum in dies peius omnia ruerent, & propterea animi angore, ac taedio curarum Ostorius vita concessisset, ob tantam occasionem exultantibus, atque insultantibus hostibus vnice Caesij Naficae fortitudo apparuit. Etenim quam gloriati sunt Sylures, Britannorum omnium acerriimi, quod mortuo Ostorio, nullo in Britannia summo duce imperante, Manlij Valentis legionem superarant: tum deinceps à Caesio Nafica victi ipsi, ac penitus prostrati gloriandi finem diutius, gemendi initium fecere. Narro autem apertius proelii causas, atque vt sese res habuerit. Rege Caractaco capto, praestabat ceteris Ducibus Britannis scientia rei militaris Venutius è Iugantum ciuitate Cartimandae Brigantum Reginae maritus primum, deinde orto dissidio hostis, sicuti Romanis primum fidus; deinde, quod eos Cartimandae fauere intelligeret, infensissimus. Hoc duce alacres, ac pleni animorum Sylures magna, ac multa locis opportunis moliebantur. nam stimulante ignominia, ne feminae Imperio subderentur, atque ei feminae, quae sibi supplicem Caractacum Regem paullo ante Romanis tradiderat, delectu validae iuuentutis habito Regnum eius inuadunt. Profectus est in Reginae auxilium ex legionum praefectis Caesius Nafica cum legione sua, atque auxiliaribus aliquot cohortibus, quae cum acre proelium iniuissent, ac vehementer de victoria ambigeretur ipse Nafica Caesius à Tacito demonstratur, quam non mediocri certamine, aut parua dimicatione, laeto tamen, ac felici successu pugnam commisisse, victoriamq. reportasse. Atque, vt minime obscure intelligeretur, eo maximo in bello sic versatus Caesius, vt multas res, & magnas sine Imperatore gessisse, nullam sine ipso Imperator credi deberet: eo ipso loco, vbi talem Caesio dederat propria fors campum, in quo eius excurrere virtus, cognoscique posset, necesse habuit grauisissimus au-

etor tantum illi laudis impartiri, quantum neque ambitiosus historicus, neque invidus tribuere summo viro in communicanda gloria debuit. Hac enim continuatione verborum usus est: *Neque dispari euentu pugnatum à legione, cui Caesius Nasica praeerat: nam Didius (is in Ostorij locum venerat) senectute grauis, & multa copia honorum per ministros agere, & arcere hostem satis habebat.* atqui ministros Didij Cornelius, neque antea quemquam, neque postea praeter Caesium nominauit. Ergo non potest quisquam dubitare, quin Caesij victoriae statim testimonium illud adiungatur, cum sine Imperatore Caesius, & id, & cetera multa confecerit. Iam illud consideremus, quantum momenti Romano Imperio attulerit Caesij victoria. neque enim post id proelium, quo à Caesio fracti, ac contusi Britanni sunt, quicquam leguntur hostile reliquo Claudij principatu, atque vsque ad septimum Neronis annum ausi, quo anno nimirum Caesonio Paeto, & Petronio Turpiliano Consulibus libidine, auaritia, crudelitate Romanorum uexati, circiter septuaginta millia partim ciuium, partim militum, partim sociorum Romani nominis trucidarunt. nempe postea quam annos prope duodecim extremo illo Caesij conflictu domiti, aut inuiti, aut volentes conuicuerant. Quamobrem licet in veterum monumentis multos Triumphos de Britanneis legam ante ipsum Caesium summorum ducum, qui tamen ex ijs praeter alterum, aut tertium rei gestae felicitate, Caesio anteferendus sit, quia diuturnius otium hoste victo attulerit, nusquam apparet: semper enim pugnatum est; & hostes semper, nisi cum à Caesio superati sunt, multis rationes, copiasq. belli, & opibus, & conatibus confirmarunt. Sed deleta est optimi praefecti illa pugna quaecunque macula superioribus proelijs suscepta fuerat. Adeum igitur non solum honoribus militiae, sed etiam felicitatis testimonio ornatum traducere possemus multarum rerum gestarum famam, si apud eum nominatim huius praecleari facti laus consistit; ab eo abducere, si qua est inuidiae communionem, si ad eum nominatim nunquam, aut culpa, aut calamitas accessit. Inscribebatur itaque viro forti legionis Legato . . . Caesio Nasicae, Victori Britannorum. In historia quidem Regia Scotorum Hectoris Boetij libro quarto, plurimum, multisq. locis Caesij Nasicae gesta celebrantur. è multis locis, si quis id forte expetit, aliquos recitabo ipsius verbis: *Vix legati mandata coram Rege Corbredo faecialis recitauerat: cum nunciatur per exploratores Caesium Nasicam (per hunc Aulus Didius senectute grauis bellum gerebat) copias Romanas agrestium magna cum trepidatione in Brigantiam adducere.* & paullo post: *Corbredus Pictorum regis legationibus certior factus, quid Caesius Nasica in eum, gentemq. ipsius pararet, copias, quae secum venerant in munitum locum, & arte, & natura cogit.* & paullo post. *Tum Caesius Nasica Romanus Dux cohortes omnes in proximum campum duci iussit, ubi ordinatis copijs pugnam expectabat.* & paullo post: *sequuta nocte Caesio Au. Didius*

dius per caduceatorem significat Britones tumultuantes Cantij in Romanos conuasse. & inferius: *effecit eares, ut Caesius paulum deinceps pugnandi remisit ardorem; & die illucescente confederati Reges pridiano praelio fracti commode Legatos ad Caesium de pace mittunt.* & ibidem: *Caesius, & qui cum eo erant Romani, honestae pacis nacti occasionem conditiones haud renuere, quae offerebantur.* & paullo post: *Ad ea Corbredus Rex Deos, inquit, testes facio, me Romanis bellum non intulisse, sed propulsasse tantum iniuriam; cum Caesius contra ictum faedus cum Rege Caractaco copias in meum regnum duceret, compluraq. castella, & oppida inclementer ferro, ignique vastaret.* Et ne multa congeram, longissimisque, locum alium adijciam, deinde lectores ad illius historiae maiorem, & copiam, & quaecunq. fides est, remittam. *Iulius Frontinus Epistolam Feciali dedit ad Pictorum Regem, qua petebat, ut societatem, & amicitiam veterem cum Romanis seruaret, aut si magis placeret, iniret nouam. Memoria calamitatum, quibus prioribus bellis Romanis armis sub Ostorio, sub Caesio Nasica, & Aulo Didio Ducibus Picti ab Romanis fuissent affecti, ne cum Scotis, si saperent, gente semper rebeli, & intractabili sentirent.* Haec breuissime ex Hectore Boetio. Ceterum quod ad praenomen attinet, id fateor omissum à P. Cornelio Tacito, quae fere negligentia ipsius temporum fuit. Legatum vero curdixerim Caesium Nasicam, quo nomine non appellat eum Cornelius Tacitus, iusta causa fuit. Neque illud recte obijciatur, Praetorem ipsum Britanniae legatum vocari solitum, Legatum autè ab Legato inter ministros haberi non potuisse. Nam cum Imperator, qui Romae summæ rerum moderabatur, respiceretur, ceteri cum Imperio in exercitus, ac prouincias missi, quamquam summi duces, Legati dicebantur. exemplo, praeter alia, illud sit, quod Vespasianum, qui Iudaicum bellum cum tribus legionibus, tribusq. Legatis, inter quos Titus filius, cumque alijs copijs Dux administrabat, Legatum nuncupabant. & tum pro omine fuit, cum Legatum eum salutaturi milites Imperatorem salutarunt. Quin Tacitus Praepositos Britanniae eisdem, nunc Rectores, nunc Duces, nunc Legatos, nunc Praepositos vocat. Sed cum idem auctor testetur, Caesium Nasicam praefuisse legioni, iure hunc Legatum fuisse arbitror. nemo enim superiore honore fuit, qui legiones duceret; non Tribunus, aliusue. sed id muneris proprie ad Legatum pertinebat; atque ita, ut Praefectos legionis semper fere Legati nomine demonstrarent scriptores, Tacitusq. ipse imprimis, apud quem, & quatuor in Britannia legiones versatas per ea bella reperias; & Vespasianum secundae legionis Legatum legas in Britannia, & in eadem Roscium Vicesimae. Confirmatur haec loquendi consuetudo his eiusdem locis. *Cum desertus Trebellius Britanniae Praepositor ad Vitellium profugisset, rexere prouinciam Legati legionum pares iure.* Item: *Fuluius Aurelius, Iulianus Titius, Numisius Lupus legati legionum Consularibus ornamentis donati;* Item: *Vis consiliorum penes*

penes *Annum Bassum Legatum legionis*. & sub *Paullino Suetonio rectore Britanniae*, anno octavo *Neronis Britannos refert*, *Petilio Ceriali Legato legionis nonae obvius legionem interfecisse*. Infinita sunt huiusmodi, atque hunc morem vigente Republica opinor mansisse, ut non nisi legatus toti legioni praecesset. Certe idem scriptor, quem vno in loco Praefectum legionis, eundem in altero legatum Legionis, quoniam nihil interfit, dicere solitus est: ut dubium esse non possit, quin *Caesius Nasica Legatus* dicendus sit eius legionis, cui dicitur praefuisse. Legatorum autem quanta dignitas fuerit, & auctoritas, si quis animo repetet, non ei *Caesium Nasicam* ex infima plebe arripuisse, sed de magni viri virtute videbor, atque amplitudine monuisse.

DE C. CAESIO BASSO POETA LYRICO

& scriptore grauisimo

Caput XIX



Studiorum similitudo stirpem indicare potest, hic *Caesius Bassus* ab eo *Caesio poeta*, de quo antea meminimus, esse putabitur; quem quidem nobis minime suppeditat vulgus imperitorum, neque eum à fece Romuli, Musarumq. accepimus; sed veterum doctissimorum exacta iudicia, praeclara testimonia; & verae laudationes, praeter ipsa ipsius scripta, prodiderunt. Natus est saeculo illo nobili, & celebri quondam tempestate, & vsque ad summum sapientissimis poetis, liberalissimisq. studijs affluentibus; cum Galli, Flaccii, Virgilij, Tibulli eruditissimae Musae, in Macenatis, Augustiq. sinu, Messallae, & Pollionis acquiescerent. licet autem de Bassi pueri mirifica docilitate suspicari: propterea quod nisi facile artes eas, quibus tenera aetas ad humanitatis, & litterarum studia informari solet, apprehendisset, neque tam ei cito se ad scribendi studium conferre, neque tam celeriter celebrari coepisset, ut Propertius eum, Ponticus, atque Ovidius cognitione, & sodalitis dignum existimaturi fuerint: Atque Ovidius quarto Tristium, quo loco poetas amicos enumerat, his verbis utitur:

Ponticus Heroo, Bassus quoque clarus Iambis,

Dulcia convictus membra fuere mei.

Battus, & Bacchus, qui mendose in vulgatis codicibus leguntur, nihili sunt nomina. Legitimam Bassi lectionem agnovit Petrus Crinitus, atque alij, & firman aliquot manu scripti codices, & res ipsa se prodit. Bassum enim claruisse Iambis, atque Lyricorum metris, & post Horatium principem fuisse, notissimum est. Quod ad Bassi cognomen spectat, accepisse *Caesium* putarem fortasse à parente *Q. Caesio Basso* duce olim partium Pompeianarum,

viro

viro sane forti, rebusque gestis maximis praeclaro, nisi in omnibus exemplaribus, pro *Caesio Caecilium* legerem. quo nomine nullum magis vidi lubricum, in quod propinquarum dictionum certitudo saepius, ac libentius prolabatur. Porro Auli praenomen repperi in Indicibus poetarum, quos *P. Crinitus* confecit ad hunc modum: *A. V. CAESIVS BASSVS LYR.* quin & in fragmento, quod inscribitur, *Ars Caesij Bassi de Metris*, existimabam accidisse, ut ab imperatis cum antea scriptum esset, *A. Caesij Bassi*, *A. non Aulus*, ut decuit, sed *Ars* sit interpretatum. Veruntamen Bassi praenomen huic *Caesio Basso* fuit, quod alicubi *C. Bassi* scripta pro testimonio referantur. Nam *C. Bassum* aduocat & *Fulgentius* in Satyra, quam non est non verisimile, *Caesium* scripsisse: & *Macrobius* in libro de Dijs: de quibus scripsisse *Caesium* *Arnobius* testatur: & *Gellius* in libris de origine verborum: quod argumentum tractatum à *Caesio Basso* fuisse, demonstrabimus. Caeterum facile intelligere possumus, non ingenij gloria solum, qua excelluit, ac litteris, sed natura *Caesium Bassum*, & morum virtute meruisse, ut adolescens poetas, qui tum florebant, deuinctos consuetudine teneret, atque ab ijs summo honore afficeretur. Cum sic ipse maiores tum coleret, ut postea diligenter eum nati minores coluerunt. de qua re dicam suo loco. Iam vero huius ratio viuendi, & frugalitas moderatissimi viri fuit huiusmodi, ut dissimulari non queat. Quem enim *Ouidii* aetate iam clarum à *Tiberij Principatu* vsque ad *Quinctiliani* tempora, hoc est annos octoginta, aut prope nonaginta vixisse constat, quam probasse temperationem victus opinamur inter tot vigilias, & studiorum labores plurimorum. Ut etiam poetae *M. Pacuio* contigisse legimus, ut annum nonagesimum attingeret: in quibus necesse est, expendamus, quam parce vitam instituerint, quam sobrie, ac continenter egerint: si quidem, & summa in studijs contentions assiduitas, & nimia luxuriosi victus indulgentia praecipitem incitant ad moriendum celeritatem. Quae cum ita sint, minus mirabimur, aut *Persium* iuuenem illum integerrimum, poetamq. acutissimum animum in *Caesio Basso* diligendo, atque obseruando posuisse; aut senem ipsum optimum *Caesium*, atque doctissimum libenter in amicitiam suam *Persium* recepisse. Alterum quippe ad alterum, & morum honestissimorum similitudo alliciebat, & recta litterarum societas attrahebat. Neque *Persius*, qui inde statim ab operis exordio, atque prima in ipsa Satyra poetas coepit vanos, & ineptos insectari; *Caesium Bassum*, nisi alium ab his intellexisset, tantopere laudauisset: neque *Caesius Bassus*, qui auspicato ab aurea illa, atque augusta poetarum tempestate ad gloriam sui nominis ferri coeperat, & *Tiberij*, ac deinceps *Claudij*, & *Neronis* temporibus princeps sui generis poetarum, ac pene solus floruerat, *Persij* ingenium, nisi magnum perspexisset, quantum aiunt, approbauisset. Nec vero eundem nisi probum agnitum benevolentia complexus esset.

K

sicuti

Sicuti neque Persius hominum se vitia professus acerrime persecuturum, Caesium vnquā, nisi eius spectata bonitate coluisset. Sed cum de Caesij Bassi, Persijq. arctissima familiaritate plurimi cum veteres, tum posteriores scriptores meminerint, inspiciamus ipsi Persiana carmina difficilia fere illa quidem, at plena laudis, ac doctrinae: temptemusq. prius, num labore nostro Caesij Bassi etiam tanto interuallo, sine nouo monitore, accipi cognitio poterit. Principium Satyrae sextae Persij eiusmodi est:

Ad mouit iam Bruma foco te Basse Sabino?

Iam ne Lyra, & Tetrico viuunt tibi pectine Chordae?

Mire opifex numeris veterum primordia uocum,

Atque marem strepitum fidis intendisse Latinae,

Mox iuuenes agitare iocos, & pollice honesto

Egregios lussisse senes.

Factum est Quintiliani beneficio, Diomedis, Ruffini, Prisciani, ut quamuis eo tempore Bassos Iulium, & Calpurnium Plinius; Aufidium, & Sepulium Seneca, Saleium, & Caesellium Cornelius Tacitus nominarint, quin ad Caesium tamen Bassum haec scribantur à Persio, nihil dubitemus. Cum historicum enim alium, alium Oratorem, alium Ducem, Philosophum alium, Poetam alium, sed Epicum, alium priuatum, indoctumq. ijdem, ac ceteri dixerint: Caesium Bassum tantummodo inter Lyricos Poetas Quintilianus connumerat, proximumq. eum Horatio legendum monet, & à se visum testatur. Caesij Bassi carmen Diomedes affert; alterum Priscianus, cum eundem in secundo Lyricorum citat. eiusdem testimonio Ruffinus in metris Iambicis non semel utitur: ab eodem exempla metrorum se sumpturum Terentianus scribit, & se tanti auctoris nomine tutum fore sperat: eidem in vita Persij cum Persio summam beneuolentiam intercessisse refert: seu Cornutus, siue is Probus est Grammaticus. Quamobrem Persio Bassum Lyricum poetam ostendente, si minus etiam nos docuissent Britannicus, Perottus, Crinitus, Parrhasius, Fontius, Nebrissenfis, Murmellius, ac reliquorum posteriora scripta: agnoscere tamen Caesium Bassum licuisset. cuius honori videtur hoc Persius tribuisse, ut quoniam proximam, quae quinta est, Satyram ad Annaeum Cornutum miserat, ne quo praeceptore sapientiae proficisset, tacitum oratio praeteriret: ita cuius iudicio in studio poetices uteretur, eius laudes statim attingeret. Nam valde decuit, cum & Socraticae Philosophiae praeceptis aperiendis, & vna carminibus pangēdis vacaret, auctores eū honoratos viros, quos haberet, nominare, quosq. duos in primis ex omni amicorū numero diligeret, ac coleret, eos coniunctim propemodū celebrare.

Ad mouit iam Bruma foco.

Dixi, Caesios sua municipia, fundos, praedia, praecipue in Sabinis, atque Umbria habuisse, & olim, & hoc quoq. habere tēpore. Quod igitur Bassum Persius

us alloquitur tanquam eum conijciat in Sabinis agere: sic accipio, quasi hoc velit. Iam ne te Caesi cum adsit hyems, ad Sabinos tuos ad tuam municipalem villam, fundumq. contulisti? focum Sabinum etiam pro domo, quam in Sabinis possideret, doctos interpretari puto.

Iam ne Lyra & Tetrico.

Tetrici significatū, in quo nonnulli locum notant; Montē quippe in Sabinis, ubi Caesius esset, non obscure Tetricū appellatū. de quo illud Virgilius dixerit:

Et Tetricae horrentis rupes, montemq. Seuerum.

maxime est, cur probem, ut inter se omnia respondeant: ac quemadmodum se dicit Persius in Liguribus esse ad Portum Lunensem; sic inquirat de Caesio, num in Sabinis sit ad montem Tetricum. alij porro Caesiani carminis grauitatem intelligunt, nempe ut sit Tetrico pectine graui, ac seuero stylo, atque ego grauem scriptorem fuisse Caesium Bassum non dubito; alij non pugnant: quin aliter coniungere liceat, ac permittunt, dicamus, Tetrico tibi neque rationem afferunt. Ego sane, ut Tetrico pectine graue carmen agnoscat, minus probō. non solum quia id semel, atque iterum repetisse diceretur praesertissimus scriptor, sed quoniam si quis alicuius carmen appellat Tetricum, continuo non obscurum, non asperum, non durum, negarim: imo nimia vocis ambiguitate molesto sensu perstrinxerit: quod quantum opere abhorreat ab Persij cum voluntate, tum prudentia, nihil attinet quaerere. Si quibus igitur placet, ut Tetrico tibi componatur, sic ego interpretor, quasi designare aetatem voluerit. Nimirum ut sit tibi seni, tibi ista exacta aetate, tam tristi, tibi tam natu grandi, ut enim annum quintum, ac vicesimum sub Augusti obitum egisse demus Caesium; subducta temporis ratione; eum percipimus Persij aetate ad octuagesimum vitam produxisse. Seniles igitur annos nemo est, qui & credi, & esse ignoret tristiores, atque amariore, hoc est, fere, ut poetae dicunt, Tetricos, aut Graeci, melancholicos. ut illud, *Iam ne*: nō tam ad anni tempus interrogandum, quam ad aetatis curriculum admirandum, quoddammodo addidisse Persius videatur. scilicet etiam ne Tetrico tibi seni lyricaē viuunt chordae? Quamobrē spectat huc, quae sequitur laus:

Mire opifex veterum primordia uocum.

Quid sibi in primordijs veterum uocum voluerit Persius, mirum mehercule, quam haereant interpretes, nihil afferente Cornuto, cui minus id fuisset difficile, nisi forte Graecas voces ipse intelligit. alij locum dissimulant: alij carmina accipiunt, quoniam ijs veteres primum vsi fuerant: quidam antiquitus Sabinorum voces crediderunt, quales in hymnis Deorum probabantur. quae omnia vana, contempta, inepta etiam dicerem, nisi meminisse mallem modestiae. Nam quid tantum fuit in verbis difficultatis? nec breuius, nec facilius aliud affirmare potes, esse, *veterum primordia uocum*, quam veterum originē vocabulorum. at C. Caesium Bassum nescio quid scripsisse de origine voca-

bulorum, suspicareris. & si non exstant ea monumenta, perijsse puta: nam confecta Perlius monet. Eget, inquis, opinio auctoritatis: vt animaduertemus, A. Gellius non vno in loco curauit. vide libri secundi caput quartum, in quo C. Bassus in tertio librorum, quos de origine vocabulorum composuit, de iudicio, quod appellatur diuinitio, differit: vide libri tertij caput xix, in quo C. Bassi eruditi viri liber de origine verborum, & vocabulorum nominatur; & Parsi vocabuli ratio exponitur. vide quinti caput septimum, in quo lepidi, & scite C. Bassus in libris, quos de origine vocabulorum composuit, vnde appellata Persona fit, interpretatur. vide vndecimi xvij, in quo quispiam dixit, se in Caesij Bassi de origine vocabulorum septimo legisse, vnde Retae vocentur. Praeterea etiam C. Bassi commentarios idem Gellius nominat in libri tertij capite nono; vbi afferuntur, quae scripsit C. Bassus de equo Seiano: quem ipse vidisse se Argis refert haud credibili pulchritudine, vigoreq; & colore exuberantissimo. Iam itaque Gellius tam constanter, quam aperte, Perlius expressit, de origine, ac primordijs vocabulorum scripsisse Caesium Bassum. Hic mihi obijciat quispiam, fuisse poetam Caesium Bassum, & quae Gellius affert de origine verborum, satis videri soluta oratione conscripta. cui sic ego respondeo: accidisse cum saepe alias, vt poetae multa etiam soluto sermone persequerentur; tum sane florente Caesio Basso vix fuisse poetam, quem non declamatorem, oratoremue eundem legerimus. Caesium vero Bassum sine versu eruditissime de metris scripsisse duo praecipue testantur, Terentianus; cum inquit: *Exempla ponam, quae locasse Caesium, libro notavi, quem dedit metris super: & Ruffinus primum ijs verbis, quibus testem Caesium Bassum inter primos producit ex viginti, qui doceant mensuram, hoc est (vt loquitur) Metrum in fabulis esse Terentij, Plauti, ac ceterorum: quo loco etiam Ciceronis meminit. deinceps eo loco, quo doctissima Caesij ad Neronem praecipua de Iambico recitat in hunc modum: Iambicus autem cum pedes etiam dactylici generis assumat, desinit Iambicus videri, nisi percussione ita eum moderaueris, vt quum pedem supplodis, Iambicum serias, ideoq; illa loca percussione non recipiunt alium, quam Iambicum, & ei parum Tribrachum, aut si alterius exhibuerunt metri speciem; quod dico ex exemplo faciam illustrius.* ac cetera quae consequuntur. vbi cernis non carmine, sed soluta oratione rem explicari. quale etiam fragmentum, quod Caesij Bassi de metris super est. Neque vero dubium est, quin ex opere huiusmodi reliqui deinceps Grammatici, quae tradunt de metris, excerpserint. Illud Caesius, vt videtur, in gratiam composuerat Neronis Imperatoris, quem legimus incredibiliter arte poetica delectatum. Praeterea scripsisse Caesium Bassum liberis pedibus demonstrat etiam Arnobius Afer vir disertissimus libro tertio aduersus gentes, in quo Caesium sine cognomento Bassi connumerat inter eos, qui de Dijs scripserunt, cumque dicit, post Nigidium ex disciplinis Hethruscis arbitrari *fortunam, Cererem,*

Cererem, Genium Iouialem, ac Palern, sed non illam feminam, quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis ministrum Iouis, ac villicum, Deos Penates esse. atque post Caesium Varronis sententiam de ijsdem Dijs Arnobius adscribit. Confirmat Caesium scripsisse de Dijs & Macrobius; qui Saturnalium libro primo Cap. ix. inquit: *C. Bassus in eo libro, quem de Dijs composuit, Ianum bifrontem fingit ait; quasi uniuersa climata maiestate complexum.* & Lactantius quoque Firmianus libro primo de falsa religione, eiusdem Caesij opus de Dijs agnoscit, his verbis: *Faunus sororem suam fatuam, eamdemq; coniugem consecrauit, quam C. Bassus fatuam nominatam tradit, quod mulieribus fata canere consueuisset, vt Faunus viris.* Fuit autem hoc moris, vt plerisque antiqui praenomine tantum, ac cognomine appellarent, vti M. Ciceronem, quem alij Tullium dumtaxat dicunt; sic Gellius, Lactantius, Macrobius, C. Bassum, quem Arnobius, Terentianus, atque alij Caesium vocarunt. Praeterea exstat doctissimus commentarius in Aratum; quem interpretationis laborem multi docti viri, Gyraldo quoque teste, huic Caesio Basso tribuunt: qui Germanico autem Caesari vindicant, ne illi exiguam legendi diligentiam adhibuerunt. sed hac de re multa alibi, quae congeri in hunc locum commode non possunt. *Atque marem Strepituum.* vix potuit tantus insectator molliculorum poematum aptius, ac verius Caesium laudare; quam si eum diceret *Virile*, non eneruatum carminum genus adhibere, *Latinaeq. fides*, (ne Graecum putes) lyraeq. cantu iuuenes, ac senes celebrare. Reliquum est, vt quae reliqua memoriae prodita sunt de C. Basso colligamus. Narrat enim siue is Cornutus est, siue Probus, cum vitio stomachi Perlius adhuc iuuenis decessisset, atque illius bibliotheca Annaeo Cornuto Philosopho obtigisset, egisse cum eo Caesium Bassum, vt sibi satyrae Perlij quamquam imperfectae, traderentur, curaturum se, ne labores amicissimi hominis interirent: quos cum impetrasset, versibus quibusdam ex libro vltimo demptis, eoque contracto, atque emendato edidisse. editum statim homines mirari, summaq. auiditate lectitare coepisse. Quam ego Caesij Bassi in ereptum amicum pietatem praetermittendam non duxi; quae officia enim viujs, ac florentibus amicis praestantur, ita demum vera, ac perfecta iudicant, si eadem religione erga afflictos, aut mortuos conseruantur. Itaque Caesius cum amici, qui iam de vita decesserat, gloriae consuluit, iustiore sibi famae conditionem praeparauit, atque in eo maxime M. est Ciceronem imitatus, quem similiter Titi Lucretij poemata emendasse ferunt. Ceterum mors Caesio exitum minime dignum quidem attulit, eum tamen, qui cuius accidere, in quo casus, & natura dominantur, potuerit, & quo eodem (opinor) tempore maximus ille Plinius perierit. Etenim, vt fama fuisse idem scripsit auctor, quem paullo ante nominavi, cum Caesius Bassus in Campanis praedijs quibusdam suis versaretur, atq. de repente memorabilis illa, & miserabilis Vesuuij montis

tis exultio, proximorum locorum, atque oppidorum conflagratio exorta esset, de qua & Plinius Iunior disertè, & Dion copiose, atque alij tradiderunt; vicina Caesij quoque Villa incendio absumpta est; atque ita senex optimus, cum periculo subduci non posset, interiit. Quare quod Quinctilianus, quem Domitiani temporibus volumen illud oratorium suum conscripisse, constat, nuper a se visum Caesium Bassum dixit; verisimile est, Caesium anno eo, atque iisdem diebus, quibus Plinius, occubuisse. Quod quemadmodum contigerit, referrem, nisi, ut monebam, praeter ceteros, diligentissime duabus epistolis rem totam complexus esset Plinius Iunior, apud quem si illud *Rectinae Nasci* in vulgatis codicibus (cum *Nasci* nomen nullum alibi, quod sciam, reperiatur, nam corrupta est lectio) *Rectinae Bassi* leges: umbram prope modum Caesiani casus effinxeris. Verba ea sunt de Plinio Auunculo: *Egre diebatur domo, accepit codicillos Rectinae Nasci imminenti periculo exterritae, nam villa eius subiacebat, nec vlla nisi nauibus fuga, ut se tanto discrimine eriperet, orabat. Vertit ille consilium, & quod studioso animo inchoabat, obijt maximo, deducit quadrirems, ascendit ipse non Rectinae modo, sed multis, erat enim frequens amoenitas orae, laturus auxilium. & iam nauibus cinis incidebat, ac reliqua. in quibus si Bassi legas, pro Nasci, ut dixi, & Rectinam uxorem, vel nurum, vel affinem Bassi putes, habes Caesij historiam. utcumque legas, neque enim statuo, intelligis tamen repraesentari casum haud dissimilem ei, quod Caesium Bassum abire contigit. Quod ad eius scripta attinet, versus, quem ex secundo Lyricorum Priscianum attulisse diximus, hic est:*

Calliope Princeps sapienti psallerat ore.

Vtitur enim huius viri auctoritate, ut analogiam praeteriti a psallo comprobet. neque nos Latinum eius exemplum haberemus, nisi hunc poetae versum nobis Priscianus conseruasset. Versus a Diomede etiam antiquiore grammatico recitatus, huiusmodi est: *Romani Gallis deuictis sunt victores.* est enim molossicus, quem cum durior sibi videri ait, non ad poetae ingenium, sed ad carminis genus referendum est: propterea quod ex longis omnibus constat syllabis. Ceteras reliquias, ac fragmenta monumentorum Caesij Bassi, ut libellum de arte metrica, & Aratacum commentarium, quam emendate fieri poterit, edi fortasse curabimus opera Caesij, Volateranus inuenta Bo-

bij inquit, cum aliquot auctoribus alijs, anno CCCCXCIII.

Parrasius Ianus, ut videtur primus artem Caesij Bassi metricam edidit: sed inuentam Lutetiae Parisiorum inuit.

Utinam reliqua exstarent. Testimonia eorum, qui Caesij Bassi meminerunt, sub

operis exitum adiungemus.

DE CAESIO

DE CAESIO SABINO VMBRIAE
ornamento, ex Martiale Poeta
Caput XX



VANTVM Caesio Sabino viuenti olim, & poetae, & scriptores ut amico patronoq. debuerunt; tantum postquam inter mortales esse desijt, debeat, ac iure debeat, acceptamq. ferat famam poetis, scriptoribusq. Caesius Sabinus: ad cuius solidam, summamq. existimationem, qualis ille poeta fuerit, aut quemadmodum cum Martialis laudari, multum interesse nosse opinor: neque enim cum quilibet è plebe carmen scribit, aut alius ornatissimis, optimisq. versibus de aliquo dicit: continuo, aut magni encomium faciemus, aut credemus: dabitur, cum in Regis laudibus versabuntur, fortunae; cum in sodalium, amicitiae. Quibus autem ad Epigrammata facienda ingenium eximium non defuit, ij sese liberos, & apertos in primis soliti praebere sunt. Martiali quidem grauissimum à suorum, sequentiumq. temporum consensu testimonium tribuitur, fuisse hominem ingeniosum, acutum, acrem, quique plurimum inscribendo, & salis haberet, & fellis; & eius, quem volumus, candoris. Remota porro metus, necessitatis, amoris omni suspicione, dignitas sola, officium, virtusq. relinquitur; quibus adductus non fatuus poeta, neque nimis ad extollendam cuiuspiam personam promptus, ea attigit, quae iusta gloria decorari in Plinio Secundo, in Caesio Sabino, & alio quouis huiusmodi, debuerunt. nihil horum habet, quod aduletur, quod carpat, quod coloret, quod praestingat. tantum ijs sese probare studet: eorum animi praestantiam suspicit: eos collit, obseruat, reueretur. ac de Plinio ceterisq. quid est quod amplius addam? de Caesio Sabino loquor: qui Domitiani, Traianiq. tempestate non fuit vnus ex multis, potius inter multos notus, & illustris; quique plurimis industriae gradibus, & honoris eo ascendit, ut totius Umbriae, patriae regionis, decus, & fuerit, & habitus sit. Tametsi vero Caesio, vehementer occupato siue in negocijs forensibus, siue in rebus alijs curandis, atque administrandis otium erat exiguum scripta poetarum legendi, vacabat ijs tamen assidue, quod vir doctissimus Musis hisce mansuetioribus delectabatur. Quamobrem eum accepimus erga Plinium, atque erga duos tempestatum illius egregios poetas beneuolentiam summam contulisse, Turnum, atque Valerium Martialem. Cuius mihi quinque videor ad Caesium Sabinum nobilia Epigrammata legisse. in quibus, Dij boni, quam clarum nobis eum, quamque honoratum ostendit? quantum rursus de illius beneuolentia sibi pollicetur? constanter certe incredibilem amorem frequentium lectorum erga suos libellos com-

motum

motum iri, vel ipsa fama, & opinione lectionis, approbationisq. Caesij proficitur. Atque iterum illius pietatem, & magnificentiam in extruendis, dicendisq. templis declarat; illius fontes, ac patriam commendat; illi a se compositos, vt patrono, ac Maecenati timide, quia doctissimo, libellos mittit: apud eundem nunc ingenium nititur suum, quod alibi tollit altius, extenuare; nunc non omnino se indoctum ostentare. Aliquando Caesio corollam non sine suauissimis versiculis donat, aliquando eidem non sine ioco delicias amoris suas recitat: nunquam tamen ad Caesium scribens, aut cuiquam maledicit homini, aut obscenius aliquid pronunciat, vt, aduersus quem alium Martialis quae apud hunc tantum pudorem, tantam moderationem adhibuerit, non facile demonstret. Itaque intelligere plane possumus vtrius haec ipsa laus fuerit. Non enim poetae vel instituti, qui saepe mordere, saepissime lasciuus agere, vel adulationis, qui neque Regis gratiam, neque ciuis, quod scire possimus, omnium potentissimi desiderabat, verum tota Caesij Sabini cum sapientiae, tum auctoritatis fuit, & ornamentorum. Hoc videlicet cupio sciri, in libris duodecim ex omni nominatorum numero quam non multos laudarit Martialis, deinde ex ijs ipsis quam paucos veneratus sit: postremo ex his quoque, quam paene solum Caesium singulari sit studij genere profecutus. Quod vt melius cognoscatur, age versus ipsi recitentur: atque eos ex auctore praecipue quantum est in nobis explicemus. Est in septimo Epigrammaton Martialis libro pernobile Hendecasyllabum huiusmodi:

Nosti si bene Caesium libelle.

Adhibenda mihi est omnis diligentia, vt penitus noscam, quibus dem libellos versuum meorum. Potiliano, & Theodoro non mitto, ne suos mihi Potilianus, & Theodorus mittant: Fidentino non dono, quia mea Fidentinus pro suis recitat: alij fastidiunt: alij dissimulant gratiam, cum donauit: alij contemnant, cum honoris causa nominauit. In Caesium, si eum accurate, atque intus, & in cute (quod aiunt) perspexi, nihil horum cadit. si multis experimentis affecutus sum, vt perfectam habeam notitiam Caesij, is est, quem libello meo debeam vindicem parare. vti voluit poeta eo potissimum loquendi genere, quod fiduciam praeferreret cognitionis, ac persuasionem quandam; & est vsitatum poetis aequae, atque oratoribus: *Si Caesarem bene noui, si digitos tuos noui, sed si ego hos bene noui*, scripsisse memini M. Ciceronem. Nam Horatij illud est. *Si bene te noui, metues liberrime Lolli*. atque ipse Martialis alibi: *Si noui Dominum nouem sororum; Vltro purpureum petet libellum*. hoc igitur idem loco, statui, inquam, optime mihi, tibiq. mi libelle consuleret: si quidem quod est nostrum studium hominum cognoscendorum, quibus confidamus: *bene nosti Caesium*.

Montanae decus Umbriae Sabinum.

sunt vero alij quoque Caesij, quos non satis praenomina distinguimus. Tu libel-

libelle, ne incertus addubites, ad quem potissimum mittaris: Caesium memineris hunc nostrum, cognomento Sabinum vocari. Nec vero tacere possum de incunabulis, veroque ipso solo, in quo Caesius Sabinus est ortus, ac procreatus. non a Catis eum, aut Dacis, aut Cappadocibus, non a Cilicibus, aut Syris, aut Getulis accepimus; sed ab longe antiquissima, ac celeberrima Italiae regione Umbria, atque ea quidem parte, quae montibus est, vel munita, vel insignis, vel ornata. Quamquam autem summa laus est, in nobilissimo solo maiorum vestigia fixa possidere, neque vlla Umbriae iure potest Italica regio anteferri: tamen quam praestabilius est ciue patriam, quam patria ciuem honestari? Non tam est egens laudis Caesius Sabinus, vt magis sibi commendationem in vulgus expetat ex patriae gloria, quam ipse patriam gloriae virtutis illustret. cum patriae duae sint Caesij, vna naturae Umbria, altera iuris Roma. de loci patria loquor, vt (quae res paucissimis contigit) quemadmodum nonnullae ciuitates ciuibus suis gloriari solent, sic propter animi excellentiam, summamq. dignitatem constet, totius Umbriae Montanae lumen, & decus esse Caesium Sabinum, illum inquam:

Auli municipem mei Pudentis.

Ostendi equidem ita nobis esse cognitum, spectatumq. Caesij Sabini ingenium, vt recte, tuto, ac peribenter illi dicere libellum possim. Demonstrari non hominem contemptissimum versibus a me veneratum iri, sed honestissime patriae regionis Umbriae longe praestantissimum, & singulare decus. Sunt magna haec, neque tam aliena, vt mihi nullam ansam carminum ad summum virum donandum praebere queant. Quid tamen Martiali, inquires, cum Caesio Sabino? Lollius hoc ergo conciliauit opus Pudens meus. hoc est, non solum virtus illius me, sed amici quoque vicinitas, quod ego in propinqua parte amicitiae puto, amicum Caesio fecit. Nemo Aulum, illum summum virum, Pudentem ignorat. Nam de quo saepius nostri temporis poetae canunt? quicum frequentius ipse versibus ludo? aut cuius ego nuptias amantius celebraui? Aulum igitur Pudentem cum municipem habeat talis, ac tantus vir Caesius Sabinus, mihi & amicorum carissimum, & iucunda consuetudine coniunctissimum, veram, & bonam causam non videar habere, qua me studeam, libroq. meos Caesio consecrare? Haec Martialis. Sed quod nam dicemus Au. Pudentis fuisse municipium? neque enim omnino noui, nec scio vel Statium Papinium, vel Martialem, vel id alios docuisse. Exstant Salsinae, Histionij, multis alijs in municipijs inscriptiones vetustissimae, quae mentionem Pudentum ciuium faciunt suorum: & inscriptiones, obseruationesq. ostendunt Caesios, alios fuisse Municipij Salsinatis patronos; alios in Sabinis, alios Praeneste vixisse: Firmanae etiam ciuitatis ius obtinuisse. Nunc ad poetae versus redeundum.

Illi tu dabis haec vel occupato.

L

Tam-

Tametsi imprudenter, & impudenter facturus videor, qui Caesio, de quo non dubito, quin occupatissimus sit, versibus obstrepere audeam, tamen non temere pecco: sentio quantum de illius humanitate mihi experto promittere liceat. Iamdiu exploratum habere coepi, neque Musis aditus ad eum difficiles vlllo tempore relictos, neque hominem in omnes officiosissimum, vel in magnis negocijs locum accipiendis amicorum poematibus negare.

Instent mille licet, premantq. curae,

Nostris carminibus tamen vacabit.

In centum, quid dico centum? in sexcentis, in mille inquam, atque infinitis tandem versetur curis Caesius, sollicitudinum scrupulis innumeris vrgeatur, molestias omnes suscipere vnus cogatur, non tamen intermittet studia poetarum; nunquam Musas ab se distrahet, & segregabit, nunquam Martialis sui libellos excludet, aut tantisper absterrebit.

Nam me diligit ille, proximumque

Turni nobilibus legit libellis.

Ad benevolentiam erga me, quoniam mirabiliter consentit Caesius, quid ego dubitem, quin ei gratissime sint meae nugae loco quocunque, & tempore futurae; cum animaduernerim praesertim, quanti eas idem antea sese facere declararit? Quippe qui neminem aetatis nostrae, qua poetarum foetus est vberissimus, ante me sibi legendum iudicavit, praeter vnum Turnum Memoris Fragici poetae fratrem grauissimum illum, & praestantissimum. Hoc vero mihi satis ego duco, si Caesij iudicio videar reliquis anteferendus omnibus, si me Caesius proximum esse Turno statuit; & Turni Satyris perlectis, secundo loco libellos meos expetit, euoluit.

O quantum mihi nominis paratur,

O quae gloria, quam frequens amator?

Sive mea probarit Caesius, siue legerit dumtaxat, vix verbis consequi possum quantum sim nominis comparaturus. Quae enim maior famae celebritas contingere potest, quam cum sermonibus hominum celebratur, fuisse poemata mea lectione celeberrimi, acutissimiq. viri iudicio celebrata? Quae gloria gloriosa magis ab auctore capi, quam si vulgo intelligatur, ornatissimi, sapientissimiq. hominis testimonio mea scripta commendari? Iam vero cum ad studia magnorum, atque excellentium virorum reliqui sunt soliti, siue pares, siue mediocres, multoq. magis infimi adhaerescere, ea recta existimare, in eo se se ij gratum facere, certe video, simulatque me amari a Caesio, meaq. ab illo probari multitudo cognouerit, immensum me cum amicorum, tum lectorum numerum habiturum.

Te conuiuia, te forum sonabit,

Aedes, compita, porticus, Tabernae.

Te, mi libelle, Caesio legente, in tantam irrepes opinionem, cum gratiae, tum

tum bonitatis, vt neque locus vllus, neque tempus vllum sit futurum, quo non manibus hominum teraris. Vbi te Caesius amplectatur, tum domi, foris, publice, priuatim, in conuiujs, in hominum conuentibus reperieris, tractaberis, amaberis. Video teneri hanc legendi carmina in caenis consuetudinem ab antiquis traditam, inuitat Caesius crebro domo, mensaq. summos, ac doctissimos quosque. Hic carmina nostra recitabuntur: hinc deinceps exemplum reliqui in prandijs, & caenis omnibus sument. Nam quid de foro dicam? vbi cum ille magnum nomen in patronis obtineat, cum multorum hominum, & municipiorum clientelis abundet, cum illuc a frequentibus amicis, & Tribulibus, & vicinis comitibus deducatur, iam videre, iam audire videor, vix alia re, quam numeris nostris fere partes omnes personare. Hinc peruenient ad ciuitatis aures, & peruulgabuntur; vt quorum prima vox intra aedes Caesij Sabini nata, iactaq. fuit, ea continuo in vniuersas domos missa, ac profusa cognoscatur. Inde quodammodo excussa percurrat vias, & ad compita referatur; & magis, ac magis increbrescens in nobilissimis demum porticibus, ab eruditissimo quoque exaudiatur: exin ad spem quaestus amplissimi exardentes librarios cerno, iam aperiri nostris libris describendis, iam perspicio tabernas vendendis frequentari: atque haec meae laudis tot, ac tanta commoda vni fateor auctori Caesio tribui oportere.

Vni mitteris, oransibus legeris.

Non adducar, vt hanc rem coner pluribus verbis, non dicam, amplificare, sed exprimere omnia, quae homo disertus exaggeraret. Colligam, & conferam in vnum; vnum in dictum, vnum sub aspectum subiiciam omnia. Ego cum libellum Caesio mitto, id assequi continenter aio, vt eum omnino sibi legendum cuncti decernant. Caesius cum is est, vt esse mihi debeat instar omnium, tum illud efficit exultatione sua, vt si quibus fortasse haud ita legendus videar, lecturi me sint tamen ipso legente. Dij immortales, quis tantum vnquam vni tribuit homini, aut quid humile cogitabimus de eo, quem poeta non infulsissimus tanti faciendum iudicavit? Inuiderint nobis historiarum interitus Caesij Sabini facta, non modo nota, sed etiam illustria domi, militiaeq. inuiderint eas res gestas, ac facinora, quae significare in Epistolis Plinius videtur; curas eas, & occupationes, quas idem, & Martialis non semel commemorant: cum tamen Epigramma hoc solum recitaro, atque adeo postremi dumtaxat vnus versiculi meminero, facile summum, ac praestantissimum Virum proposuero. Ad quem enim, nisi ad huiusmodi mittetur, quod vni missum, vt ab omnibus legatur, sit futurum? acuit certe legendi auiditatem, atque accendit magis interdum, quam vel opus ipsum, vel auctor, nomen eius, ad quem perscriptum est; sed inspiciamus rursus, quibus verbis libro nono Martialis Caesio Sabino versus consecret.

Nympha sacri Reginae lacus, cui grata Sabinus

Et mansura pio munere templa dedit.

Sic montana tuos semper colat Vmbria fontes,

Nec tua Baianas Salsina malit aquas.

Excipe sollicitos placide, mea dona, libellos,

Tu fueris Musis Pegasis vnda meis.

Nimpharum templis quis quis sua carmina donat,

Quid fieri libris debeat ipse monet.

Me vero in primis decet cultum numini tribuere, cui meus Sabinus, ille Caesius; templa, & gratissima propter innocentiam, ac pietatem futura, & perpetuo propter munificentiam, liberalitatemq. mansura dedicauit. Quod autem Numen illud est? Nympha, Dea ve, cui in Vmbria montana, in agris Caesij lacus est consecratus, cuius lacus Domina eadem, & Regina nuncupatur. Sed quid potissimum vel optando, vel obsecrando Nympham Caesiam probissime coluero? equidem amicissimae Caesio, Diuae cultui vehementer, & ardentem cupio sempiternis saeculorum aetatibus fauere, & vacare. Montanam Vmbriam eam, cuius esse decus, & ornamentum dixi Caesium; eam, quae Salsinam habet vetustissimum in fide Caesiorum positum Municipium; eam in qua huic Deae, & Templa constituit, & honores instituit Caesius. simul illud votis omnibus posco o Nympha, sit tua aquarum tanta callidarum copia, tanta tuorum fontium celebritas, tanta vtilitas, vt non peregrini, non incolae, non ipsi Salsinates iure Baianarum Aquarum salubritatem, tantopere praedicatam, huic vnquam anteferre possint. Duo modo haec pro duplici illa mea erga te pietate, si fas est, exigo; vnum vt te conciliante libellos Caesius, quos ei munere, quamquam exiguo, commendo, libenter & amanter admittat; sunt enim verecundi, atque adeo solliciti, quod illius acerrimum, ac singulare iudicium reuerentur; vt omnino diuinitus motam benevolentiam accipiendis ijs opus sit: alterum, vt quam voluptatem, quod animi solatium, ac quietem capere Musae e Caballino fonte consuerunt, ea mihi, carminibus, studijsq. meis e fonte isto Caesio otij plena, & oblectationis contingat, & securitatis. Atqui si quis hoc loco arrogantem me forte iudicat, qui aut dignos ope libellos meos, aut meritos Caesij patrociniū putem, huic ego respondeo, videat potius, quanti fecerim, quos Nympharum aedibus dicarim? quid enim facilius, quam, ubi displiceant, correptos lacu mergere? ut si quis Vulcano, aut Laribus sua largiatur, ualde indicatum uelit, quod ijs periculum conflare. Ego satis monuisse sum uisus, quid fieri nugis meis debeat, cum me, more meo locutus, lymphis eas consecrasset dixi. Huiusmodi quae in acutissimi poetae uersibus, neque sola latent, non quo me quasi intelligentissimum ostentarem, expressi, sed ut interpretatiunculis quibusdam Caesij Sabini dignitate adumbrata, aut meditandi laborem prope- rantibus minuerem, aut magis erigerem animos non festinantium ad recon- dita,

dita, eiusdem ornamenta reliqua sensu suo inuestiganda. Nunc haud abutar eius patientia, cuicumq. percurrere ista contigerit, ut aut omnes poetae huius ad Caesium Sabinum uersus afferre, aut allatos explicare uelim. In quibus etiam si quid obscurius sit, id fortasse Domitius Calderinus Grammaticus, ut sua tempora tulerunt, minime ridendus, exponenda illustrauit. Sunt duo in undecimo libro ad Sabinum Epigrammata, & alibi forsitan alia. unum hoc loco librinoni, quo corollam illi rosa redimitam muneri mittit Martialis, exscribam, atque deinceps ad reliqua sese mea conuertet oratio.

Seu tu Paestanis genita es, seu Tiburis aruis.

Seu rubuit Tellus Tuscula flore tuo;

Seu Praenestino te Villica legit in horto,

Seu modo Campani gloria ruris eras:

Pulchrior ut nostro uideare corona Sabino,

De Nomentano te putet esse meo.

Alia Epigrammata ex ipso Martialis libro peti possunt. ipse, quae Plinius suggerit de hoc Caesio Sabino, breuiter sequenti capite attingam.

DE EODEM ET CAESIO SILVANO Ex Caecilio Plinio Caput XXI



ROPOSUIT nobis lepidissimus Poeta virum doctorum amatissimum; quique vel in maximis occupationibus intermittere studia nollet litterarum. age videamus quam confirmet id ipsum disertus scriptor C. Caecilius Plinius Epistola, quae, ut arbitror, scripta est in libro nono ad hunc modum:

Plinius Sabino suo S. Qua intentione, quo studio, qua denique memoria legeris libellos meos, Epistola tua ostendit, ipse igitur exhibes negocium tibi, qui elicis, & inuitas, ut quam plurima communicare tecum uelim. faciam, per partes tamen, & quasi digestas, ne istam ipsam memoriam, cui gratias ago, adfuitate, & copia turbem, onerataq. & quasi oppressam cogam pluribus singula, posterioribus priora dimittere. Vale. Potuit ne aut personam familiaris amici magis honorifice scribendo tueri, aut docti, libenterq. legentis expresse magis demonstrare, aut mirabilius cum Martialis testimonio uideri conspirasse? quod ne mirum sit, amplius sexaginta loca alia sunt, quibus nunc de eadem re uerbis vel alijs, vel iisdem dixerunt: nunc in re diuersa sermone vsi sunt persimili, modumq. aut argutiae, aut laudis, aut reprehensionis fere parem Plinius, & Martialis adhibuerunt. Ecquis igitur Caesium Sabinum, ut solis Plinij uerbis utar, non inter praecipua eius

saeculi ornamenta numeret, colentem studia, studiosos amantem, fouentem, prouehentem; eorum, qui aliquid ederent, portum, sinum, praemium; litterarum senescentium reductorem, ac reformatorem? sed rem tantam confirmemus alia Epistola, quae noni eiusdem libri secunda est.

Plinius Sabino suo S. Facis iucunde, quod non solum plurimas Epistolas meas, verum etiam longissimas flagitas, in quibus parcior fui; partim quia tuas occupationes verebar, partim quia ipse multum distringebar; plerumq. frigidis negotijs, quae simul & auocant animum, & comminuunt. Praeterea nec materia plura scribendi dabatur; neque enim eadem nostra conditio, quae M. Tullij, ad cuius exemplum nos vocas: illi enim & copiosissimum ingenium, & par ingenio materia, quam varietas, quam magnitudo largissime suppetebat: nos quam angustis terminis claudamur, etiam tacente me perspicis, nisi forte volumus scholasticas tibi, atque, ut ita dicam, umbraticas litteras mittere: sed nihil minus aptum arbitramur, cum arma uestra, cum castra, denique cornua, tubas, sudorem, puluerem, soles cogitamus. Habes, ut puto, iustam excusationem, quam tamen dubito, ut tibi probari velim. Est enim summi amoris, negare veniam breuibus Epistolis amicorum, quamuis scias illis constare rationem. Vale. Satin occupationum Caesij Sabini meminit? satin fatetur, se ab eo ad scribendum incitatum? & eius amorem erga se expetentis longas, ac crebras Epistolas agnoscit? quid illa arma, castra, tubae, cornua, sudor, puluis, soles Sabini, non, opinor, ignauissimum, ociosissimumq. hominem designant. Nolo sicut in Martialis versibus explicandis feci, diutius hoc loco commorari. Tantum ex Epistola alia quarti libri moneo, Sabinae Caesij Sabini propinquam ipsum, & Plinium heredes reliquisse: quod magnum est indicium vetustae inter ipsos necessitudinis. Deinde summam eandem coniunctionem, Caesijq. probitatem maxime perspicere ex Epistola alia sexti libri, ubi praeter cetera, Firmanos, aut Formianos ipsos, ut est in manuscripto libro, quorum patrocinium Plinius, Sabino petente, susceperat: optimos ait, se existimare, quod in ea ciuitate Caesium talem virum haberent. Veruntamen & arctissimae familiaritati dabimus, & eorum temporum consuetudini, quod Caesium Sabini tantum cognomine Plinius appellarit, quemadmodum, & Martialem sic vocasse, fere vbique vidimus. sic Tacito, Arriano, Tranquillo, Maximo, Vrsuo, Fabato, ceterisque scribere solitus Plinius fuit, praenomine omisis, & nominibus. Neque vero quisquam iure dubitare potest, quin hic idem sit cum Caesio Sabino, ad quem scribit Martialis; praesertim cum honestissima, & pulcherrima inscriptio, quae Salsinae visitur, Caesij Sabini meminerit, Equitis, Aedilis, Pontificis, Traianalis flaminis; cui statua, & basis dicata fuit. atque eam inscriptionem suo loco posteriore libro adijciemus. is vero Caesius Sabinus, Aedilis filius per aetatem huius esse potuit. Marius Catanaeus Plinianarum Epistolarum interpres; item Cuspinianus in com-

mentarijs

mentarijs de Caesiodori Consulibus suis, Ludouicus Dulcius in Romana historia, auctoresq. nonnulli alij, iisdem prope verbis, ostendunt; non solum ad Caesium Sabinum a Caecilio Plinio scribi, verum etiam ipsi Plinio de-
cus, ac praesidium fuisse Caesium Sabinum: quem praeterea autumant col-
legam fuisse Domitiani decimum Consulis: & ad quem, uti iureconsultum, ex Vlpiani testimonio rescripsisse dicunt, Hadrianum Imperatorem. Ve-
rum tamen ne, magna nominis similitudo, quae clarissimum Iuriconsultum
Caelium Sabinum cum Caesio Sabino committit, cuiquam imponit, osten-
demus vix, ac ne vix quidem, fieri potuisse, ut ad Caelium Sabinum Hadria-
nus Imperator rescriberet. Nam cum scribat Pomponius Caesio Longino
Caelium Sabinum successisse, qui fieri potest, ut qui sub Tiberio Caesij Lon-
gini auditor fuit, matura aetate hominis, ac Consulis, anno post V. C. DC-
CLXXXI, is post annum prope centesimum, hoc est inter initia ipsa
principatus Hadriani scientiae iuris operam daret? scio accidisse, ut non-
nulli quam diutissime viuerent; sed tamen quod propagationi sobolis ho-
minum concedi non potest, cur patiar, credi de disciplinarum, & schola-
rum successione, in quibus graui aetate, atque excellenti, praeter cete-
ros, ingenio viri summi in Praeceptorum locum mos est, ut sufficiantur;
Nunc autem, quis est, qui Tiberiani Consulis vel discipulum, vel filium etiam
Hadriani Augusti tempestate florere potuisse suspicetur. An quod filio
negandum omnino videtur, id illis, qui senes senibus succedere consueue-
runt, temere tribuamus? quid illud? quanti faciemus, quod idem Pom-
ponius addit, Caesio Sabino successisse Priscum Iabolenum, quem Iurif-
consultum Traiani temporibus vixisse Caecilius Plinius ostendit: cui Iabo-
leno qui auditores successerunt, ij sub Hadriano de iure responderunt,
atque inter primos Saluius Iulianus Seuerus, quem Iaboleni discipulum
Hadriano in consilio cum iudicaret, assedisse, cum Iureconsulti ipsi, tum
omnes produnt. Nam quod recentis memoriae scriptor Rutilius Con-
sulem fuisse Caelium Sabinum dicit, mallet id tradidisset Pomponius, pro-
pior ijs temporibus, qui diligenter pro ambitione Iuriconsultorum, quos
numerat, si non potest Consulatum, Praeturam certe commemorat, quem
non inteligo cur vlllo modo tam celebris Iuriconsulti honorem tantum
praetermittere debuerit. Equidem fateor me legisse apud Cornelium Tacitum
sub Othone, & Vitellio Consulem Coelium, an Caesium Sabinum, non
curo; sed quod Cuspinianus auctor grauis, vnus auorum nostrorum me-
moriam, & accuratissimus in historia, & in ueterum libris maxime versatus, &
manuscriptis continenter vsus, aliquot praesertim, qui nostro saeculo desi-
derantur, quod is, inquam, ostendit inter Iureconsultos se legisse, Caesium
Sabinum (neque enim quaerendum cur non nominarit Pomponius, qui plu-
res omisit, quam recensuit, neque eorum seriem vsque ad sua tempora per-
duxit)

duxit)quod eundem praeterea putat Collegam Domitiani X. Consulis fuisse, quod multi tradunt Caesium Sabinum Plinio Iuniori fauisse; & honoribus, atq. opibus floruisse, non est quod properanter aspernemur; conueniunt tempora, non dissentiunt Plinij scripta; praedicat Martialis; testantur Lapides ad omnes honores Caesij Sabinis aditum patuisse. Praeterea C. ipsius Plinij

Epistola ad Traianum vndecima his verbis clauditur: *Rogo indulgeas*

Ius Quiritium L. Satrio Abascanto, & P. Caesio Phosphoro, &

Panchariae Soteridi, quod à te volentibus patronis peto.

Sed quin P. Caesij Phosphori liberti Patronus

necessario fuerit Publius aliquis Cae-

sus, sicut Abascanti aliquis

Satrius, nemo du-

bitabit.



I O. B A P T I S T A E F O N T E I I

P R I M I O N I S

C O M M E N T A R I O R V M

L I B E R S E C V N D V S




DE Q. CAESIO SIGNIFERO ET M. CAESIO

Veteranis Legionis XIII Geminae

& Q. Caesio. Q. L. Primo

Caput Primum



M

QVI



VI Patriae cum historias, tum vetera lapidum monumenta collegit ante multos annos Torellus Sarrayna, I. C. Veronensis, & inscriptionem hanc, & plurimas tam ad Caesios, quam ad alios pertinentes edidit; ijs ego nunc ad certam veritatem emendandis, nunc si quae reliquae essent, perquirendis, prompta opera vsus sum Viri doctissimi, cuiusq. Veronensis, Iosephi Pamphili, Signini Antistitis, ac P. Fr. Canei I. C. quibus curantibus hanc in primis habui, quae proponitur, fideliter descriptam, ac diligentissime repraesentatam; ex qua Torelli editionis non ita accurata litterarum dispositio corrigi potest. Praeterea Torellus eam dixerat ad summam videri Basilicam Veronensem, quam nunc aiunt ostendi coniunctam aedibus Carterij cuiusdam: quae res tamen plurimis alijs in locis accidit. Quod attinet ad dimensionem lapidis, altitudo est pedum paullo minus quatuor, latitudo duorum, & dimidij. Sed existimo altitudinem fuisse quinque pedum, hoc est dimidio maiorem, quam latitudo sit. deest enim ima pars, quae plinthum, basimq. referat. Praeterea pedum nostri temporis dimensionem accipio, sane longiorum. nam sex erit altitudo perfecti lapidis, si pede utamur qualem in antiquis lapidibus descriptum cernimus. Lapis est insignis, ac propter vetustatem leuiter sparsim corrosum, sine vlllo detrimento tamen litterarum, quae exstant. Tantummodo, vt dixi, pars infima deest; & superior sinister angulus, quo caput aufertur Hippopotami. figura lapidis fere est huiusmodi. Surgit anterieus quadratus, vtrimq. columnatis angulis: latitudinem vnciarum trium facies habent huiusmodi columnae, quibus super imposita capitula sunt, alta singula vncias quatuor, praeter toros duos ipsis, & columnis interpositos: capitulis imponitur epistylum cum regulis, altum vncias tres: quod sequitur coronix denticulis superne, inferne turbinibus tripartitis distincta, fascia transversa denticulorum mucrones contingente: supra coronicem fastigij triangula acuitur species: supercilium totius lapidis altum pede vno: intra Triangulum scalptus est hinc Lepus, inde Aries: extra ad laeuam auersus à Lepore Hippopotamus est, natans in vndis, atque aufugiens: ad dexteram Capricornus itidem natans. est autem à corona ad summum lapidem, pedis vnus altitudo. ecquae vero forma lapidis à latere sit, & à tergo, quoniam is muro est aedium insitus, atque inclusus, non explico. At si haec omnia in fronte sunt, suspicari possumus lapidis, quasi imbricem, & suggrundam deesse, qua illae tres (ita dicam) metopae, quasi hypertira tegantur, & ornentur. Sed haec tamen descriptus lapis esto. Argumentum est, Q. Caesium Primum, Q. Libertum monumentum hoc statuisse Q. Caesio patrone suo, Signifero; ipsiusq. fratri M. Caesio, vtriusq. Veteranis Legionis XIII Geminae. Ac Legionis quidem quartaedecimae tam honorifica mentio est apud auctores, vt nobilior nulla videatur,

sic

sic eam C. Iulius Caesar in commentarijs extollit, apud quem legatum habuit Q. Tullium Ciceronem, fratrem M. Ciceronis. praeterea plenissima semper fuit fortissimorum hominum, vt apud Cornelium Tacitum nulla vberiore laudem tulerit; res enim magnas gesserat in Gallijs, Germania, Britannia, & Pannonijs; in quibus prouincijs & alij Caesij fuere, & Caesij Veronensibus procliue fuit versari. Sane in Britannijs fuit Caesius Nasicae F; in Germania M. Caesius Mutilus Legionis tricesimae Veteranus, cum M. & T. Caesijs Kaesonibus: in Gallijs duo alij Caesij, quos ex lapidibus cognoscimus; in Pannonijs Caesius Ingenuus, de quo alibi. Inscriptiones adhuc ijs in regionibus quartaedecimae Geminae legionis frequenter meminerunt. Sed & Antoninus, & Ptolomaeus, & Dion Casius eandem nominarunt; & postremo fragmentum illud columnae, quod in radicibus Palatini montis Regione templi Pacis repertum descriptum est: LEG. XIII. GEM. habet inter ea Legionum nomina, quae existisse Alexandro Imperatore Onufrius ipse ex Dione, & vetustis Epigrammatibus accurate examinatis inquit, se collegisse. In Gallia quidem Alexander interemptus est; cuius Prouinciae inscriptiones duas ad Caesios pertinentes, Bartholomeus Alexius ex Narbonensi misit Francisco Cicereio Mediolanum; Cicereius ad me Romam; alteram alibi descripsi, altera huiusmodi est imperfecta, neque enim rejicienda, aut negligenda omnino sunt, quae integra haberi non possunt.



Quod autem Veronensis inscriptio vtrumque Caesium fratrem Quinti filios indicat, hos video Quinti filios sic appellatos Quintum, & Marcum, vt Marci filios Tullios Cicerones Marcum, & Quintum, non ipsos solum, verum etiam posteros. Quod veteranos ambos dicit, nihil est, quod moueam, nisi illud maxime omnium veteranam fuisse legionem quartam deci-

M 2 mam,

nam, & plurimas fuisse praerogativas Veteranorum, quas nunc praetered. Quod Q. Caesum Signiferum Legionis demonstrat, repetendum animo est quod Vegetius Rhénatus, libro secundo de re militari docet, in vna Legionē decem cohortes esse; sed primam cohortem reliquas & numero militum, & dignitate praecedere. Nam genere, atque institutione litterarum vltos electissimos quaeri: propterea quod in prima cohorte feratur Aquila, quod praecipuum signum in Romano exercitu sit, & totius Legionis insigne: praeterea imagines Imperatorum, & diuina, & principalia signa. Vt autem totius Legionis signum, nempe Aquilam ferebat, qui Aquilifer dicebatur: sic manipulorum cuiusque Cohortis signum, qui Signiferi vocabantur, qui ut inquit Polybius, ex vnoquoque manipulo acrate, & manu praestantissimi Centurionibus eius Manipuli legebantur. Meminit etiam Cicero Signiferorum, in libro quem de Diuinatione inscripsit. Quamobrem quid de Q. Caesio Signifero iudicandum sit, non est obscurum. Signiferos porro posterioribus temporibus dici coepisse Draconarios, Vegetius ostendit. Quod in fastigio triangulo supercilio lapidis tribus tanquam metopis Arietem, Leporem, Hippotamum, Capricornum, sculptos cernimus, non equidem id frustra putarim: nam quae in optimo milite, ac veterano esse debent, vt opinor, explicantur. intra Triangulum itaque Lepus depressus est, respiciens Arietem erectum; vt vigilantia, acer auditus, cursus, atque agilitas militaris significetur. Nam & Horus, & Xenophon ostendunt, vigilantissimum animalium esse Leporem, atque ita, vt etiam clausis palpebris vigilet, neque dormiat nisi patentibus oculis. Quare Pierius pro vigilantia accipi inquit Leporis fomnum. atque idem Plutarchum laudat, affirmantem apud Aegyptios Leporis simulacro auditum intelligi, propterea quod aures proportionē reliqui corporis multo maiores, quam reliquae animantes habeat; quam porro in custodijs, explorationibusq. militaribus sit acer auditus necessarius, nihil dico: tum autem quam ad cursum exercerentur olim milites, quo Lepus excellit, qui de militari disciplina conscripserunt, satis admonent. Praeterea vt est in libro Notitiae Prouinciarum, & Teruingi quidam dicti milites, & alij Valentinianenses appellati, Leporis imagine, vt insigni, utebantur. Sed quoniam in Lepore timiditas quaedam notatur, vt eam amoliretur optimus libertus, erectum Arietem apposuit, quod animal pugnantissimum, ac ferocissimum homines etiam impetit, atque prouocat. Ad haec bellum ipsum Ariete denunciabatur, cum id Faecialis indicaturus Arietem praese agebat, quem in hostium fines immitteret. Ceterum & Aries caeleste signum, Marti dicatum est: & fel, in quo sedes iracundiae ponitur, a Marte rege dicitur. Quamobrem Adamantius etiam referente Pienio, Arietem pro iracundia interpretatus est; quae omnia quantopere in milites quadrent, nemo opinor est, quin videat: atque haec dico Lepus, & Aries intra fastigij septum,


septum, quod superiorem rectum angulum efficit, concluduntur, vt indicent bellica disciplina coercitos milites, vigilantes, Ducibus audientes, ad iter ceeres, in hostem pugnaces, feroces, ac prorsus bellicosos futuros. Extra fastigij septum Hippotamus est auersus, ac quasi natando aufugiens in laeuam partē, inde Capricornus itidem in dexteram natando aufugiens. Ac Hippotamo quidem semper improbitatem significari animaduerti, vt ab optimis militibus improbos domitos innuisse videatur Q. Caesius Primus. nam apud Mediolanum, ad Pontem Aureolum, similiter incisus est Hippotamus, sed quem serpens cauda apprehensa mordeat, vt tyrannidem, (ex coniectura Picij) domitam ostendat. Quod dici de duobus his monstris potest, scilicet vigilantia, & feroci fortitudine militum improbos, barbarosq. hostes suos, ac profligatos. Nisi signa haec fuisse, quae Q. Caesius Signifer gestasset, placeat. Nam Plinius lib. decimo signa Romanorum antiqua fuisse inquit, Lupos, Mincturos, Equos, Apros, quae singulos ordines antebant, quae signa abdicata Mario sint, sola Aquila retenta. At Caesarum temporibus pro signis ipsae etiam Imperatorum imagines praeferebantur ab ijs, quos propterea Imagiferos dicebant. quainquam non imagines erant signa, sed cum signis, aut inter signa locabantur. quae nam ea fuerint, nemo scribit, in lapidibus

varia cernimus; atque in aedibus Caesij in M. Pompeij Alpi-

Centurionis insigni marmore sculpta sunt Taurorum caelestium, & Capricorni, atque alia quaeplurima enim diuina animalia, quae fuisse suspicor. Ceterum si quis genituram, quae dicitur, uti vocant astrologicam Q. Caesij existit, quae animalia, quae haec inter sydera numerentur, & valde felicia solcant esse Arietis, & Capricorni signa, is etiam quomodo cum Hippotamo, & Lepore consentiant ostendat.

DE ALIIS QQ. CAESIIS EX VARIIS LAPIDIBVS
desumptis Caput II


VAE Mantuae inscriptio in pariete aedis D. Siluestri ad pontem
Ceresum, in Appiani volumine inscriptionum vetustatis Q. Caesij
meminit, ea est huiusmodi.



Fuisse sub Traiano hunc Q. Caesium Mantuanae inscriptionis, Vxor Furia Prima persuadet; fuit ea, quantum ex Plinio apparet, potens, atque opulenta femina, cuique negotia essent in Bithynia, Prouincia Plinij Secundi Proconsulis. is, cum aliquando citaret Iudices accidit, ut Flavius Archippus quidam vacationem peteret. ibi tum alij, tum Furia Prima contendit, non modo liberandum illum iudicandi necessitate, sed omnino tollendum de Iudicum numero, reddendumq. poenae, quam fractis vinculis euasisset. Vnde autem inimicitiae Furiae Primae cum Archippo ortae sint, non legi; nisi forte quoniam Domitianus Tyrannus in cuiusq. bona inuaserat, fundum, qui Furiae fuisset Archippo contra Prusiam dederat, animus matronae merito offensus est. Verum cum se Archippus litteris Domitiani, & Neruae defenderet, perque salutem Traiani a Plinio petisset, ut libellum suum Imperatori mitteret, Plinius id ei sic roganti praestandum putauit, ita tamen ut missurum se, certiore Furiam Primam faceret, a qua ipsa quoque libellum accepit, quo facilius velut audita vtraque parte Traianus Furiam dispiceret, quid statuendum iudicaret. is itaque rescripsit, quae ei visum est, atque in postrema Epistola inquit: *Libellos Furiae Primae accusatricis, item ipsius Archippi, quos alteri Epistolae tuae iunxeras legi.* Haec ex septem Epistolis libri decimi Epistolarum Plinij, auctoris ipsius verbis vsus rettuli. sicut autem Archippus Flauij nomen obtinuit, quod a Flauio Domitiano, vel Vespasiana

no

no ciuitate donatus fuerat; sic Furia Aphrodite, quae C. Caesio Nepoti nupsit, quod beneficio Furiae Primae, cum Graeca esset, ciuitatem consecuta sit, Furia dicta videtur: similiter Q. Caesij non libertos, sed clientes, & beneficio QQ. Caesiorum vsos existimabimus hos duos, qui in inscriptione Veronensi sunt, in aedibus Alexandri Sarratici Medici, quae descripta ab ipso, Romam ad Antistitem Signinum missa est.



Lapis latus pedes quinque, uncias decem cum dimidia: altus pedes duos, uncias nouem; crassus uncias quinque; paullisper temporis iniuria affectus. Quamquam autem Q. Caesius Primus in superioris capitis inscriptione Quinti se libertum profitetur. hi tamen non sunt, qui non profitentur, sed primi videntur ciuitatem adepti, quod nullius se filios dicant: quasi pater ipsorum minime ciuis Romanus fuerit. Ut autem hic Caesius Secundus dicitur, ita Romae in aedibus Paulli Pini, ad Pantheon est Caesia Secunda; & legitur ea inscriptio edita ab Aldo Manutio. Porro Venafri secundum viam, sequentem Q. Caesij ex tribu Terentina extare inscriptionem, & a se visam Io. Iucundus Veronensis, vir sua aetate doctissimus, ac diligentissimus, priore libro Epigrammatum, quem ad Laurentium Medicem ante annos centum misit, testatur, quippe huiusmodi.

Forte



ANC testificationem honorum Sex. Tettij Montani, Caesij Sabini, cum alias, tum ante annos quindecim in librum, quem Ciuitatem Romanam inscribunt, relatum Veneti publici librarij promulgarunt: eam postea doctus, & accuratus homo fidelissime de marmore descripsit; atque eius exempli copiam comiter mihi fecit. Postrema tam in hoc, quam in alijs diligentia est, ut pictoris opera lapidis species, & mensura oculis repraesentetur. Moneo interrim Onufrium pro Tettio Titium posuisse: & ad extremum alterum I. addidisse; cetera praeter leuem vnus notae locum omnia recte retulisse. atque ea immutatiuncula, paruulaq. appendix neque elogio nocent, imo profunt. & leuiore esse noueram, quam ut notandas proponerem, nisi mihi fidelitas omnino, atque exactissime curanda videretur huiusmodi inscriptionum simplicitas; quam desiderari a nimium multis video: quam quoniam quantum facultas erit, praestare cupio, notui ne tantulam quidem varietatem initio praeterire: cum praecipue alijs in lapidibus Tettiam familiam legissem habitasse Salsinae, quo in Municipio, veteris Umbriae cum primis graui, atque honesto, & haec basis hodie visitur; & antiquitus principem locum obtinuisse Caesios ex mirifica Poetae Martialis cum hoc ipso monumento consensione intelligimus. Ad tempus quod attinet, nemini dubium esse potest, quin post Traianum vixerit, qui Traiani Flamen fuit. Nunc de nominibus dicamus, in quibus plane perspicitur adoptionis consuetudo, qua, si quis a diuersae familiae homine adoptabatur, nomen tamen suum, & cognomen retinebat. Alias etenim adoptatus, aut productione sola nominis paterni denominabatur, ut Aemilij filius cum venisset iniura adoptiua Corneliae gentis, Cornelius Scipio Aemilianus, ut & Caesius, de quo diximus, L. Apronius Caesianus dictus est: aut cognomine gentilicio solo utebatur, ut M. Iunius Brutus adoptatus a Q. Seruilio Caepione, non Iunianus, sed Caepio Brutus vocatus est. Porro alias vtrumque, hoc est, & nomen, & cognomen stirpis suum adhibebant, quod creberrime Imperatorum tempore factitatum video, ut in inscriptione, quae huic nostrae omnibus ex partibus similis est.

P. COELIO P. F. SERG. BALBINO

VIBULLIO PIO X. VIRO

STLITIBVS IVDICANDIS.

Quoniam igitur Montanus Salsinas testamento sibi filium adoptauerat a Caesio Sabino, nomen adoptantis Caesio Sabino filio obtinendum fuit, cumque alij viuerent ijs temporibus, quibus cognomen esset Sabinus, propterea intelligo ipsum, praeter adoptiuam appellationem, gentilicium nomen

men suum cum cognomine habere voluisse. De quo quidem Sabino cognomine, ut bono sic M. Tullius ad C. Trebonium scribit: *Oratorem meum, sic enim inscripsi, Sabino tuo commendavi. Natio me hominis impulit, ut egrete putarem: nisi forte Candidatorum licentia hic quoque usus, hoc subito cognomen arripuit. Et si modestus eius vultus, sermoq. constans habere quiddam a Curibus videbatur. sed de Sabino satis, inquit Cicero, & sane ipse pariter.* EQVO PVBLICO: hoc est, ut interpretor Caesium Sabinum Equo publico, aut meruisse, aut donatum, ornatumue fuisse: illud functionem muneris, hoc honorem significat. Cum munus intelligitur, exemplum apud T. Liuium est, lib. XXXIX. huiusmodi: *Senatusconsultum factum est, ut Consul cum Tribunis plebis ageret, ut ad plebem primo quoque tempore ferrent, ut P. Ebutio emerita stipendia essent, ne inuitus militaret, neue Censor ei Equum publicum assignaret.* Tempus autem fuit, cum Equites priuatis equis merere coeperunt. itaque ratio secuta est distinguendi, publico, an priuato stipendia fecissent; quae causa esse videtur, ut primum omnium, & Equester ordo Caesij Sabini demonstraretur, & in bello Equo publico meruisse significetur. M. Tullius in sexta Antoniana conqueritur, Equites Romanos Equo publico statuae L. Antonij Patrono adscripsisse, quasi Equestrem ordinem non decuerit Patronum vllum adoptare. Sin his duobus in verbis dignitatem spectare malumus, illa consuetudo repetenda est, qua Romae ijs, qui censu equestri erant, honoris ergo publicus equus tribuebatur, & alebatur; ut contra ignominiae causa, si quos infamia aliqua attingebat, ijs equus Censoria seueritate adimebatur. De qua re T. Liuius libro XXIII: *Illis, Equi ademti, qui publicum Equum habebant.* omnibus ademti erant equi, qui Cannensium Legionum Equites in Sicilia erant, & libro XXIX: *Equitum deinde census agi coeptus, & ambo forte Censores equum publicum habebant; & Nero M. Liuium collegam Censorem, quia populi iudicio esset condemnatus, Equum publicum vendere iussit.* Amissa autem Republica, cum omnia ab vno Imperatore & darentur, & expectarentur, quoniam magni aestimabatur, quidquid beneficij, munerisue loco ab illo acciperetur, ut opinor, acceptus Equus publicus inter primos honores connumerari coepit: quasi Caesaris de Equite Romano accipientis iudicium quoddam praeclarum benevolentia plenum, aut certe census ipsius testimonium. Exstant Equo publico ornatorum sexcentae lapidum inscriptiones, non solum magnorum hominum, verum interdum eorum quoque, quos existimes ex ijs verbis ab Imperatore in ordinem Equestrem lectos; cum aut Equites antea non fuissent, aut censu non essent: credasq. Equum publicum videri, quod Republicae temporibus annulus fuit, quo donabantur quicumque in Equitum numerum recipiebantur. Sed hoc intelligi de Caesio Sabino non potest, cum iam inde ab initio Equites Romani Caesij omnes fuerint; & minores, maioresq.

Magistratus adepti; quemadmodum ex scriptoribus ostendimus. Secundo loco Caesio Sabino adscribitur AED. Aedilem vero Plebis eum fuisse non obscure Plebs indicat. Urbana ipsa, quae se statuam Caesio cum hoc elogio conlocasse testatur. PONTIFICI. Quindecim erant Pontifices, in quorum collegium lectissimi ciues cooptabantur. Mihi profecto dignitas Sex. Caesij Sabini, vel ex hoc vno sacro Magistratu summa, & maxima visa est, quod eum haud facile quivis consequebatur. Pontifices Religiones administrabant, potestatem de sacris rebus omnibus iudicandi, & non obtemperantes multandi habebant: hi primum à collegio, deinde à Populo, postremo ab Imperatoribus, qui maximi ipsi erant Pontifices, accidit, ut legerentur, Caecilij Plinij clarissimi Viri, & Consularis exstat Epistola, quae petit à Traiano Imperatore sacerdotium aliquod, quo se magnopere ornatum iri sperat; at sacerdotium si tanto viro ornamentum magnum adijcebat, quid de Pontificatu existimandum est? qui Sacerdotibus omnibus imperat; quo quidem ab Imperatore auctus Caesius Sabinus valde ostendit, quo loco ipsius existimatio fuerit. FLAMINI TRAIANALI. M. Cicero breuiter, ac dilucide, quid differant Pontifices, ac Flamines in secundo de legibus exposuit; cum inquit. *Diuisq. alijs Sacerdotes, omnibus Pontifices, singulis Flamines sunt.* Erat enim Flamen sacerdos, qui vni Deo addictus propria ei sacra faciebat, nomenq. ab eo capiebat, ut Dialis, Martialis, Quirinalis, Vulcanalis, atque eiusmodi. Ad quod exemplum post oppressam Rempublicam, cum Imperatores vita functi consecrarentur, atque inter Deos referrentur, Flamines ipsis quoque decreti sunt. Primus omnium etiam viuus flaminem habuit C. Iulius Caesar, auctore M. Antonio, in quem illa sunt M. Ciceronis: *Tu illum amas mortuum? quem is maiorem honorem consecutus erat, quam ut haberet puluinar, simulacrum, fastigium, Flaminem? Est ergo flamen ut Ioui, ut Marti, ut Quirino, sic D. Iulio M. Antonius. quid igitur cessas? cur non inaugurare; sume diem; vide qui te inauguret. Collegae sumus, nemo negabit. O detestabilem hominem, siue quod Tyranni Sacerdos es, siue quod mortui.* Et: *Nescis heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuisse, te autem ipsum ad populum tulisse, ut quintus praeterea dies Caesari tribueretur; cur non sumus praetextati? cur honorem Caesaris tua lege datum deserui patimur; an supplicationes addendo diem contaminari passus es? puluinaria noluit: aut undique Religionem tolle, aut usquequaque conserua.* Ex his intelligimus, quae ad augurationem Flaminum pertinent, ad sacrificium, supplicationes, & ludos per Flaminem praebendos. In vetustis lapidibus M. Publicij, & L. Acutij Flaminum D. Iulij mentio reperitur. item in alijs C. Valerij, M. Artorij Flaminum D. Augusti. Non libet recensere Claudianos, Flauiales, Hadrianales, & reliquorum Caesarum: facile illa vel superstitio, vel impietas ad multos peruasit. Sed Traiani sacerdotes cum multis reperiam, non eodem modo

sempe

semper appellari animaduerto. alias P. Clodio, Flaminis Diui Traiani inscriptum est: alias C. Plaetorius est sodalis Traianalis: alibi P. Caelium Balbinum Vlpialem Flaminem legi. Hic dicitur Caesius Sabinus Flamen Traianalis: si quid hoc refert, & certe refert scire, non nihil interesse inter Flaminem, & Sodales, non solum si munus spectes, verum etiam si personam. Iulius id Capitolinus docet, cum inquit: *M. Aurelium Antoninum Antonino Pio patri Flaminem ex affinibus, Sodales ex amicis instituisse.* Quae si perpetua fuit ratio, quae iam inde ab initio coepit, quod Antonius affinis fuit C. Caesaris, etiam Caesium Sabinum affinem suspicari licet Traiani, & Hadriani, cuius filia sororis Traiani Sabina dicta est, ut nos Caesiae Sabinae monumenta habemus. Sed de Flamine haecenus, cum satis illud sit, Consulares viros, nobilissimos quosque, & Principis affines, & amicos huiusmodi Sacerdotijs de functos. PATRONO MVN. Plena sunt omnia lapidum, in quibus Coloniatarum, ac Municipiorum Patroni honestantur. egregie Dionysius Halicarnasseus libro II antiquitatum Romanarum exsequitur, quae ad institutos Patronos, & clientelas attinent. atque inter plurima hoc refert, ut Gelenius vertit: *Nec tantum in ipsa Vrbe Plebs tuta erat patriciorum patrocinio, sed & Coloniatarum, & sociatarum, ac amicarum ciuitatum, & bello subactarum, quaeque suos habebat Patronos quoscunq. vellet à Romanis ciuibus, & saepenumero Senatus controuersas ciuitatum, ac gentium ad earum Patronos remisit, eorumq. iudicia rata habuit, & reliqua.* Fuit igitur haec antiquissima etiam ante Caesares Imperatores consuetudo, ut Reges, Prouinciae, Praefecturae, Coloniae, Oppida, Municipia, Nationes, Collegia, adoptarent insignem Romae virum aliquem gratia, honoribus, opibus florentem, qui cura illorum suscepta, locis omnibus tueretur, quem aduocatum, ac defensorem rationum, & rerum suarum haberent; quo rectius ei statuas collocabant, clypeos, & imagines exornabant; elogia, ac monumenta dedicabant; sic olim Caesare Bitynij, Cicerone Siculi, Catone Cyprij Patronis vsi sunt. Plinius ad Fabatum profocerum; *Oppidum est praedijs nostris vicinum, nomen Tifernium Tiberinum, quod me pene adhuc puerum patronum cooptauit; tanto maiore studio, quanto minore iudicio aduentus meos celebrat; profectioibus angitur, honoribus gaudet.* In hoc ego, ut referrem gratiam, nam vinci in amore turpissimum est, *Templum pecunia mea extruxi, cuius dedicationem, cum sit paratum, differre longius irreligiosum est.* PLEBS VRBANA. Hinc etiam perspicui potest, quam esset grata Senatui, Populoq. Romano Patronorum in Colonos, Municipesq. suos humanitas. Visuntur lapidea monumenta, in quibus legitur Senatus Populusue decreuisse, ut statuae Patronis publice ponerentur, ac quemadmodum inscriberentur, ostendisse. Praetereo id quod suo loco dicam de T. Caesio Bassiano, qui scribendo affuit cum alijs Senatoribus. De forma inscriptionis dandae statuae Ferentini in Vineis lapis do-

N 3

cet,

cet, A. Quinctilio Prisco, propter eius eximiam pietatem in Municipales suos, statuam publice ponendam in foro, ubi ipse vellet, Senatui censuisse; eumque ornamenta statuac, & imaginum suarum addidisse. Hic vero Plebem Urbanam, ipsam Romanam intelligo. neque enim video, quae Plebs alia illis temporibus Urbana dici posset. In horreis Palatinis marmor est inuentum cum hac inscriptione: IMP. CAESARI D. F. VESPASIANO PLEBS VRBANA: quae frumentum Publicum accepit. Plebis erat imagines familiarum, & statuas ijs, quos honoribus extulissent, tribuere: de qua re habemus Ciceronis testimonium aduersus Rullum. possumus tamen, & Salsinatem Plebem intelligere, sine multa reprehensione. H. R. I. R. Has notas, qui interpretatus sit, non vidi. Post varias eas, ac multas explanationes, quas diutius cogitando congruere posse cum argumento, aut notarum consuetudine sentiebam, haec aliquando verissima visa est: Honore recepto, vel Honoribus receptis, si plures statuac positae sunt, Impensam, vel Impendium Remisit: atque ubicunq. fuerint hae notae, nihil posse aptius significari puto. In eodem Ferentini lapide, quem modo nominavi, post ea verba:

SENAT. STATVAM. PVBLICE. PONENDAM. CENSVERE. sequitur. H. A. I. R. Honore Accepto Impensam Remisit. sic in alijs lapidibus, visitur. nolebant enim optimi Patroni grauibus eos sumptibus opprimi Municipales, aut Plebem, aut Collegia, quorum utique commendanda fuit liberalitas. Itaque quam apposite declaratis notis dicatur Caesius Sabinus honore recepto impensam remisisse, perspicuum est. est vero valde Latina locutio: Honorem recipere: qua M. Tullius vsus est, cum inquit, iure sibi inimicum fuisse Caesarem, qui ab eo ne honorem quidem recipere voluisset.

Item Remittere impensam, vel impendia, uti Remittere pecuniam, satis emendate dicitur. Haec mihi pertinere sunt visa ad explicandum elogium hoc Sex. Tertij Montani Caesij Sabini. Nam de tempore, de loco, de nominibus satis à principio mihi videor differuisse. De ipsa Tribu Pupinia nihil at-

tinere dicere, neque enim solius est Municipij Salsinatis, sed Laudis Pompeiae in Insubribus, & aliorum: neque, licet antiqua sit, & honorata, propriam quamdam habet laudem, qua insigniter Caesij Sabini commendentur. Quod ad Sexti praenomen attinet, Sextum Caesium Equitem Romanum supra, & Sex. Caesium Hilarinum inter Tiros Caesios aspicimus.

Attinet, Sextum Caesium Equitem Romanum supra, & Sex. Caesium Hilarinum inter Tiros Caesios aspicimus.

Attinet, Sextum Caesium Equitem Romanum supra, & Sex. Caesium Hilarinum inter Tiros Caesios aspicimus.

Attinet, Sextum Caesium Equitem Romanum supra, & Sex. Caesium Hilarinum inter Tiros Caesios aspicimus.


Attinet, Sextum Caesium Equitem Romanum supra, & Sex. Caesium Hilarinum inter Tiros Caesios aspicimus.

DE C. CAESIO ROMANO CIVITATE DONATO


Ex Tabula Aenea Cremonensi

Caput IV

Tabulae Aeneae vnius ex tribus anterior facies.



A tergo.



HAEC



MAEC secunda Tabula ex tribus est aeneis, inuentis iam pridem ad secundum a Cremona lapidem: Romam illae prius delatae fuerant, sed ab Grimano Aquileiensi Antistite Venetias postea ex vrbe sunt in patriam missae. Tabulae tres, vt apparet, sunt coniungendae, descriptae, vt ipsae testantur, & recognitae ex archetypa aenea, quae fixa Romae fuerat in muro post templum D. Augusti ad Mineruam. Huiusmodi enim Tabulis, & nomina incidi solita ciuium Romanorum, & ipsas publice parietibus affigi solitas, ostendet exemplum, quod de ciuitate Campanis Equitibus data, paullo post ex Liuiio afferam, & cum alij, tum Cicero ipse docet multis in locis, ad Acilium quidem apertissime Epistola, cuius initium hoc est. *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. ei Dolabella rogatus meo ciuitatem a Caesare impetrauit, qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius appellatur. Cumque propter quosdam sordidos homines, qui Caesaris beneficia vendebant, Tabulam, in qua nomina ciuitate donatorum incisa essent, reuelli iussisset, eidem Dolabellae, me audiente Caesar dixit, nihil esse, quod de Mega vereretur, beneficium suum in eo manere. Hoc te scire volui, vt eum in ciuium Romanorum numero haberes.* & alibi, *Inspectantibus nobis, toto Capitolio Tabulae figebantur.* Denique hoc proprium fuit Tabularum, vt figerentur templis, postibus, parietibus, muris publicis, sacris, religiosis: quae consuetudo confirmatur hac quoque Tabula, in qua nomen incisum est C. Caesij Romani ciuitate donati, anno post V. C. DCCCLXXXII. P. Iuuentio Celso, Q. Iulio Balbo Cos. Hadriano iam ann. XII. Imperante. Quod vt apertius cernatur, verba ipsa primae Tabulae, quae litteris magnis propter longitudinem non descripsimus, hoc loco apponenda sunt, quae eadem sunt vtraque in parte notis solum diuersa.

Imp. Caesar. Diui. Traiani. Parthici. F. Diui. Neruae. Ne-
pos. Traianus. Hadrianus. Aug. Pont. Max. Trib. potest
XII. Cos. III. P. P. ijs. qui militauerunt. in. classe. Praetoria
Misinensi. quae. est. sub. Iulio. Frontino. sex. &. viginti
stipendijs. emeritis. dimissis. honesta. missione. quorum
nomina. subscripta. sunt. ipsis. liberis. posterisq. eorum
Ciuitatem. dedit. &. Connubium. cum. vxoribus. quas
tunc. habuissent. cum. est. Ciuitas. ijs. data. aut. si. quis. cae-
libes. essent. cum. ijs. quas. postea. duxissent. duntaxat. sin-
guli

guli. singulas. ad. XII. Mart. P. Iuuentio. Celso. II. Q. Iu-
lio. Balbo. Cos. ex. gregale M. Numisio. Saionis. Nomasio
Corso. Vinac. in Cabulae parte tertia auersa. Ad VII. K. Ian.
Marcello. &. Cn. ::::: lo. Cos. ex. gregale. L. Valerio
Saionis. F. T. Aruio. Opino. ex. Cors.

In qua antiquissima, pulcherrimaq. Tabula, si qua ad eruditionem, aut ad Caesios pertinebunt, ea mihi pro instituto attingere curae erit. Ac primum, quoniam de antiquis haecenus tres occurrunt ciuitate donati in gente Caesia, causas trium donationum quaerere constitui. primam dico, cum nondum quisquam Caesius ciuis Romanus esset: primum receptum in ciuitatem conijcio, post Reges exactos, anno CLXX. nam post. V. C. CCCCXIII. Consulibus T. Manlio Imperioso, & P. Decio Mure, qui se deuouit bello Latino, Latium, & Capua agro multati sunt, praeter Campanorum Equites, qui fidi omnes Populo Romano fuerant. propterea ijs ciuitatem datam Liuius inquit; monumentoq. id vt esset, aeneam Tabulam in aede Castoris Romae fixam tradit. Vestigal quoque Equitibus Campanum Populum iussu pendere in singulos quotannis denarios nummos quadringenos, quinquagenos, numeratosq. eos Equites scribit mille, & sexcentos. Inter hos fuisse, opinor M. Caesij auum eius, qui post annos quinquaginta Imperator Campanae Legionis, & successor D. Iubelli Equitis Campani oppidum Rhegium bello Tarentino aduersus Regem Pyrrhum defendit: de quo superius satis multa attulimus. Causam secundae donationis hanc existimo: Cum fortasse propter facinus militum, qui Rhegium diruerant, Dux eorum M. Caesius in exilium Rauennam concessisset, liberiq. ipsius, ac posteri ibi se pro ciuibus gerentes ex lege Romanam ciuitatem amisissent; centesimo octuagesimo tandem post eum casum anno, qui ex ea stirpe supererant in urbem reuerterunt. Etenim anno post V. C. DCLXIII. Cn. Pompeio Strabone, L. Portio Catone Cos. Marfico bello confecto, P. Caesius Eques Romanus, qui in auxilium Populi Romani ex Gallia Cispadana cum decem millibus hominum ad L. Caesarem Consulem venerat, ob virtutem, egregiamq. eo bello operam praestitam ius est adeptus Ciuitatis amplissimum, auctore Consule Pompeio: atque post illud tempus continuo florere hominibus magnis, atque illustribus visa est Caesia gens, quod abunde supra demonstratum est. Itaque tam Romae, quam tota Italia, vigentibus Caesius plurimis, atque omnes Magistratus gerentibus, huiusce donationis tertiae causa, quae maxime esse potuit? an quoniam deducendis Coloniae si in Latinam Coloniam ciues Romani nomina darent, ciuitatem amittebant, contigit, vt

O Caesius

Caesius aliquis hoc pacto (nam id saepe accidebat) ciuis Romanus esse defuerit, ac propterea ipsius stirpi ciuitas beneficio Principis repetenda fuerit. Fateor probari mihi hanc opinionem, praesertim cum Romani cognomen multis quoque summus viris commune, & ad posteriores etiam Caesios transmissum, ostendat C. huius Caesij maiores aliquando Romae domicilium habuisse. Quamquam, & peregrinus esse potuit. verum fauente Caio aliquo Caesio, ipsius honoris gratia nomen illud desumpsisse. Sic enim mos fuit, vt qui domi suae nobilis beneficio Romani ciuis ciuitatem obtineret, nomen illius acciperet; propterea tot Pompeios in Sicilia, tot Iulios in Gallijs deprehendimus. neque dubito, quin ex tam multis Caesijs, ac Pompeijs plerique, sic Caesiae potentis familiae opera ciuitatem fuerint consecuti. Tales mihi videntur cum alij multi, quos omitto, tum imprimis tres Caij Caesij ex multis Caesijs, Vespasiani temporum, quae attigit Caesius Bassus, cuius forte clientes comitijs Centuriatis adiuuant sententiam nostram. exstant eorum nomina in amplissima omnium, quas viderim, & pulcherrima marmorea inscriptione, quae ab arcu Septimij in aedes Farnelias translata est, huiusmodi:

PACI AETERNAE
DOMVS
IMP. VESPASIANI
CAESARIS. AVG
LIBERORVMQ. EIVS
SACRVM
TRIB. SVC. IVNIOR

C. CAESIVS. PRISCVS
C. CAESIVS. SYMPHORVS
M. CAESIVS. PRIMVS
C. CAESIVS. SYNTROPHVS
L. CAESIVS. THALLVS

Dedicata haec Basis est cum statua, XV Kal. Dec. L. Annio Basso, C. Caecinna Paeto Cos. vt in sinistro latere incisum est: anno post V. C. DCCCXXIII. nam in dextro incisa nomina sunt trium Centuriarum, quae ad Statuam ponendam aes contulerant: à tergo quinque aliae visuntur Centuriae, in quarum prima, cuius caput est, C. CORNELIVS. SVCCSVS, Caesij quatuor leguntur, videlicet: C. CAESIVS. PRISCVS. C. CAESIVS. SYMPHORVS. M. CAESIVS. PRIMVS. C. CAESIVS. SYNTROPHVS: in tertiam, cuius caput est: T. IVLIVS PRIMIGENIVS, L. CAESIVS THALLVS nomen dedit. Itaque non est dubitandum, quin ij ad C. Caesium Bassum pertineant. Tales, & quidem alij. Cum autem multis modis facultas proposita esset acquirendae Ciuitatis, hoc animaduertimus, non alijs artibus quam belli, ac militiae laudibus Caesios id praemij consecutos. bello Latino M. Caesius Eques Campanus; bello sociali P. Caesius Eques Romanus; classe Misenenfi Praetoria C. hic Caesius Romanus, sex, & viginti stipendijs emeritis honesta missione

sione dimissus. Hac in re Hadriani diligentiam Aelius Spartianus his verbis ostendit: *De militum etiam aetatibus indicabat, ne quis aut minor, quam virtus posceret, aut maior, quam pateretur humanitas, in castris contra morem veterem versaretur: agebatq. vt sibi semper noti essent, & eorum numerus sciretur.* Alias igitur annu alij finiendae militiae praefinitij, sub Hadriano in classe Praetoria Misenenfi sextus, & vigesimus. Reipublicae tempore Pedes XX. stipendia, Eques X. merebat, antequam ullum magistratum capere posset; qui porro praefinita stipendia exoluerat, siue ea decem, siue sexdecim, viginti sex, & viginti, trigintaue essent, honestam missionem consequebatur. Etenim missio triplex fuit, honesta, necessaria, ignominiosa. Honestam, quam diximus, cum milites emeriti ob iusti temporis operam bello praestitam, cum praerogatiua, & ornamento, sacramento soluebantur: Necessaria vel causa valetudinis, vel ob aetatem, vel ob hereditatem ad eundem, vxorilue morbum, aut obitum: Ignominiae ergo mittebantur etiam inuiti, milites seditiosi, desertores, turpifq. culpaecompetes; quarum missionum exempla legimus apud historicos homines. Ceterum militum classiariorum Misseni, quorum monumenta multa exstant, fuit honorata militia. Apud Tacitum Legio Classiariorum interfuit creando Principi; multa q. & turbare, & iuuare ea in re potuit. Sub Vitellio Imperatore Claudius Apollinaris legitur praefectus Classis fuisse Misenatum. sub Hadriano cum C. Caesius militaret, praerat Iulius Fronto, filius, neposue Iulij Frontonis, qui sub Galba Tribunus praepositus vigilijs, sub Othone Tribunus militum, Fratrem Iulium Gratum habuit in partibus Vitellianis. Primum autem in Tabula nomen est C. Iulij Urbani, secundum C. Caesij Romani, ciuitate donatorum. Sed cur praeponebatur Iulius, fortasse & Q. Iulij Balbi Consulis, & Iulij Frontonis necessitudo fecit. C. Caesio fauere potuit alter Consul P. Iuuentius Celsus, propterea quod Caesios à Iuuentia familia adoptatos legimus, quo in loco obseruandum est Iuuentij nomen, quod aliquibus libris, ac lapidibus perperam per Iuuentius scriptum; in hac Tabula aenea, & alibi recte per V. Iuuentium scribi. Quod autem Imperator Hadrianus non ciuitatem solum militibus Classis Misenenfi Praetoriae, verum etiam connubium cum vxoribus largitur, quas tunc haberent, vel quas postea duxissent: hoc nihil aliud est, vt vno verbo dicam, nisi duplex beneficium, duplexq. donatio ciuitatis; hoc est, vt non solum ipsi emeriti milites, verum etiam, vt in eorum gratiam ipsorum vxores & liberi, posteriq. ciues Romani esse possint. Etenim cum connubium non esset nisi inter ciues Romanos, si C. Caesius vxorem habuisset Latinam, aut peregrinam, quamuis ciuitate donatus, tamen non legitimos filios, neque ciues Romanos, sed Latinae, aut peregrinae condicionis ex ea suscepisset, nisi Imperator connubium cum illa ipsum habiturum, hoc est eam pro ciue Romana

mana futuram declarasset. Atque oportune exemplum occurrit C. Iulij Urbani, qui cum Caesio ciuitate donatus est, cuius haec est inscriptio Romae in aedibus Maffeijs.

C. I V L I O V R B A N O
E T I V L I A E O P T A T A E
C O N T V B E R N A L I
E T C. I V L I O P E C V L I A R I
F I L I O P O S T. Q. S V I S

Hoc monumentum posuit C. Iulius Urbanus sub id tempus, quo cum Caesio ciuitate donabatur. Nam Iuliam Optatam contubernalem vocat, cum qua beneficio Principis postea illi connubium fuit. Iulius autem Peculiaris ipsius filius in ciuium Romanorum numero non fuisset, nisi patri cum Iulia Optata connubium fuisset, hoc est nisi vterque parens ciuis Romanus exstitisset cum vero addit cum Vxoribus, quas tunc habuissent, cum est ciuitas ijs data, aut si qui coelibes essent, cum ijs, quas postea duxissent, auget magno beneficio. poterat enim cogere, vt coelibes ciuitate iam donati ciuem Romanam Vxorem ducerent, sed ipsorum cognationis, atque externarum amicitiarum ratione habita permittit, vt si Vxorem, quae ciuis non sit, duxerint, tamen constet illis matrimonium, ac perinde habeatur, ac si ciuis esset, vt iura patrum ciuium Romanorum in filios tamquam ex vero connubio consequatur. Sed ne id saepius permitti sibi milites recepti in ciuitatem putent, addit: DVMTAXAT SINGVLI SINGVLEAS, hoc est semel tantum: feminam, non ciuem habere iusto connubio possint. ea si defuncta fuerit, aut ciuem Romanam ducant, aut intelligant non fore iustum matrimonium, & iura ciuium Romanorum filios non habituros. Quod additur, has tres aeneas Tabellas descriptas, & recognitas fuisse ex Tabula aenea, quae fixa erat Romae, post templum D. Augusti; id in causa, cur Cremonam, in cuius agro repertae sunt, transferrentur, esse potuit, quod aliquem ex ciuitate donatis eo habitatum concessurum, fidem hoc testimonio facere oportuit, se ciuem Romanum esse; ac propterea iure ciuium vendundis, emundisq. rebus, hereditatibus adeundis, Magistratibus gerundis vsurum. Caesiorum quidem prope Cremonam, Laude Pompeia, Mantuae, & Veronae mentio in inscriptionibus antiquis exstat. Addam nunc inscriptionem, quam a Magno Alciato descriptam reperio, cum ea in Vrbeuctana Vrbe apud sodales Augustinianos esset, duobus hinc inde humanis capitibus est marmore conspicuo, in Triclinio ad aquarum vasum epolocato. Sed ipse cum in-

quirendi

quirendi causa ad Sebastianum Rutilonum Municipij illius moderatorem scripsissem, is, qua promptissima fuit humanitate, quaesitum, ac repertum Romam ad Caesium Cardinalem transmisit; quam vidi, sum dimensus, ac legi hunc in modum.



Non enim libertam se profitetur, quod indicium est, Matronam antea Gracam fuisse. Fortasse vero C. Caesius nepos cognatus erat C. Caesij Romani, C. Caesij Ianuarij, C. Caesij Callinici: Alter visitur Romae in aedibus Laurentij Particappae ad D. Basilij, vt editum est in volumine inscriptionum vrbis; nunc vero lapis alio translatus est, & ita, vt appinimus, fractus conspicitur: Alter pulcherrimo in lapide Cospariae visitur apud Remigij, docti quidem viri, heredes, prope Oppidum Burgum Sancti Sepulchri, vt expressam diligenter misit Baldus Angelus Eugubinus medicus. vbi Cupidinem cernere est, cycnos duos, Veneris aues, amplexantem.






Admonuit me Iulius Jacobonius Callinici nomen fuisse Patriarchae Constantinopolitani; eundemq. ignem, qui sub aqua arderet inuenisse: cuius, & Leontij patritij dolo Iustinianum Minorem Imperio deturbatum, nareq. abscissa, Chersonam relegatum: mox vero Bulgarorum Regis opera restitutum, Tiberio, qui Leontio successerat, fugato, & Callinico Patriarcha luminibus priuato. Ad Callinici verbum quod spectat Graccum est; & *καλλινικος* victor egregius dicitur: hoc cognomen Herculi, & Theseo fuisse inditum, idem quoque Jacobonius obseruauit.

TV.

DE T. CAESIO PRIMO PRAEFECTO ANNONAE
 cui à filio statua posita est Caput V.





EMO adhuc deijs, qui pridem veterum inscriptionibus tam Urbis, quam Orbis legendis, ac colligendis studuerunt, curare omisit, quin hanc, quae T. Caesij est, auide cum primis ederet. Postremo accuratissime omnium Iunior Aldus de lapide ipso Praeneste exscriptam, missamq. sibi in fronte Orthographiae suae spectandam proposuit. Inscriptionis est hoc argumentum. T. Caesium Taurinum statuam patris sui, T. Caesij, Primi Praefecti Annonae, viri clarissimi in templo statuere Fortunae.

TV QVAE TARPEIO COLERIS VICINA TONANTI

Dubitatio statim à primo versu oritur, quomodo verum sit, hunc lapidem, qui Praeneste in Antistitis aedibus visitur, fortunae Praenestinae sacrum fuisse. cum T. Caesius Fortunam eam appellet, quae Romae in Capitolio vicina Ioui Tonanti colebatur: & est traditum, bonam fortunam, quam praecipue intelligere T. Caesius videtur, Romae in Capitolio cultam fuisse; aedem Sex. Aurelius Victor in Capitolij regione ponit, vt aediculam quoq. Fortunae Obsequentis: & Plutarchus scribit à Seruio Rege in Capitolio fanum constructum Fortunae Primigeniae, quam *πρωτογενειαν* Graeci vocant: Et si Liuius libro quarto de bello Macedonico aliam fortunam Primigeniam in colle Quirinali collocat; ac sane doctissimus vir Gyraldus hanc inscriptionem pertinere existimat ad Fortunam Primigeniam. Est praeterea notissimum, in Capitolio fuisse aedem Tonantis Iouis, de quo Propertius: *Tarpeiusq. pater nuda de Rupe tonabat.* & Ouidius: *Iurctaq. Tarpeio sunt mea templa Ioui.* eam vero aedem condidisse, ac dedicasse Augustum scribit in historijs Dion. eandem descriptores urbis fuisse positam dicunt in Clivio Capitolino, vt omnia confirmet, cum Iouis Tonantis Fortunae aliquot aedes in Capitolio, aut prope Capitolium fuerint, T. Caesium statuam parentis Romae ad Capitolinam Fortunae aedem posuisse. Quid igitur censendum; lapidem fortasse ab vrbe Praeneste asportatum fieri hoc potuit, suspicionemque faciebat liber inscriptus Epigrammatum urbis, qui Caesianam inscriptionem inter urbanas positam habet. Verum tamen, cum neque id affirmari possit, neque causa vlla sit, cur eum lapidem cuiquam Praeneste auerere libuerit: vel dicamus, quod fieri solitum animaduertimus, exemplar Capitolini Praeneste quoque, & alibi positum, vel inspiciamus, an Fortunam Praenestinam T. Caesius significarit. Eius quidem mira quaedam tota Italia priuatim, ac publice religio erat, ad eiusq. sortes, atque auxilium implorandum vndique conueniebatur, vt cum T. Caesius dicat, à fortuna parenti suo longae vitae tempora promitti, nullam videatur aliam, quam Praenestinam indicare: à qua sciscitari de futuris cum rebus alijs, tum vitae diuturnitate veteres soliti fuerant. confirmat id Suetonius, cum Praenestinam Fortunam scribit Domitiano sciscitanti per omnes annos laetam, eandemq.

demq. sortem dare assuetam, extremo tristissimam reddidisse, cum interfectus est. Nec vero illud obest, quod eam coli ait vicinam Tarpeio Tonanti. Primum enim dicam, neque Tonantem, pro Ioue Tonante, siue, vt Appuleius vocat, Tonitruali semper accipi, verum saepe simpliciter pro Ioue, vt mos poetarum fuit appellandi: neque Tarpeium magis pro Rupe Tarpeia, quam pro Capitolio dictum videri. Solebant quippe libere veteres pro Capitolio ponere Tarpeiam Rupē. Itaque Iouem Capitolinum, illum Optimum Maximum, in Tarpeio Tonante intelligi iudico; deinde illud: COLERIS VICINA, nō de loco, neque enim conuenit, sed potius de cultus magnitudine cultui Iouis prope pari accipio, qualis illa Graecorum locutio est *παρὰ πλοσίας τοῖς μαινομένοις οἱ πόντοι ἐρηνοῦσι οἰον;* idest vicini, seu vicinum insanientibus poetae incendunt, hoc est aequè ferè, ac insani. *Coleris vicina Tarpeio Tonanti.* hoc est tanta fere Religione, quanta Iupiter Capitolinus. neque enim necesse est de loco semper, vt vicinitas dicatur. Nam vicinam Rhetoricae Dialecticam M. Tullius dicit. idemq. nominis alicuius, Artium, studiorum vicinitatem vocat. quod autem T. Caesius in carmine dixit, vicinam, M. Tullius proximam dixisset. *Ioui Tonanti vicina coleris*, hoc est proxime, & secundum Iouem Capitolinum: tam prope tui cultus summo accedit, vt sit secundus ad Iouis Religionem Capitolini illius, in quo ornando multi Reges, multae nationes, multi priuati opulenti, ac potentes pro templi dignitate, Imperijq. Romani nomine summis votis operam, curam, pecuniam impenderunt. Cum vere id vicinum sit Ioui, quod maximum, ac potentissimum est. Tu fortuna, quae statim post Iouem potens, ac beneficentissima crederis, Templum pulcherrimum, ac Capitolino simili possides. Qui sensus adiuvatur sententia, quam refert Cicero, quemdam dicere solitum, nusquam se fortunatiorem, quam Praeneste vidisse Fortunam. Cuius templum Strabo libro quarto inquit, illustre fuisse, & donis multis multorum ornatum. Sortium autem Praenestinarum originem vide apud Ciceronem.

VOTORVM VINDEX SEMPER FORTVNA MEORVM

Quid est, quod Fortunam appellat vindicem votorum? est omnino vindex ambiguum vocabulum. Nam vindicem dominationis oppressorem, ac propulsatorem; vindicem libertatis defensorem, ac restitutorem intelligimus. Vindex mali alicuius, est qui malum illud prohibet: Vindex temeritatis, qui se temeritati opponit: Vindex sceleris, qui punit, ac vlciscitur: Vindex aeris alieni, qui soluere, ac satisfieri creditoribus curat: apud Horatium Vindex est auarae fraudis, qui poena coercescit auaritiam, & animaduertit in auaros fraudulentos: Vindicem votorum alibi non legi, neque nimis afferendis exemplis dici possum, cum ex ijs tamen vindicta votorum quid sit, non demonstratur. Festus inquit, Vindicem esse, qui vindicat, quo minus, qui praehensus est, ab aliquo teneatur. Ego, vt sine auctore, sic cum ratio-

ne opinor cum vindicem esse votorum, qui explet expectationem desiderij. Te appello Fortuna vindex meorum votorum, quae scilicet non diutius pateris, esse me in desiderio opum, atque honorum, sed semper ades benigna, semper optatis meis secundissime respondes. Nondum mihi tamen satisfacio. quid si sic? Fortuna vindex votorum meorum, hoc est, quae si quid tibi voui, tu boni ut quippiam consequar, facis; si quid tibi ex voto debeo, id merito exigis, ut persoluam. quae quoniam tibi vota perpetua facio, etiam concedendo semper, ac largiendo facis, ut iure vota persoluam. Sed fortasse melius sic: Tu Fortuna quoniam res mortalium pro tuo arbitratu administras, iccirco sola, semperque vindicas tibi vota mea, tibi semper, ut supplicem, à te sola omnia, ut expectem, facis. M. Cornelius Fronto ait, vindictam futura prohibere, neque Martem dici vindicem posse, sed ultorem. Itaque cum ut bona, sic calamitates inuehi à Fortuna dicerentur, Vindex est Fortuna votorum, quibus susceptis in spe, & in timore constitutis hominibus, ex eo quod factura est, vindicatura dicitur vota nostra. In hanc sententiam Plinij Auunculi sunt illa verba ad Vespasianum Imperatorem scripta: *Toto, inquit mundo, & locis omnibus, omnibusque horis omnium vocibus Fortuna sola inuocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuicijs colitur.* Deinde paullo post: *huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola utranque paginam facit.*

ACCIPE, QVAE PIETAS PONIT TIBI DONA MERENTI. Pietatem in parentes ostendit: postea, cum inquit se pro pietate statuam parentis ibi statuere: pietatem in Deos hoc loco ostendit, cum dona affert. quod hic est *Dona*, perperam Gyraldus edidit *Dura*. MERENTI. merentem dicit, aut quasi declinet inuidiam, sicut Timoleonem in Sicilia rebus maximis gestis inscripsisse ferunt Fortunae, quae sponte negotia confecisset, ne si virtuti, consilioque suo aliquid tribuisset, inuidos magis excitaret, aut quasi bonorum auctorem, Deam agnoscat; ideoque conciliet. nam summum ducem alium perhibent, cum sibi, non Fortunae rerum gestarum laudem vindicaret, iratam Fortunam semper postea malis successibus, multisque acceptis incommodis sensisse. Itaque huic opinioni tantum tribuit antiquitas, ut virtutem, quae maxima Romuli fuit, nullam fuisse futuram putaret, nisi Fortuna Romulum ad exercendae virtutis facultatem seruasset. Quamobrem excusandus T. Caesius, si communi errore ductus benemeritam Fortunam inquit. sciebat enim quantum debere Fortunae pridem professi essent. Sylla, Caesar, ac Romani fere omnes.

EFFIGIEM NOSTRI CONSERVATVRA PARENTIS. Non potest diuidi à pietate in Deos pietas parentum, simulque parentis gloriae studet, cum munus affert Deae Fortunae. Studium quidem hoc statuendum

darum statuarum antiquissimum in vrbe fuit, permittebaturque ijs, qui maiorem aliquem magistratum gessissent: posteritas vero commendatione earum & nobilitatem demonstrabat, ac facilius honores assequeretur. Ego T. Caesium parentem magis cognosco ex hac filij ipsius pietate, ac monumento quis, qualisque fuerit, quam ex ipsius simulacro, quod iam nusquam existat, aut si existat, esse ipsius ignoratur. Aereum quidem licet suspicari, quod satis fidenter de perpetuitate pollicetur filius.

CVTVS NE TACEAT MEMORANDVM LITTERA NOMEN

CAESIUS HIC, IDEMQ. TITVS, PRIMVSQ. VOCATVR

Alibi pro Titus legebatur Titius, perperam, & contra consuetudinem praenominum, & contra rationem versus, & contra lapidis veritatem: sed inuenerunt quaedam opinio Titij nomen cum Caesio coniungi debere. Quamobrem & in Pandectis Titium Caesium pro Tito legimus, & in elogio Sex. Tettij Caesij Sabini, Sextum Titium non Tettium fecerat Onufrius, & alibi alij, & his in verbis collectores Epigrammatum vrbis, item libri inscriptionum orbis, (sic ea volumina nuncupantur) Titium, non Titum ediderunt: Sed gaudendum hercle est, quod tot saeculis incorruptum Caesij nomen ipsum tali in marmore durarit, potius, quam de praenomine, cuius lactura facilis est, querendum. Primum vero cognomen ego accipio esse T. Caesij. fuit enim & antea aliorum, praecipue M. Caesij Primi sub Vespasiano, alij existimant, Primum dici, quia primus Annonam procuraret, sed cum hoc non reperitur, ut primus, aut secundus quisquam in eo munere versatus dictus est, tum non decuit, ut patris cognomentum taceret filius, qui suum hoc est Taurini adiecit. Si quis autem penitus introspiciet, assentietur mihi, & T. Caesium Primum vocari, non primum digerere messes in pretium reperiet.

QVI LARGAE CERERIS MESSES, FRVCTVSQ. RENATOS
DIGERIT IN PRETIVM.

Mea sententia Praefectum Annonae designat, qui ut olim Reipublicae temporibus Aedilis rem frumentariam curabat, de quo munere antiquissima mentio apud T. Liuium libro IV. huiusmodi est. Et L. Minucius Praefectus Annonae, seu refectus, seu quoad res posceret, in incertum creatus: nihil enim constat, nisi in libros linteos utroque anno relatum inter Magistratus Praefecti nomen. Staius Papinius libro quarto Syluar. ad Plot. sic scribit. *Te Germanicus arbitrum sequenti Annonae dedit, omniumque late Praefectis stationibus viarum.* Atque eo magis persuasum mihi est Praefectum Annonae Caesium Patrem fuisse, & quod Triticej modij quatuor cum spicarum manipulis supra inscriptionem, in marmore sunt, & quod paullo post subdit filius.

IRE PER ILLOS

P 2 CONSV-

CONSuetvs PORTVS CVRA STVDIOQ. LABORIS
LITORA, QVI PRAESTANT FESSI TVTISSIMA NAVTIS.
Oportebat enim Annonae Praefectos portus omnes obire, ad quos conuechi
frumenta solebant, tutaq. itinera; vt essent, curare: iuxta illud Papinianum,
Praefecit stationibus viarum, atque omnia terra mariq. prouidere, vt copia
rei frumentariae esset. de quo munere Plinius Traianum laudans, ita loqui-
tur. *Inslar ego perpetui congiarij reor affluentiam Annonae, huius. Aliquando
cura Pompeio non minus addidit gloriae, quam pulsus ambitus campo, exactus
hostis mari; Oriens triumphis, Occidensq. lustratus. nec veronille ciuibus,
quam parens noster auctoritate, consilio fide reclusit vias, portus patefecit, itine-
ra terris, littoribus mare, littora mari reddidit.* Causa ex his verbis non est
obscura. Cur patrem Caesius dicat, solitum ire per portus: sic munus illud
postulabat. verbaq. Papinij, Caesij, Plinij mirifice inter se consentiunt.
Nam quod dixit patrem, DIGERERE MESSES, FRVCTVSQ. IN PRETIVM.
illud est constituere pretium Annonae. licet itaque de Caesij patris digni-
tate magnifice existimare, qui munus illud gereret. quod principibus in ciui-
tate viris demandabatur. CVRA STVDIOQ. LABORIS. omnia quae in bo-
no Magistratu requiruntur, in parente Annonae Praefecto esse, docet filius.
Nam cum summo studio, cura, ac labore, famam optimam, fidem, ac pu-
dorem coniungit his verbis.

CVI CONSTAT FAMA, FIDESQ.
ET QVI DIVITIAS VINCIT, PVDOR,
Iure, quoniam ad huiusmodi frumentariam curationem opus est viro non
nisi boni nominis, spectatae fidei, atque integritatis, & continentiae, quae
bona animi, quae propter dignissimus fuit ea dignitate pater, iccirco filius
recensuit: ne aut fortunae, ex qua propria nulla laus est, tribuat omnia; aut
diuitias, de quibus modeste confitetur, honoresque solos enumeret. Famam
igitur nominat primum, vt bonam, ac praeclearam; hanc patri constare dicit,
quomodo audiendus M. Tullius in Officijs; *Fundamentum*, inquit, *perpe-
tuae commendationis, & famae Iustitia est, sine qua nihil potest esse laudabile.*
Itaque hoc filius innuit, cum de Caesij patris bonitate, ac iustitia, omnium
esset fama consentiens. cupide expetitur eum fuisse, vt Annonae praeficeretur.
Desiderium enim multitudinis commouetur ipsa communi fama, &
opinione sanctitatis, modestiae, & probitatis alicuius.

CVI CONSTAT FAMA, FIDESQ. ET PVDOR; quid hoc verbo
CONSTAT sibi vult? num famam Caesij patris constare fide, & pudore? Con-
stat Caesio fama, fidesq. an quia firma sit, an quia consentiat, an quoniam fa-
ma, & fides in eo conueniant; respondeatq. famae ipsius fides ipsa, in qua, &
constantia, & veritas consistit eorum, quae praedicantur: vt Caesij optimae
famae, optimae fidei nomen coniungatur, addit Pudorem. est quidem famae
pudor

pudor, cum bonam expetimus, malam veremur, ac propulsamus. Est fidei
pudor, cum bonum nomen esse malimus, perfidiam, impudentiam detesta-
mur: est in omni vita, & hoc Caesio Praefecto Annonae pudor moderator
cupiditatis: quo propter famam, & propter fidem, & propter ingenuam in-
genij quandam vim abstinenter, & continenter se se gerit. hunc pudorem
constat esse in Caesio. Est quoque Pudor ea reuerentia, quam & ipse aduer-
sus alios, & alij aduersus ipsum adhibere solent, ac debent: tam hunc pudor-
em, quam illum alterum constare ait patri; ac propterea memorandum il-
lius nomen tacere se non posse. Nouum fuit, VINDEXT VOTORVM, DIGERERE
IN PRETIVM; CONSTARE ALICVI FAMAM. Nouum hoc quoque, quod dicit:
NE TACEAT LITTERA MEMORANDVM NOMEN, sed tamen non reprehenden-
dum. dixit Catullus chartam loqui. Illud quoque obseruandum, Litteram du-
plici T T. scribi in hac inscriptione, & Litora vnico T. Ceteras orthogra-
phiae obseruationes in suos locos reijcimus. Praeclarissimam vero senten-
tiam, cum inquit: ET QVI DIVITIAS VINCIT PVDOR, deosculari ne-
cesse est. cum sacris enim, & profanis, nouis, & veteribus primarijs scriptori-
bus coniurat: si communiter interpreteris, hoc est pudorem praestare diui-
tibus, vt ille dixit de bono nomine. at ego aliter, ac ne aliter quidem, sed praec-
larius quodammodo interpretor. amplector naturam vincendi, Victoria in
bello est, victoria aduersus hostes est; vt T. olim Liuius scripsit, *Verecundia
vincit timorem, pudor malignitatem vincit.* sic accipio T. Caesium dixisse, Di-
uitias vincit pudor. Dicerem, cur pugnant diuitiae aduersus pudorem, sed ve-
reor, ne longus sim. singula inscriptionis verba quemuis disertum faciant, ma-
gnis diuitijs expugnari Caesij patris Pudorem negauit hic versus.

NOTVS IN VRBE SACRA, NOTVS QVOQVE FINIBVS ILLIS,
QVOS VMBER SVLCARE SOLET, QVOS TVSCVS ARATOR,
Vel propter nobilitatem generis, vel propter laudem forensis, vel propter
honores gestos Romae. in quo domicilio Deorum, sacra vrbe, Regina ciuita-
tum, atque Imperatrice, sede Imperij orbis terrarum, bene Romae notus T.
Caesius, apud Senatum, Populumq. Romanum celebratus iure filius praepo-
suit Vrbanam celebritate. Obscuro Reges erant in Prouincijs clarissimi, nisi
Romae noscerentur. Multa sunt in hanc sententiam M. Ciceronis, qui fructus
omnes vel maximos, & honores Imperij Prouincialis cum vna ambulatiun-
cula amici Romae versantis non conferebat. Vna nobilitas Romana erat: il-
lustre nomen vere, ac proprie vnum olim Romanum fuit. Quod addit, patrem
Caesium, notum quoque finibus Vmbriae, Tusciae; id dicitur non solum
propter patriam, cum ex Vmbria esset; & in Vmbria opibus, & nobilitate
princeps, florensque Caesia familia, vt supra demonstratum est, Munic-
piorum clientelis abundaret, vsque ad Tuscos fundos, & praedia posside-
ret, quibus in finibus hodie quoque imagines, & Caesiorum inscriptiones exi-
stunt,

stunt, quas loco suo referemus. non inquam solum ob patriam, verum propter Consularem ipsam Tusciae, & Umbriae dignitatē Annonariam, ut post Hadrianum dicere instituerunt. sunt enim plenae historiae, libriq. alij, & lapides Consularium Tusciae, & Umbriae, quorum praecipua cura frumentaria fuit: atque iccirco apte respiciens ad messes arationum meminit in finibus, quos *Vmber, & Tuscius arator sulcare solet.* quae dici praeterea de Consulibus Italicis possunt; praetereo: ut cogitemus de Magistratibus, quos ante Consularem dignitatem gessisse T. Caesium par est, id praestabilius puro

OMNIBVS HIC ANNIS VOTORVM MORE SVORVM. ADICIT CENTENAS ADICIT NUMERO CRESCENTE CORONAS.

Hic alij perperam; *binc omnibus annis*; quotannis, *votorum more suorum*, annua vota, dixit Virgilius, ex more, & ritu, pro sua consuetudine voti quotannis reddendi, soluendi. *Adicit*, Orthographia abiicitur, propter versum, sic recit, obicit. *centenas coronas numero crescente.* exempli causa, si anno praeterito quingentas obtulit, hoc anno sexcentas, futuro septingentas; sic enim intelligo numerum crescentem quotannis. fuerunt Imperatores, qui numerum augerent donariorum, ratione aetatis suae habita, hoc est, quam crescerent aetatis anni, ut tantumdem augerentur, quae dare instituerant. Coronas statuarum Marcus etiam Tullius nominat ad Atticum. & coronis floribusq. templa Deorum redimiri mos erat. Sed de coronis si dicere velim, nullum exitum oratio habitura. Itaq. pergam.

FORTVNAE SIMVLACRA COLENS, ET APOLLINIS ARAS, AEGERIVMQ. IOVEM.

Simulacra sine aspiratione h. Fortunae simulacra varia fuerunt. Scribit Macrobius, se apud Antium vidisse promoueri simulacra Fortunarum ad danda responsa. Reliqua malo peti à scriptoribus. ET APOLLINIS ARAS. vel propter studia, & Musas mansuetiores, quibus praest Apollo, & quibus operam nauabat T. Caesius, vel ob impetrandam sanitatem, quam is Deus largitur, vel propter oracula, quibus de rerum futurarum euentibus vitaeq. termino sciscitabantur. Varij Apollinis variae arae fuerunt. AEGERIVMQ. IOVEM. cum Iouis infinita cognomenta multi collegerint, qui Aegerij meminerit, legi neminem, praeter hunc T. Caesium. est quidem Aegere quaedam Vrbs. Sed nihil ad Iouem, & hunc locum pertinet. possemus intelligere Numam, qui Nymphae Aegeriae maritus fuit, si is, ut Romulus in diuorum numerum esset relatus; quod Iouis appellatio huiusmodi Diuis nonnunquam accommodabatur. Mea sententia Aegerius Iuppiter fortassis est; qui in Aegerio luco. Templum Romae proximo haberet. causam aliam, cur Aegerius dictus sit, nunc nullam comminiscor. In librorum exemplaribus perperam pro Aegerio, Arcanum Iouem subdiderant. Sed neque Arcanum Iouis mentio alibi exstat. Iosephus Scaliger Vium, pro Aegerium, legit

& in eam vocem multa comminiscitur.

QVORVM CONSENTIT IN ILLO

MAIESTAS LONGAE PROMITTENS TEMPORA VITAE.

Apparet & Fortunae sortes, & Apollinis oracula, & Iouis Aegerij responsa petita fuisse. Itaque quoniam Aegeria dicitur futura praedixisse Numae, fieri potest, quamuis scriptores non meminerint, ut in Aegerio luco Iuppiter aliquis, propter vaticinia, coleretur. consensisse dicit omnia numina, & patri longam aetatem promississe. Hoc possum affirmare in Caesia familia vetere, Caesium Acquidicum, de quo alibi narraturi sumus, summa cum felicitate ad centesimum annum peruenisse.

ACCIPERE POSTERITAS, QVOD PER TVA SAECVLA NARRES.

Vult esse testatum factum suum apud posteros, ac quasi exemplum, quod & ipsi sequantur: quod exemplum, testificandae paternae virtutis, atque imitandae, si patrem spectes, innocenter, & laudabiliter magistratus gerendi; si filium, exercendae in patrem pietatis; si utrosque, pietatis in Deos colendae, & familiae extollendae studium. Nihil sibi vult aliud praeclearissima inscriptio, nihil iubet aliud dedicatio statucae: audi, inquit, Caesia posteritas, rationemq. habeas diligenter, quos ex tuis maioribus imiteris; quorum similis esse velis, magni interest, quorum historiam discas ex tua familia. Alij vetustiores iuris prudentiam professi sunt, alij rem militarem secuti, alij negocijs, in magnis versati, alij in litteris consenuerunt. Tu, si gubernandae tibi provinciae erunt, exemplo T. Caesij patris, Iustitiam, fidem, pudorem praestabis: tu soboles, quae talem parentem nacta fueris, exemplo meo parentis laudes omni genere monumentorum consecrabis; liberisq. tuis, nepotibus, ac ceteris tam egregia, ac praecleara facinora narrabis; quo animi illorum ad similem laudem excitentur. Magna profecto mihi vis inesse videtur in hoc versu. ACCIPERE POSTERITAS, QVOD NARRES. sed & quod sequaris.

TAVRINVS CARI IVSTVS PIETATE PARENTIS

HOC POSVIT DONVM.

Taurinus cognomentum T. Caesij filij. omnibus ijs temporibus cognomina parentum, vel retinere, vel abicere liberum liberis fuit, multo tamen crebrius sub Imperatoribus, vel ad differentiam, cum iam minus, minusque praenomina vterentur, vel maternae memoriae causa, vel ob frequentes adoptiones, atque hereditates. Fuerunt vero Tauri in Statilijs, alijsq. familijs longè nobilissimi: à quibus, ut à Planco Plancini, ab alijs Messalini, Nigrini, Agrippini, sic Taurini Caesij sunt. Porro Miscellae historiae liber Paulli Aquileiensis decimus, & Sex. Aurelius Victor Taurini meminit, qui sub Alexandro Severo Augustus Caesar in Oriente creatus, antequam Maximinus in Gallijs Imperium arriperet, qui se metu hostium in Eufra-

Eufratem fluiū abiecerit: quae res, vt acciderit, & an ad Taurinum nostrum attineat, nusquam comperi. **CARI.** sine aspiratione h, notanda orthographia in hoc lapide. **IUSSVS PIETATE PARENTIS.** multa sane pietatis pars, parentum honori studere, aut fortasse tota, de qua nihil est necesse multadicere. sic pie **Q.** fratris statuam ad Telluris M. Cicero posuit. **Practereo** exempla huiusmodi aliorum lapidum.

QVOD NEC SENTENTIA MORTIS

VINCERE, NEC POTERIT FATORVM SVMMMA POTESTAS.

In hoc **T.** Caesi vix abest, quin te reprehendam, si donum tuum putasti, statuatamq. parentis Fortunae dicatam perpetuo incolumem mansuram; an illud nesciebas, statuas interire, tempestate, vi, vetustate, bello, ferro, ignibus? quod si non de paterni corporis effigie, quam amisimus; & de qua, quin interitura esset, dubitare non poteras, sed de ipsius animi simulacro scripsisti: laudo te, atque assentior. manet enim consecratum tuis versibus, & semper manebit: quia fictum est ingenio, non aere, aut marmore; nullius enim fictoris, aut pictoris (vt quod de arbore, & agricolis Cicero dixit, traducam) arte imago tam diuturna, quam scriptoris versibus formari potest. Versus hanc immortalitatem contra Mortis, & Fati potestatem dare possunt. **Vnde** illa sunt Ouidiana, quae imitari visus es:

*Iamque opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.*

Vere vaticinatus est: vt & Horatius: *exegi monumentum aere perennius.* exstat opus, & exstabit, dum litterae colentur, dum Orbis terrarum perseverabit. nihil aliud quam elegancia tuorum carminum **T. Caesij** patris tui memoriam conseruabit, duraturam post hac securius, quod non lapide tantum, sed **omni** genere monumentorum custoditur: quod quia praecidebas, iure illud tradidisti.


SED POPVLI SALVO SEMPER RVMORE MANEBIT.

Recte saluum rumorem de memoria, ac fama parentis, nempe **constante** dixisti: neque vero ij solum, qui tum acuum agitabant homines, sed **poster** quoque omnes de patre tuo bonos rumores conseruent; famae illius, ac memoriae fauebunt: ita de populo, ita de genere humano, ita de posteris **suis** meritis est.

DE T.

DE T. CAESIO T. F. HERODE

Caput V I



OPI. DIVINAE. ET
FORTVNAE. PRIMIGENIAE
S A C R
IMP. CAESAR. HELVI
PERTINCIS. AVG
V. D. D
T. CAESIUS. T. F. HERODES
V. S. C

Q

COM



COMMENTARIUS secundus in fastos Onufrij habet hanc inscriptionem, sed mutilam, aliquibus tamen in libris ipsius manu emendatam: nam si quid deerat, addidit: ut in eo est, quem possidet Fulvius Ursinus, in cuius lucubrationibus eadem quam emendatissime descripta est, ut in libello quoque Epigrammatum manuscripto, qui fuit Magni Alciati, plane perfecta legitur: atque, ut est, esse Praeneste demonstratur. Namque hac in re nonnullorum diligentiam valde desiderant omnes, negligentium proprium locum adscribere singularum inscriptionum, quas afferunt: quod si fecissent, & eas ceteri quaerere, & facilius inuenire, & melius iudicare possent. Nunc cuiusmodi haec inscriptio sit, more nostro, verbis interpretandis exquiramus. OPI. si causa quaeritur, cur Pertinax Imperator simulacrum, siue aram, siue aedem Opi donare, dedicare vouerit, haec afferri potest: Pertinacem Imperio potitum Orbis terrae, quam Opem dicunt, quia omnes opes humano generi terra tribuit, voluisse aduersus hanc Deam pietatem, cultumq. praestare, quasi ab ipsa beneficium tantum accepisset. propterea enim ab ope dicuntur opulenti, valde diuites; dicuntur opima spolia, ampla, & magnifica: & Opalia ipsa celebrabantur, dies festi, quibus Opi, ut Festus Pompeius inquit, supplicabatur. addidit. DIVINAE honoris, & maiestatis ergo, ut solitum est alibi, Silvano Sancto, Iunoni Magnae, Ioui Optimo, Herculi Inuicto, Veneri Caelesti: quae non ad distinguendos, sed ad ornandos Diuos pertinerent. Nisi Opem Diuinam mauis interpretari, aut Auxilium, aut Fatum diuinum. Opis enim dicta Parca est ἀποταύσσεισθαι, quasi retro aspiciat, & à tergo obseruet facta singulorum; quaeq. puniendae sunt, puniat. Itaque quoniam incommodissimum Imperatorem, Commodum, fatum fuerat, dare poenas meritas, atque interfici, cum ei successisset Pertinax, huic Fato diuino rem sacram facere, simulacrumq. dono dare vouit, quasi se ipsum imprimis eodem Fato liberatum, significaret. Nam praeter quam quod Commodus ciuibus Romanis, vniuerso Senatui formidini erat, in quem post mortem multa cuiusuis generis maledicta coniecta fuerunt (nam non Commodum Imperatorem appellarunt, sed perniciem, ac Tirannum) Pertinax, qui propter virtutem, & dignitatem, maximam apud Senatores auctoritatem comparauerat; semper crediderat occisum iri se à Commodo; qui fortasse vereri poterat, ne scilicet imperium ei milites deferrent, ut profecto accidit, nam Electo, & Laeto fauentibus, qui Commodi interficiendi auctores fuerant, Imperator factus est. in quam sententiã Herodianus, bonus auctor multa affert. Potuit igitur, ut dixi, Pertinax, aut ope diuina impetrata, aut Opim Parcã sibi propitiã, Commodo inimicã expertus, simulacrum illi vouere: quod votum ipsius nomine soluit T. Caesius Herodes. Dixi autem simulacrum, doctus ex alijs inscriptionibus id fieri solitum, è quibus illa praecipua Praeneste,

neste, in qua Fortunae Primigeniae T. Claudius Hermodon cum Metia duo simulacra dedicarunt sic.

F O R T V N I A E
P R I M I G E N I A E
T. CLAVDIVS. HERMODON. ET
M E T I A. M. F.
L O C H I A S. E I V S
S I M V L A C R A. D V O
S P E I
C O R O L I T I C A
D D

& FORTVNAE. PRIMIGENIAE. eidem fortasse, cui T. Caesius Taurinus patris statuam dedicauit. Scribit Plutarchus, Seruium Regem Fortunae Regnum acceptum retulisse, atque ab eodem in Capitolio fanum constructum fuisse Fortunae Primigeniae: ut, quoniam ex serua natus, Fortunae beneficio Regnum Romae adeptus fuerat, propterea auctorem; atque initium suae felicitatis Primigeniam Fortunam testaretur. Quae res de Pertinace non minus apte, nisi etiam magis, cogitari potest. Is enim humili loco ortus, ut domesticas angustias toleraret, Grammaticam professus, atque cum ea ars male illi succederet, ad Tribunatũ militum studio paterni Patroni prouectus, multis susceptis laboribus, plurimis periculis superatis, Imperator tandem creatus, postea etiam Fortunae pila vocatus est. Ut igitur Rex Seruius, sic Pertinax Imperator colendam sibi Fortunam proposuit: cuius cognomen, hoc est Primigeniae, Plutarchus inter rationes alias, altiore quamdam, & magis à natura ex media philosophia deprompsit. nempe Fortunam rerum omnium Principium esse, Naturam verò secundam Fortunam. sed valde apposite mihi videtur Pertinax numen Fortunae πρωτογενίας cum Ope, quae ab Orpheo πρωτογένου filia dicitur, coniunxisse, id est Fortunam Primigeniam cum Ope Primigeni filia. SACR. sacrum vulgatissima lapidum nota. Quod nam id sacrum fuerit, Templum ne an ara, an statua, diuinare non possum: fortasse etiam sacrificium intelligi debet. IMP. Imperatoris, anno post V. C. DCCCCXLVI. Consulibus Q. Sosio Falcone, C. Iulio Claro, pridie Kalen. Ianuarias, Pertinax Imperator est renunciatus: imperauit menses duos, dies XXVIII. à militibus

tibus octisus est, aetatis anno LXVI. CAESAR. Caesaris perpetuum additamentum Imperatorum; Felix, vt Spartianus inquit, illa necessitas, unde tam clarum, & duraturum cum mundi aeternitate nomen deductum est. Fuit autem tanta modestia Pertinax, vt filium suum, quamquam decernente Senatu, Caesarem appellari noluerit, & Senatui, *Cum merebitur*, responderit. HELVI. Heluij praenomen fuit Publius. Heluia familia in Republica floruit, exstititq. in ea C. ille Heluius Cinna Catuli amicus, poeta insignis qui Smyrnam per annos nouem elaborauit. PERTINACIS. hoc cognomen quidam impositum illi putant, cum in Senatu constanter Imperium recusaret, atque illud ad nobiliores deferri decere diceret. Capitolinus additum illi à Patre fuisse dicit, cum is pertinaciter lignariam negotiationem exerceret. AVG. Augusti. primum omnium inquit Capitolinus, Pertinacem eadem die Augustum appellatum, cum vota in Capitolio solueret, & Patris Patriae nomen recepisse, & Imperium Proconsulare, & eius quartae Relationis: vxorem tamen suam, Titianam, quam Senatus Augustam appellarat, appellari Augustam noluisse. V. D. D. interpretabar, voto dedicatum, voto dono datum: hoc est, voto Pertinacis Imperatoris Augusti datum id fuisse, quod sacrum Opi, & Fortunae esse demonstratum est. ad quam sententiam omnis interpretatio adhibita est; quamquam aliter intelligi potest. V. D. D. hoc est votum dedicasse, seu voto dedicasse non Pertinacem, sed ipsum T. Caesium Herodem Opi ipsi, & Fortunae Pertinacis, atque deinceps ea verba V. S. C. aliter exponentur. T. CAESIUS. T. F. tametsi existimare possumus, vel mandante Imperatore, vel decernente Senatu, T. Caesium votum soluisse Praeneste, vel animi beneuolentia, ac quia numini Pertinacis deuotus esset, id voti suscepisset curando, aut constituendo Opis, ac Fortunae sacro; tamen praeter has causas, affinitas fortasse etiam quaedam inter domum Pertinacis, & Caesios indicari videtur ex vetusto Epigrammate, in quo Caesia Gemella, coniux fuisse legitur Successi. at P. Successi filius fuit Pertinax. HERODES. cognomen T. Caesij, sicut nobilissimarum familiarum, & in Republica nomina Graeca cognomen fuerunt, vt Marciorum Philippus, Publiliorum Philo, vnus Scipionis Serapion: paullo ante hunc T. Caesium vir Consularis, T. Claudius sub Antonino Pio Herodis Attici cognomen habuit: est enim in inscriptionibus, C. Bellicio Torquato, T. Claudio Attico Herode Cos. anno post. V. C. DCCCXCVI. cuius Herodis Attici, viri doctissimi, ac facundissimi frequens est mentio in A. Gellio, alijsque auctoribus. non est autem obscurum, quam facile propter vel hereditatem, vel adoptionem, vel maternam stirpem nomina, & cognomina extra parentum gentem sumerentur. V. S. C. has vltimas inscriptionis notas multis modis, varijsq. interpretari possum, ex quibus argumentum colliget quisque pro ea sententia, quam verior

riorē putabit. non enim absurdum sit, si dicas, Voti Sui Compos: illud etiam recte, Voto Soluta Curauit; aliae illae interpretationes, Votum Susceptum Curauit: Votum Soluit Conceptum: Vice Sacra Custos, Curatorue, vix possunt improbari. sed illa prima commoda est, quam attuli, Votum Soluit Caesaris. oportuit enim Imperatoris nomine aliquem curare, quod ipse Opi, & Fortunae vouerat. neque tamen dubito, quin exponere possimus, ipsum T. Caesium voto dedicasse Opi, & Fortunae Imperatoris Pertinacis id sacrum, cum esset voti sui compos. quae declaratio perfectissima videtur. sunt autem frequentissima monumenta, in quibus vota suscepta, & soluta leguntur, pro salute, incolumitate, victoria, aeternitate Imperatorum, non solum publice, sed à priuatis quoque nuncupata. at si cui placeat, Volente Senatu constitutum, consecratumue, celebratissima adiuuat illa caritas, qua Senatus Populusq. Romanus Pertinacem persecutus est, etiam interfectum: de quo, cum nunquam Iulianus retulisset, Iuliano interfecto, statim Senatus, honores illi Heroicos, vt inquit Dion, decreuit. quin Septimus Seuerus tantum optimum senem dilexit, vt Pertinacis cognomen sumpsit; illi magnificentissimum funus fecerit; illum oratione habita laudarit; consecratum publicis caerimonijs inter Diuos retulerit, Heluialibus Flaminijs constitutis. quae cum ceteri, tum copiosissime omnium

Dion ipse, qui aderat, descripsit. Quamobrem, & illud credi potest,

cum aedes, cum sacra, cum Flamines Pertinaci à Caesare, & Se-

natu decernerentur, cum vota ab amicis conciperentur,

cum dona à Populo darentur, praeter alios Opi, ac

Fortunae Pertinacis vouisse aliquod, dedicasse,

ac soluisse T. Caesium Herodem. Ver-

rum nihil est, cur diutius de varijs

notarum significationibus in-

quiratur. cum ad T.

Caesij Herodis

memoriam

conseruandam satis sit, qualiscumque ip-


sus, aut vitae, aut muneris, aut

aetatis testificatio.

DE T. CAESIO BASSIANO QVI SVB SEPTIMIO
Seuero Imperatore vixit. Item de

T. Caesio L. F. Chilone

Caput VII



LDVS Iunior in verbo, *rettulit*, hanc inscriptionem, quae Nea-
poli visitur, in aedibus Hadriani Guilielmi, apud quem pluri-
mae, insignesq. aliae veteres sunt, diligentissime descripsit. an-
te ipsum Onufrius vix dimidiatam, & sine loci testimonio, vt
plerumq. solet, in Fastrorum commentarios suos rettulerat.

Atque haec de loco. Tempus, cum est incisa, fuit imperante Septimio Se-
uero; anno post. V. C. CMLXX. Consulum nomina, atque adeo mensis
dies in ipso Epigrammate leguntur. Argumentum antequam ostendam,
causam afferam, cur Bassianum subiungam T. Caesij Herodis monumen-
to. Nam ratio suavit, & praenominis, & temporum, & argumenti: ad
praenomen quod attinet, sane decuit vna Titos Caesios componere, quod
nihil magis coniunctionem stirpis, ac generis propagationem demon-
strare potest, quam continuata praenominum similitudo, vnde illa sunt,
C. Caesar. C. F. C. N. iure igitur post Titorum Caesiorum Primi, &
Taurini mentionem, T. Caesij Herodis addendam existimaram: iure etiam
Herodem, qui sub Pertinace fuit, T. Caesius Bassianus consequatur, qui
sub Septimio Seuero vixit: qua in re simul, & praenominis causam cerne-
re, & ordinem temporum seruare contingit. ad quae argumenta quoque
similitudo non intempestiua accedit. Nam sicut T. Caesius Taurinus in
Praestina magna inscriptione donum Fortunae dedit, statuum dicauit pa-
rentis, ita prorsus in Praenestina altera inscriptione, (vt loci quoque neces-
sitate agnoscas) T. Caesius T. F. Herodes Opi, & Fortunae sacrum dedi-
cauit, pro Imperatore Pertinacae votum soluit. In hac itidem insigni Nea-
politana T. Caesius Bassianus in Senatu scribendo adest, ac censet de for-
ma inscriptionis danda statuae Octauij Patroni Coloniae. nam hoc argu-
mentum est huiusce inscriptionis, in qua describitur Senatus consulti aucto-
ritas, cui scribendo cum aliquot alijs interfuit T. Caesius Bassianus. Ver-
baque referuntur, quae Duumiri fecerunt de forma inscriptionis danda
statuae, quam Dendrophori statuerant Octauio, Patrono Coloniae, vt opi-
nor, Neapolitanae. Itaque quod ad hunc T. Caesium Bassianum pertineat,
nihil est prorsus aliud, quam eum scribendo affuisse. Est autem valde cum
Latinum, tum vsitatum dicendi genus, *Scribendo adesse*, quo significantur,
qui quasi testes, ac propemodum auctores Senatusconsulti decretum, au-
toritatemue de ijs, quae ad eum ordinem relata essent, quaeue rettulissent,
& quid fieri placuisset, conscribebant. Egregium exemplum eiusmodi est
in Epistola M. Coelii ad M. Ciceronem Procos. *Pridie*, inquit, *Kal. Octo-*
bris in aede Apollinis scribendo adfuerunt L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus,
Q. Caecilius Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Iulius. L. F. Pomp. Annalis. C.
Septimius T. F. Quirina. C. Lucius C. F. Pup. Hirrus. C. Scribonius C. F. Pop-
Curio, L. Fonteius L. F. An. capito, M. Oppius M. F. Terentina. Quod M.
Mar-

Marcellus Cos. V. F. de provincijs Consularibus D. E. R. I. C. uti. C. Paulus C. Marcellus Consules, cum Magistratum inissent, ad Sex. Cal. Mart. quae in suo Magistratu futurae essent, de Consularibus Prouincijs ad Senatum referrent. & reliqua. Ex quibus, sicuti ex hoc marmoreo monumento, consuetudo legitima apparet Senatusconfulti & faciundi, & perscribendi. Quod ad cognomen T. huius Caesij attinet, Balsianus etiam Septimij Imperatoris filius natus maior vocabatur, ut Sex Aurelius Victor inquit: sic ex Aui materni nomine dictus. Caesius vero Balsianus inter maiores suos Caesium illum Bassum, celeberrimum scriptorem, de quo priore volumine affatim diximus, facile habuit. Neque desunt exempla, quae doceant, familiae cognomina leuiter aucta, & immutata fuisse: ut olim Messallae filius, non Messalla, sed Messalinus, sic alibi a Balbo, Iulio, Basso, Balbianus Iulianus, Balsianus. Sed his misis more nostro vel exponamus, si qua obscuriora sunt, vel obseruemus, si qua scitu digniora. CN. GAIO. PVDENTI. O. V. primum animaduerto Gaium per G. non C. deinde Gaium nomen esse, non praenomen: praeterea Pudenti in sexto casu, non Pudente. fuit autem Pudens Romae cognomen Seruiliorum Consularium, Salsinae Appaeorum, Istonij Valeriorum, atque alibi aliorum, quae in antiquis lapidibus obseruantur. O. V. Optimo Viro. DE FORMA INSCRIPTIONIS DANDA. Etiam huiusmodi cura Romae in Senatu suscipiebatur, ut & nona Antoniana M. Ciceronis ostendit, cum de statua Ser. Sulpicij agit, & praeterea multi lapides, qualis ille praecipue Phosphori, in quo de statua Auiani Symmachi tempore Theodosij Imperatoris, ita Senatus verba facit: Statuam constitui adposita oratione iusserunt, quae meritorum eius ordinem, ac seriem contineret, quorum perenne iudicium tanto muneri hoc quoque addidit, ut alteram statuam pari splendore etiam apud Constanti-

nopolim collocaret. Quamquam Suetonius docet, interdum Caesares hoc sibi sumpsisse, ut nulli imago, aut statua cuiquam suo iniussu poneretur. DENDROPHOR. pleni sunt lapides mentionis Dendrophorum, quorum erat corpus, siue sodalitas, in omnibus fere oppidis ligna, ut opinor, ad exercitus, & expeditiones, publicae alia opera procurare, ac comparare: atque eos esse puto, quos Vegetius *Concidas* vocat, potius quam *Tignarios*. Q. D. E. R. P. F. D. E. R. I. C. Quod De Ea Re Placeret Fieri De Ea Re Ita Censuerunt. Haec notae, tametsi tritae sint, & relationibus ad Senatum describendis adiuuentae, adscribam tamen inscriptionem aliam huic non valde dissimilem, quam mihi Iacobonius indicauit. ea olim visebatur

Neapoli,

Neapoli, in Pontanaedibus, nunc ex Iacobonij exemplari in hanc formam repraesentare licet.

L. ANNIO. L. F. COL. MODESTO
HON. EQVO. PVBLICO


KAL. IAN. IN. CVRIA BASILICAE. AVGVST
SCRIBVNDQ. ADFVER. T. OPIVVS. SEVERVS. VIGETIVS
LIBERALIS. IVLIVS. CARRETANVS. GRANIVS. LONGIVS
QVOD. C. AVFIDIVS. THRASEA. T. CLAVDIVS. QVADRINVS
II. VIRI. VR

DE CONFIRMANDA. AVCTORITATE. MEMERIAE. HONOR
STATVAQ. PONENDA. ANNIO. MODESTO. ANNI. NVMSIANI
ORNATI. VIRI. FILIO. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C
CVM. ANNIVS. NVMSIANVS. II. VIR. AD. SINGVLOR. TESTIMON
PERTIN. QVA. PROBITATE. MORVM. QVA. QUIETE. VITAE
QVOD. VNICVM. IN. DOLORE. PRESIDIVM. EST. MERVERAT
AD FECTVVM. NOSTRORVM. CONSOLATIONEM
AD. QVAE. CANDORE. ORDINIS. NOSTRI
BONVM. CIVEM. PIVMQ. PATREM. IN. IAM. GRAVI
FORTVNAE. INIVRIA. QVA. POTEST. INDIGNATIONE
AVOCARE. TRISTITIAM
PLACERE. HVIC. ORDINI. AVCTORITAT. IN. EAM. REM
ANTE. HANC. DIEM. FACTAM. CONFIRMARI
PERMITTIQ. ANNIO. ADIECTO. LIB. STATVAM
PONERE. ANNIO. MODESTO. LOCO. ADSIGNATO
A. II. VIRIS. NOSTRIS. QVO. TESTATIOR. SIT
ERGA. EVM. ADFECTVS. REIP. NOSTRAE. CONLAVDAMVS
QVOD. IN. VITA. PRAESTITERIT. GENSVR
ADIECTVS. LIB. L. D. D. D

Quam inscriptionem eo libentius adscripsi, quod non modo eadem notae, quibus de modo egimus, expressae ad vnguem sunt, sed quod exemplar absolutius, atque adeo emendatius omnium, quot postea viderim, animaduerto: licet aliquibus in locis mancum, ut Iacobonio quoque videtur, appareat. RETTVLERVNT. duplici TT. atque id fere semper in antiquis deprehendes. Extremos duos versus vetustas aboleuit. Nunc quoniam quae ad T. Caesij Balsiani inscriptionem attinent, fere sum exsecutus, persequar alias, quae idem praenominis habent, ut collectos T. Caesios sub vnum ad

R spectum


spectū poenam, cum praesertim eiusmodi sint, ut interpretatione non egeant, neque proprium caput, ut debent insignes, requirant. Occurrit honoratior ceteris, quae Opitergij in Iulij Melchioris aedibus visitur, cognati Francisci eius, apud quem Manij Caesij, Quartumviri alteram inscriptionem exstare dixi. Vtriusque autem exemplar Aldus iunior Manutius misit ad Iulium Iacobonium, qui Cardinali Caesio tradidit, ac (quam humanitatem esse dixit Melchiorum civium Opiterginorum) lapides ipsos fratrum nomine obtulit, si forte eos Cardinalis Caesius expetisset. is ipsorum grata prolixitate usus non est. Cerni autem scripsit Aldus hoc monumentum in fronte aedium Iulianarum in marmore ad hanc, quam repraesentamus, similitudinē expressum.



non

non dubium autem est, quin hoc coniunx mariti memoriae posuerit, quale illud est Q. Caesij Mantuanum, viri Furiae Primae. Obseruo igitur in gente Caesia Titos Luciorum filios. Cognomentum autem Chilonis ingenuorum, & optimorum civium fuit: P. Vectius Chilo, homo Equestris Ordinis, Quaestor Verris in Sicilia, & pater ipsius uxoris honestissimus, atque ornatissimus: Fabius Chilo Consul erat designatus, cum occisus est Commodus Imperator: P. Magius Chilo M. Marcellum interfecit, ut est in Sulpicianae Epistola. Videntur autem appellati Chilones, qui labijs essent crassioribus, quidem fortasse cum ijs, quos Latini Labeones dictitabant.

DE M. CAESIO M. F. PAL. MAGNO II. VIRO I. D.
& duumviro quinquen. quartum, de M. Caesio
Magno, & Caesia Seuera, liberis eius
Caput VIII



R 2 AMI-

nobilitas materna potest, vt & paterna superius Caesiae Seuerae, cuius pietas & in parentes, & in liberos felix putanda est: quam duae inscriptiones duobus in locis conseruarunt. Etenim sicut in Amiternina Auus, Pater, Mater, ac Frater Caesiae Seuerae leguntur, ita in Tudertina, Maritus, ac Filiola, cui monumentum fecit, cognoscuntur, est autem huiusmodi.



Marmor quidem ipsum ex optimo genere est, repertum superioribus annis Tuderti ad Paragnanum, in via Camuccia, dum claustrum fundamenta fundarentur, subter collem, apud moenia antiqua ciuitatis, quo tempore minori ambitu, quam hodie cingebatur. quadratus lapis est, antea ipsis moenibus inaedificatus; eiusque altitudo duplo maior, quam latitudo: ipsa quattuor latera inter se aequalia sunt; hoc est, singula lata pede vno, & dimidio: duas in partes aut vetustatis, aut fossorum iniuria lapidem discidit. pars vna deest, immiuitque principia postremorum versuum duorum, sed facile litterae intelliguntur; basim venustissimam, coronam elegantissimam, regulisque directam plurimis habet; supra eam Zophorum est tribus in lateribus; anterius folijs pendulis conuolutim vtrinq. sparsis ornatur; in medio ita conglobatur, vt fertu formet, ac metopa cum Aquila sinistrorsum tuente, quae alas explicat in dextro

in dextro, & laevo, foliacea eiusmodi ornamenta, atque inuolucra sunt, complectentia Sirenis similitudinem, infra hinc vrceus, inde patera, more ceterarum, ita dicam, araru: pone nullus ornatus est. Pyrrhus Stephanucus I. C. ac cuius Tudertinus, nobilitate, ac comitate insignis iacentē ad aedes Episcopales descripsit, atq. ita teporis iniuria deformatā misit. Porro filiam Caesiam, Didiam ne legerem, incertus eram, an Dindimenen. nomina quidem Dearum feminis imposita reperio, ac praesertim in Caesij hortis monumentum visitur, Caesiae Daphnis, Dianae. DIDV tamen non aliud, quam Didus, hoc est, Didonis nomen significare credam. At praenomen mariti Caesiae Seuerae, hoc est Tiberij, ipsum quoque nouum est, fortasse autem, quod ad Tiberim natus est, qui Tuderto fluuius proximus est; aut quod, M. Caesio socero rogante, à Tiberio Imperatore ciuitatem Romanam consecutus est: cum peregrinus esset, Caesij propterea nomen, atque Imperatoris praenomen sumpsit: nam Diophantus plane Graeca vox est.

DE M. CAESIO MARCIANO ET M. CAESIO
Castrensi, deq. alijs MM. Caesijs
Caput IX



UNC quoniam ex Umbriae ipsis monumentis, M. Caesij Magni domum vsque ad Pronepotem patris ipsius enumerauimus, addamus reliquos Marcos Caesios, vt quos praenomen cogiunxit, eadem quoque pagina demonstrat. occurrit ante alios M. Caesius Marcianus, cuius inscriptio in candido marmore pulcherrimo, in spiras, & canaliculas elaborato, columellae peranti quae simili visitur in interiore cubiculo Cardinalis Caesij huiusmodi.




Obferuo Marciano cum C. quod quidem cognomen Equitum Romanorum fuit, auctore P. Cornelio Tacito, qui de Hycello Galbae Imperatoris liberto, sic inquit. *nec minor gratia Hycello Galbae liberto, quem annulis donatum Equeſtri nomine Marcianum vocitabant.* Caſtrenſis autem ſignificatio, non ſolum hominis propria, vt hic, aut Caſtrorum communis, verum interdum quoque dignitatis eſt, nam in libro notitiae Prouinciarum ſic ſcribitur. SVB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS CASTRENSIS SACRI PALATII. qui quidem praefuiſſe videtur omnibus officijs Palatinis tam Auguſtorum, quam Auguſtarum. LIB. Libertus, nam Caſtrenſis libertus Marciano monumentum ponit. Alia inſcriptio in hortis Caefijs haec eſt: M. Caefij, vel peregrini, vt opinor, vel libertini ſanguinis.



In qua Epafroditi Graecum nomen cum F. non p h. ſcriptum animaduertis. Item fili non filij. Ad M. Caefium Mutilum accedamus, cuius inſignis inſcriptio apud Arciburgium in Belgio inuenta à Comite Nuuenario, Viro illuſtri

luſtri, & ad me Pighij ſtudio tranſmiſſa, non obſcuram ſignificationem attulit, ijs in regionibus reperiri alia quoque Caefij nominis monumenta, vt idem Comes renunciat. Inſcriptio huiusmodi eſt.




Multa ſuccurunt, quae in huius Epigrammatis propositum ſcribam, ſed alias fortasse cōmodius. raptim enim haec congerebantur. illud interim non omitam, & Legionem Tricesimam dictam Vlpianam, ſiue Vlpialem: & deberi Caefios Pighio quattuor, cuius opera in primis eruti lucem cōmūnem aspexerint: Scaeuam, Mutilum, Kaefones duos; ſic enim antiqui Caefones ſcribebant. adſcribo iocum Viri Germani litteratiſſimi, non eſſe mirum, ſi fortes viri Scaeuac, Valentes, Celeres, Caſtrenſes, Lyſimachi, Mutili, Caefones Caefij fuerint, quandoquidem à caedendo ſunt appellati.

DE L. CAESIO ASIATICO SEVIRO FLAVIALI ET

L. Caesio Pollione, Aedili Censorio Municipali,

& Duumuiro, atque de alijs LL. Caesijs

Caput X




ARMOR altum pedes quatuor cum dimidio, latum pedes duos, nisi unciae duae desint; vtrinque ab lateribus, & superne, inferneq. coronicibus ornatum, grandibus litteris incisum, positum in Municipio Laudispompeiae Insubrum, intra aedes Iulij, & Caesaris Pontanorum: idque tempestate Decimi Leonis, & Septimi Clementis Pontificum, qua cum Paullus Cardinalis omnis antiquitatis

antiquitatis patronus, etiam Caesiorum curam suscepisset, vndique à procuratoribus, & amicis cum exemplaria inscriptionum, tum aliquando lapides ipsos accipiebat. Exemplaria tria hoc vno capite complectemur, quod vno Lucij praenomine trium lapidum Caesij notentur. Primum praeposui L. Caesium Asiaticum, qui Seuir Flauialis aram, & mensam dedit Mefiti: locumq. arae ipsi Decuriones dono dederunt: de cuius cognomine Asiatico nihil disputo, quod multorum fuisse video; neque item de honore, ac dignitate ipsius. nam de Seruis & alibi dixisse opinor, & alij docuerunt. Flauialem vero dictum oportet, quod a Flauio scilicet Vespasiano Seuir factus sit; cuius quidem temporibus facile adducor existimare, vixisse L. Caesium Asiaticum, non ex hoc titulo solum, sed multo magis quia aram, & mensam Mefiti posuerit. Tradit Cornelius Tacitus, proximum Cremonae fuisse templum Mefitis, quod solum steterit, Cremona a Vespasiani militibus excisa: siue quia extra Ciuitatem positum erat, siue quod numine defensum fuerit. Nam quod Cremonenses Vitellianis partibus fauebant, oppugnati, & expugnati ab Antonio primo duce Vespasiani, miserum vrbis, & fortunarum excidium tulerunt, trecentesimo prope anno post quam Colonia alluc deducta fuerat. Verum paullo post, ut idem auctor est; cum assidere sepultae Vrbis ruinis noxia tabo humus exercitum non permitteret, illo discedente Cremonam reliquus populus redijt, fora reposuit; cunctique municipes templamunificentia sua exornarunt: & id ipsum Vespasianus hortabatur. Hoc tempore conijcio, L. Caesium Seuirum ab ipso factum, Mefitis templo aram, & mensam locasse, nempe ad euertendum tetrum odorem vastatae, & caedibus, incendijsq. oppletae Vrbis: Mefitim enim antiqui Deam putarunt odoris tetri: quam Priscianus à Graeco *μείστις* dictam putat, mutatione, ut quidam volūt *φ* in *σ*. *Saenamq. exhalat opaca Mefitim.* Virgilius ait in septimo Aeneidos, ubi Seruius incertus fertur, nunc Deum cōiunctum Leucothoae, ut Virbius, & Adonis Dianae, & Veneri; nunc Iunonem ait, quia ex aere odores. Tandem concludit, Deam esse odoris grauissimi. nam proprie Mefitis est terrae putor, qui nascitur ex aquis sulphureis: vnde à Persio in Satyris, Mefitim sulphuream dictam legimus his verbis.

atque alba ventre lauatur,

Guttire Sulphuream lente exhalante Mefitim.


Quod autem hic lapis Laude Pompeia, non Cremonae existat, mirum videri non debet, vel quia propter viciniam transferri, vel quoniam templum Alarum apud Laudenses esse potuit. Atque haec ad L. Caesium Asiaticum pertinentia ex quatuor exemplaribus diligenter diuersa manu de marmore descriptis. Lapidem eum, qui sequitur, in antiquis monumentis comperi hunc in modum, legi apud Hispalem celebrem Hispaniae Urbem, videndus Racondius Lusitanus Collectarum antiquitatum libro.



Pollio cognomen fuit Asinae, quae Hispaniae praefuit, Victuariaeq. familiae, & aliarum. Censuram etiam in municipijs, item qui bene Magistratus gessissent, decorari solitos ex hoc monumento perspicitur. Quod superest, propter praenominis similitudinem, sequar ea, quae ad LL. Caesios pertinent, duabus adiectis inscriptionibus, quarum prima, eaque perfracta via Ostiensi ad D. Pauli, in pavimento cernitur: alteram spectamus in aede S. Georgij, ad Vellus aureum, & legimus eam editam ab Appiano in libro inscriptionum vetustatis.

In

In aede S. Georgij.



In hoc nihil est prorsus, quod aduertam, nisi Lucifer liberti cognomen reperiri quoque in lapide peruetusto Pisis, quem ab Appiano, & ab alijs descriptum legimus, & est huiusmodi.

T. AELIVS. AVG. LIB

LVCIFER

VRBIVS. SIBI. POSVIT



Prisci autem cognomen, quod est L. Caesij Patroni, existare non semel in Caesia gente, & extra Caesiam, in Sotia, Nonia, Statia, atque alijs obseruo-

S 3

DE L.

DE L. CAESIO BALBINO PATRE ET FILIO ET
Valente fratre, & L. Caesio Ampliato

Caput XI



Haec inscriptio ex Tuscia, vt apparet, missa est: nam exemplar memoriae causa subscriptum est. Caesii. agendum cum Protonotario quodam, vt haberi possit. sic enim solebat Paullus notare lapidum loca, & ea nomina, quorum opera consequi monumenta antiqua cogitabat. exempli gratia, Ameriae fasces

Consulares ab Episcopo Columnio: Laude Pompeia a Pontanis Mefiti: L. Caesius Rauennae, M. Caesij Chresimi a Rasponibus: Veronae Veronia Caesia ab Aromatario arcus Gallieni: item in aedibus Cardinalis Vallae Caesonia. huiusmodiq. complura saepe etiam repetita, atque habendi omnino deliberatione testata; saepe lapidum quantitate adiuncta; saepe sumptu addito

addito, & in Ephemeridas relato; ac de quibusdam etiam litterae, & syngraphae exstant. Interdum tamen aut locus non apponitur, aut lapidis differentia omittitur, aut possessoris nomen deest: quae tamen paucissima sunt, & quoniam maxima pars habita est, minus de ijs laborandum videtur: omnis obscuritas circa vnum, atque alterum lapidem versatur, nempe vbi exstiterint; eos postea adducam. Hunc & notatio illa, quam dixi, subscriptum huiusmodi, *Caesii cum Reuerendo Protonotario, & Tribus Sabatina* satis monet, eum in Tusciae regione positum fuisse: in qua Farnesia domus dominatur. est autem valde bona inscriptio maioribus litteris primos quatuor versus scalptos habens, paullo minoribus reliquos. in quo Epigrammate, cernimus Lucium, quempiam Cestium Balbinum, aut adoptatum fuisse a L. Caesio, aut retinere matris quoque Cestiae Quartae, L. Cesti Balbini filiae, nomen voluisse, quod in subiecto stemmate facilius iudicari potest.

L. CESTIVS BALBINVS PROAVS MATERNVS
CESTIA L. F. QVARTA L. CAESIVS
AVIA AVVS


L. CAESIVS L. F. CESTIVS BALBINVS
PATER

L. CAESIVS	CESTIA L. F.	L. CESTIVS	L. CESTIVS L. F.	L. CAESIVS
L. F. VALENS	BALBINA	L. F. BALBIVS	APER	L. F. BALBIVS
FRATER	SOROR	NVS INFANS	INFANS	NVS

qui monumentum fecit.

Quod ad Cestiam Balbinam L. Caesij Valentis, & L. Caesij Balbini sororem attinet, alibi quoque vidimus, ac, ni fallor, in his Caesijs feminas cognomen maternum sequi solitas, filios paternum. nam M. Caesij Magni, & Tamudiae Seuerae filius, Marcus Caesius Magnus, filia Caesia Seuera, non Magna inscripta est. potuit igitur auia neptem nomine suo Cestiam non Caesiam nominare. mirandum magis, cur etiam duo, qui infantes obierunt, Lucij Balbinus, & Aper, Cestij appellati sint, nisi forte fuerunt ab aliquo auunculo L. Cestio adoptati, aut in gratiam auiae id factum, aut ob hereditatem eos sic dici oportuit. sane in eundem annum comparatur L. Cestius Gallus, & Caesius Florus, alter Syriae Legatus, alter Iudaeae Procurator post V. C. D. CCCXVIII. Neronis Imperatoris anno decimo salutis LXV. Videtur autem Caesius Florus (tametsi Gesius in vulgatis libris est) tertiusdecimus, atque vltimus in Iudaea Procurator extitisse. sic etenim, postquam Iudaea dispensationi Syriae addita est, numerantur: C. Coponius. I. M. Ambiuus II. Annius Ruffus III. Marcus Valerius Gratus IIII. Pontius Pilatus. V. Marcellus VI. P. Petronius Rector, Cuspius Fadus, VII. Ti. Iulius Alexander VIII. Ventidius Cumanus

Cumanus ix. Antonius Felix x. Portius xi. Albinus xii. Caesius Florus. xiii. quo expulso, ortum est bellum Iudaicum, à Vespasiano confectum. atque hic est L. Caesius Florus, quem supra rettuli à Marino ex argéteo nummo interpretatum. meminit eiusdem Flavius Iosephus, Hegesippus, atque alij. de quo sane prolixa narratio conscribi posset. S A B. Sabatinam Tribum significat, quam à Sabate lacu dictam Pompeius scribit. is autem hodie est lacus Anguillariae. ea Tribus adiecta est post V. C. anno cccclxxv. altero postquam Roma à Gallis capta fuerat, vicesima quarta inter reliquas tribus. in ea, vt ex inscriptionibus apparet, Mantuani quoque fuere. Sed hunc L. Caesium Balbinum è Tuscia, in qua lapis exstet, cognosco. Balbini cognomen multarum fuit familiarum. Balbinus Imperator originē suam argumento cognominis à Cornelio Balbo repetebat: illo, quem Pompeius ciuitate donauit, Cicero defendit, Caesar in intimis habuit, Augustus Consulē fecit. Neque illa Neapolitana est omittenda in aedibus mercatoris cuiusdam, ab eodem Appiano edita.



Ceterorum, L. Caesij comitis Q. Ciceronis, L. Caesij Triumviri Monetalis, L. Caesij Thalli, L. Caesij, L. Liberti, Cyri, atque huiusmodi aliorum, suis, hoc est, aptioribus locis mentionem facimus.

DE M.

DE M. CAESIO CHRESIMO AVGVSTALI
Rauennae, & Caesia Chresima filia, deque alijs
MM. Caesijs. Caput XII



APIS Rauennae in aedibus Rasponi Rasponij, aetate Iocundi Veronensis, & patruelium Mediceorum Pontificum: illius vxor vidua, cum Paulli Cardinalis Caesij nomine rogaretur, vt eam inscriptionem ad se transferri pateretur, reiecit negotium ad Iulium Rasponium filium, qui tum Romae apud Cardinalem Medicum agitabat; retulit Paulli procurator, iudicare se, lapidem à forti mulo vehi posse. longitudinem esse duorum cubitorum, latitudinem vnus,

T cras.

crasitiem dimidij. Verba illa PRO. SAL. AVGG. esse in summa coronice superiore; reliqua suo loco intra lineas ornatrices. quid hoc lapide factum sit, vtrum Rauennae substiterit, an transmissus sit, compertum nondum habeo. AVGG. qui fuerint hi Augusti, non conijcio: quamquam id conatus sum in Epigrammate M. Caesij Eutychetis, posito in eadem ciuitate. EX. IVSS. iussu, & iusso, vtrumque reperitur. iussu conijcio Dei ipsius: quamquam, & de iussu Augustorum exponi potest: est enim exemplum Pœrouione huiusmodi. PRAEPOSITO. IOVI. S. TRIB. | COHORTIS. X. PRAET. CVLTOR. NVMINIS. IPSIVS. PROFICISCENS. AD. OPPRIMENDAM. FACTION. GALLICANAM. IVSSV. PRINCIPIS. SVI. ARAM. POSVIT, & quae sequitur I. O. M. D. CON. Ioui Optimo Maximo Donum Contulit; siue Dolicheno Consecrauit, nā alias interpretationes, quae multae fingi, ac cogitari possunt, omitto. Dolicheni Iouis vidi huiusmodi inscriptiones in Auentino ad D. Alexij: IOVI. OPTVMO. MAXVMO. DOLICHENO. T. FLAVIVS. COSMVS. IVSSV. DEI. FECIT. Item in hortis Caesij in basi. I. O. M. D. AVR. IVLIVS. EQ. R. SACERDOS. HVIVS. LOCI. D. D. Ibidem ad Apollinis statuam.

EX. PRAECEPTO

I. O. M. D.

PER

ACACIVM. ET

OLYMPVM

PATREM

ARICINI. MARIANI

PATER. ET. FILIVS

SIMVLACRV. APOLLINIS

STATVERVNT

Item Trans Tiberim in aede sancti Benedicti. IOVI. O. M. DOLICHENO. C. FRONTINIVS. NIGRINVS. L. MAM. Item in aedibus Io. Coritij. EX IVSSV. I. O. M. D. L. TETTIVS. HERMES. ET. OMNIBVS. SVIS. CANTHARVM. CVM. BASE. SVA. P. POSVERVNT.

Item Graeca in Quirinali vinea Ferrariensi.

ΚΑΤΑ ΚΕΛΕΥΣΙΝ. ΘΕΟΥ. ΔΟΛΙΧΗΝΟΥ. ΑΝΕΣΤΗΣΕ. ΚΑΤΕΘΗΚΕ. Ο ΤΟΥΤΕΡΟΥ. ΜΑΡΚΟΣ. ΟΥΑΡΙΣ. ΚΑΙ Ο. ΟΣ. ΜΑΡΚΟΣ. ΟΥΑΡΙΣ. ΑΡΤΕΜΩΝ.

Iuppiter dictus est à Dolichene Vrbe Comagenes. Ceterum exstant plurimi lapides, testantes hanc consuetudinem vouendi alicui Deo, Deae ve, pro salute

salute Augustorum, cuiusmodi breuitatis causa praetereo. in quibus alij somnio admonitos, alij ex iussu, alij ex voto se fecisse, aiunt. M. CAES. hoc loco videmus non Caesarem, sed Caesium significari: nam sequitur cognomen, & Caesiae filiae nomē cum eodem paterno cognomine CHRESIM. Chresimus Graecum cognomen, Latine Vrilem sonat ἀπὸ τοῦ χρεῖσιμος. tale est in eadem ciuitate alterius M. Caesij, Eutyches, hoc est Benefortunatus, de quo mox dicturus sum. AVG. Augustalis: de Augustalibus etiam alibi fuerunt enim Magistratus ab Augustis constituti; ac propterea sic appellati. de quibus memini crudite Alciatum Seniore, tum alias, tum in rebus Patriae hunc in modum scripsisse; *In albo ceteros praecedunt Augustales, quod gladij ius ipsi haberent: nam & fascibus, quae summi Imperij insignia sunt, uti eos posse, Imperatorij Constitutionibus cautum est. & sicut nemo in Decurionum ordinem inconsultis illis admitti potereat, ita nec Augustales nisi ab ipsis Decurionibus creabantur, conditione utrisq. pari.* Quam Alciati opinionem confirmare licet ex vetusti lapidis inscriptione, quam mihi Iacobonius exhibuit; eam Capuae reperiri dicebat, in hanc formam.

D. M. S.

Q. ANNIO. IANVARIO. EXACTORI

OPERVM. PVBL. ET. III

PATRI EVENTIS.

HVIC. ORDO. DECVRIONVM. OB. MERITA

EIVS. HONOREM. AVGVSTALITATIS

GRATVITVM. DECREVIT

VIXIT. ANNIS. LXXI. VIVOS. SIBI

FECIT. POSTERISQ. SVIS

Ex qua inscriptione aperte liquet, Augustales à Decurionum ordine creati solitos, vt etiam ex hac, quae sequitur ab ipso Iulio Iacobonio mihi indicata, quam Mediolani ad D. Nazarij videri aliquando affirmat; ea est huiusmodi.

T 2 FAV-

F A V S T V S

V I · V I R · E T · A V G V S T

Q V I · I N T E R · P R I M O S

A V G V S T A L E S

A · D E C V R I O N I B V S

A V G V S T A L I S · F A C T V S · E T

V I R I A E · M A X I M A E

V X O R I · C A R I S S I M A E


E T · V R S O · L V P V L L O N I

L I B E R T I S · F V T V R I S

RAVEN. Rauennas, vel Rauennae. quo loco tacere non possum, fere nullam ciuitatem, praeter Romanam, plura Caesiorum monumeta habuisse, quam Rauennam; sed, vt mihi nunciatur, pauca exstant. quamquam enim à multis multa exscripta olim sunt, tamen bella secuta, Veneta, Gallica, & Pontificia multa vastarunt. multa etiam abstulisse Veneti creduntur, dum eius Urbis imperio potirentur. Veruntamen certum est, tam ex libris, quam ex lapidibus, habitasse Rauennae Caesios. SACCIDIA. huius familiae mentionem vidi alibi quoque precipue Veronae. FELICITA. in aliquot exemplaribus legitur FELICITATAE, quod nescio, quam emendatè. si ita in marmore est, filia subintelligi potest. placebat legi, FELICITATEM. Romae ad S. Viuianae lapis HORATIAM FELICITATEM non FELICITAM habet. CAESIA CHRYSIME FILIA. filiae nomen, vt dixi, ac cognomen Paternum confirmat, de quo alioqui dubitare aliquis in animum induxisset. quod non plene descriptus CAESIVS, sed breui nota CAES. designatus sit. quae nota alias Caesarem indicat. fieri igitur potest, vt eadem alibi Caesios, sicut hoc loco, demonstraret. Paullus Aemilius Cardinalis tum omnia, quae poterat, monumenta colligebat, tum studiose, quae à CAES. dictione inciperent. itaque in aedibus, atque hortis Caesijs, ipsiq. adeo inscriptionum libellis, pleraq. omnia monumenta occupant, quicunq. Principium simile cum hac familia retinent Caesij, Caesones, Caesonij, Caesonini, Caesei, Caeseij, Caesini, Caesiani, Caeselij, Caesidij, Caesideni, Caesiliani, Caesenij, Caesetij, Caesiui, Caesitij, Caesinij, Caesulij, Caesuliae, nam Caesares, Caesarios, ac Caesarianos eodem fonte profectos demonstrat. Vir eruditissimus: qui à caede Caesios, atque eiusmodi omnes nominatos scribit. Is est Antonius Thylesius. Sed à CAES. incipientes hactenus congesimus tanquam in Massam Caesianam; non illam, quam illustris

femina

femina repetebat à viro illustri, cuius meminit Anthemius Imperator in Constitutionibus. Post enim urbem à Barbaris eversam nobiles familiae superstites huiusmodi, quas Massas dixerunt, sibi, suisq. condebant. In D. Gregorij Epistolis Massa Flauia, Massa Vitellia, atque alibi. Massarorum multa nomina in libris Pontificalibus, sicut in Anthemij Lege, Massa Caesiana reperiuntur. Alia inscriptio, eaque paullo eruditior, exstat in aede D. Agathae Rauennae, vt libellus Magni Alciati, & Iocundus Veronensis, atque alij prodidere, ad hunc modum.



M. CAESIVS · EPTYCHES. DEC · CC · M · R
 DEC · XVII · ET · TVLLIA · FENISSA
 CONIVX · KARISSIMA · VIVI · SIBI · POSVER
 SI · QVIS · ANTE · HANC · ARCAM · QVID · ALIVD
 POSVERIT · VEL · CONDIDERIT · DABIT · FISCO
 AVGG · NN · HS · XXX · N.

Quod ad cognomen attinet, EPTYCHES significat Bene fortunatum: & quamquam Romanum non est, non statim tamen opinamur, Libertini esse hominis: in Prouincijs enim summi, & clarissimi viri patrijs appellationibus utebantur, quamuis nomen aliquod ex nobilitate Romana desumpsissent. eiusdem cognominis inscriptiones multae cernuntur. Notae illae DEC. CC. M. R. DEC. XVII. sic declarari possunt. Decurio Ducentorum Militum Rauennatū Decuriae septimae Decimae: aut potius Decurio Collegiorum Militiae Rauennatis. nam collegia habuisse Decuriones, multi lapides ostendunt; atque ille praecipue sub porticu Capitolina: SVTORIVS DECVRIO COLLEGI FABRVM FERRARIVM. Decurias autem fuisse tum militum;

T 3

tum

tum Collegiorum, notissimum est. Septimae, & Octavae Decuriae Collegi Fabrum Rauennatis illustris in ea ciuitate inscriptio docet, quae ita legitur.

T. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR

AVG. GERMAN. PONT. MAX

SVI. DEC. VII. COLLEGI. FAB. M. R

H S. ∞ . N

Et paullo post: QVOD. SI. NEGLEXERINT. TVNC. AD
VIII. DEC. EIVSDEM. COLLEGI. PERTI
NERE. DEBEBIT.

Igitur singula Collegia Decurias plures habebant: quamquam & ita interpretari possumus: Decuriarum Collegiorum Militiae Rauennatis Decurio Decies Septies. FENISSA. deprauata exemplaria FERVSSA habebant. FE pro PHOE, aut est sculptoris vitium, aut, quoniam posteriorum temporum inscriptio videtur, propter binos Augustos, aliquid saeculo illi tribuendum fuit. SI QVIS ANTE HANC ARCAM. Poenae sepulcrales variae varijs ex lapidibus colligi possunt. verum, adhortante Iacobonio, duas, easq. non spernendas, adscribam non inuitus, quas idem mihi tradidit: quarum altera apud Bucinum Lucaniae oppidum, altera Romae, in aedibus Alberici Cibo, Massae, & Carrariae Principis visitur.

Apud Bucinum.

IN. QVEM. INDVXI. SARCOPHAGVM. IN. QVEM. RECEPTVS. FVERIT
CORPVS. MEVM. NVLLI. VNQVAM. LICEAT. ACCEDERE. NEQVE
VEXARE. OSSA. MEA. NON. FILIVS. NEQVE. NEPOTES. NEQVE
DE. AFFINITATE. VLLVS. SIQVIS. AVTEM. INFRINGERE
SEV. APERIRE. AVSVS. FVERIT. ISTVM. INFERRE
POENAE. NOMINE. REIP. FOLIES. MILLE. SANE
NAEVIA. PRISCA. SI. PERMANSERIT. VSQVE. IN. DIEM
FINITIONIS. SVAE. RECIPIETVR. IVXTA. MARITVM
S V V M

Romae


DIS. MANIBVS

CN. TREMELIVS. TROPHIMVS. FECIT. SIBI. ET. FLAVIAE
PROBAE. CONIVGI. S. CVM. QVA. VIXIT. ANNIS.

LI-

LIBERTIS. LIBERTABVS. QVE. EORVM
SI. QVIS. AVTEM. HOC. VENDERE. VOLVERIT. ARKAE
PONTIFICVM. X. MILLIA. NVMV. INFERET. VEL
SI. QVIS. ALIENVM. CORPVS. HVC. INTVLERIT. POENAM
SVpra. SCRIPTAM. INFERET.

AVGG. NN. Augustorum Nostrorum. fortasse Diocletiani, & Maximiani, aut Valentis, & Valentiniani. sed incerta haec sunt. FISCO. Recte, nam Fiscus erat Caesarum, Aerarium Populi Romani. H S. XXX. N. Exigua poena, si triginta sestertios nummos intelligas, quinque, ac septuaginta Mediolanenses asses, quos solidos vocant: sin sestertia dicas, sexcenti erant, & viginti quinque aurei solares coronati scutati, qui singuli centum viginti solidos asses continent. Credibilis poena; qua damnandus esset monumenti honestissimi viri violator; cum etiam infimi cuiusque sepulcrum religiosissimum esset. Claudat Marcos Caesios, & Imperatorem illum, & alterum Praetorem urbanum, & tertium Aedilem Arpinatem, atque item Scaeam, & Veteranum, & Magnum, & Marcianum Castrensem, Chresimum, Primum, Eutychem, Festum, Mutilum, Caesonem, Epaphroditum, & si qui sunt alij Marci Caesij, tanquam in Theatro depositos, curetq. adeo M. Caesius T. F. Aedilis, cuius antiquum epigramma ex monumentis Narbonensis Prouinciae exscriptum doctus, atque diligens vir Bartholemaeus Alexius ad Rhetorem eloquentissimum, Fr. Cicereium misit, atque is Mediolano ad me transmisit. Est autem huiusmodi, quod ita imperfectum propter vetustatem cernitur. Quoniam autem cognomen nullum additur, ad Reip. & Augusti tempora referri potest: vel cognomen deesse dicamus propter lapidis fracturam.



Qui sequitur non Marcus, sed Manius est. hic tamen potius, quam alibi interere libuit. cuius inscriptio visitur Opitergij, ad aedes Francisci Melchioris, nobilis, ac litterati ciuis: exemplar dilineatum misit Aldus Iunior Manutius, vt diximus.



M CAESIO EVNO
III VIR
CAESIA M L GRATA
PATRONO ET SIBI
V F

Sunt Caesij, qui praenomine carent, neque certum vllum locum fortiti videntur, eos cum Marcis coniungendos duxi, quod hoc praenomine antiquissimi, magniq. viri in familia sunt vfi. Teres est urna in hortis Caesijs, supra quadam ianua, ad manum dexteram collocata, quam & vidi elegantem, & in Paulli Monumentis legi, ea ita se habet.

D. M




D M
CAESIVS PANGELIANVS PATER ET
CAESIA FORTVNATA MATER
CAESIO PALLELIENO FILIO ET
CAESIAE VICTORIAE FILIAE
IMPVB DVLCISS

Particulam ET in fine lineae poni, in hisce antiquitatibus, atque etiam alibi obseruavi.

V DE T.

DE T. CAESIO HERMETE PRISCILLAE LIBERTO

Hermete Postumiano, deque alijs TT. Caesijs
Caput XIII

IN hortis celeberrimis Caesijs, qui ad dextram Ianiculum habent, ad laeuam Vaticanos montes, ante se Tiberim, Sancti Spiritus Fanum, & Xenodochium, post se prata Neroniana, & fornaces lateribus exquoquendis instructas, edito in colle, secundum aedes Caesias, refertissimas ipsas antiquitatibus, inter multa alia, tria sunt Titorum Caesiorum monumenta, quorum primum ante fontem, in angulo versus custodias Equitum Pontificias, in basis


in basis formam, cui statua Senatoria, aliena, vt opinor, imposita est: in qua HERMES cognomen obseruo, quod Mercurium, qui Graece *Ἑρμης* dicitur, significat. sunt qui Hermas dictas volunt, statuas, siue signa, quae praecipue trunca erant, quorum capita permutari poterat. nam Athenis plurimas Mercurij imaginem referentes statuas fuisse, tradunt. praeter illa M. Tullij ad Atticum, *Hermae illi tui Pentelici, cum capitibus aentis, de quibus ad me scripsisti, nunc admodum me delectant*; legimus apud Probum in Alcibiade haec ipsa verba: *accidit, vt vna nocte omnes Hermae, qui in oppido erant Athenis deicerentur, praeter unum, qui ante ianuam eius erat*. Satis notus Hermes, vel Herma ille Trimegistus; satis Hermes alter philosophus, qui Hadriani tempestate viguit: sed nihil, opinor, cum nostro Caesio commune habet. licet Caesij sub Hadriano ipso floruerint. sed Iacobonio assentior, qui mihi Hermetis Caesiorum Libertorum non rarum cognomen fuisse, mihi indicauit, ex altera lapidis inscriptione, quae Salsinae (vbi Caesij principem locum obtinebant) ostenditur. quam inscriptionem mihi Iacobonius ipse dono dedit. in qua Hermes sex. Tettij Caesij Sabini, quem supra nominauimus Libertus fuisse videtur.

D M
SEX. TETTI. SEX. L
HERME
VI. VIR. PATR
COLLEG. CENT
MVN. SASS.
TORASIA. C. F
SABINA
CONIVGI. INCOM
PARABILI. ET. SIBI. V. P
HAVE. HERME. HOMO
BONE

POSTVMIANVS. cognomen à POSTVMO, qui enim postremi nascebantur Postumos dictos scimus; & sine H. scriptum obseruamus. sic & alibi. Habebimus infra epitaphium Gambarae, vbi legitur P. POSTVM ASELION. id est Publio Postumio Afellioni. itaque nescio, an verum sit, quod aiunt, Postumum dici, natum post humationem patris. ANAPHE. *Ἄναφης* Graece intactus, vel intactilis, de muliere dici potest, quae nunquam à viro tacta sit, quae casta, quae pudica vexerit. Quod vero Caesius Caesiam vxorem labuerit,


V 2 mirandum

mirandum sane non est, non Caesia Priscilla, T. cuiusdam Caesij filia, Liberum T. Caesium Hermetem Postumianum habuit, cui Caesiam item Liberam vxorē dedit, vt Tito Caesio Agathon, Liberto, alteri Caesiam Persidem collocavit. AGATHO. Ἀγαθός Graece bonum, integrum, iustum, idoneum, utilem, strenuum, peritum (haec omnia libertum decent) designat. Hanc inscriptionem Aldus Iunior Manutius in libro Orobographiae suae edidit, in qua CARISSIMAE, vt alibi, sine adspiratione obseruo. SER. non desunt, qui Sergiam Tribum intelligant, quamuis seruum alij interpretentur. Fuisse autem Caesios in Persarum regione, & militasse contra eam gentem: & captum ab Persis Caesium, vnum Magistrum Equitum Apparitionis ostendit Ammianus Marcellinus suarum Historiarum libro XIX. de quo suo loco, suoque capite postea disseram. In iisdem hortis supra inscriptionem Q. Aemilij Barbulae Dictatoris, in pariete contingente areas Ferrerij Vercellensis Cardinalis, haec altera inscriptio in mensa marmorea visitur.



In qua inscriptione plene intelligimus, non ita semper fidendum marmoribus, quin cogitemus Scalptores olim & ipsos errasse. Quis enim non videt T. Caesij Hylari, & Caesiae fratrem Sextum Hilarinum Caesium, non Cassium scribi oportere. atqui in ea mensa sic est. Quapropter haec mihi diligentia grata fuit, vt verissime ipsos lapides repraesentarem. reieci vero, quando Caesium loco alterius positum comperi, vt est in inscriptione Foroiuliana, in qua P. Caedius, & Q. Caesius, P. Frater ex editione Scardeonij Patavini, Annalium scriptoris legitur. Sic enim existimo Caedij Fratrem Caedium, non Caesium esse oportere; vt in vulgatis codicibus C. Caesium pro C. Cassio Quaestore Crassi exegi. De Sexto Caesio Equite Romano in prior volumine dictum. Hic vero etiam illud mendum est, quod Germane non Germanae

Germanae incisum est. Tertia inscriptio in iisdem hortis ad arborem patulam opacam, supra Haliogabali, vt aiunt, statuam, in mensa alia marmorea talis est.



Neque hic quicquam est, quod admoneam praeter feminam sine diphthongo, vt alibi quoque scribi; & erratum quoque Scalptoris esse, qui Agathangelum, pro Agathangelo inciderit. significat autem Bonum nuncium. Frequens Liberti nomen est. legitur in Capitolina inscriptione magna, cuius particula à nobis libri primi capite IX. descripta est, Q. VARRONIVS Q. L. AGATHANGELVS, & SEX. MANILIVS. SEX. L. AGATHANGELVS. est apud Mazochium inscriptio, quam olim videri affirmat Romae in Regione Pontis huiusce exempli: SEX. TESSIO AGATHANGELO V. A. XXXIII. TESSIA EPITHEMETE. MAT. FEC. ET S. P. Q. E. Angelorum praenomen in postera familia Caesia frequentissimum est. Quod inquit: EX QVARTA PARTE, notum est veteres priuatos homines aliquot pedum portionem in agro mercari solitos sibi, suisq. vel heredibus, vel libertis, vel amicis, id quod fere omnes lapides docent. In qua agri portione ius erat emptoribus Vrnas suas, ac fuorum condere, Cippos, & Monumenta erigere. existimandum igitur est, cum plures Liberti vnus Titi Caesij portionem agri emissent, quartam partem T. Caesio Agathangelo tributam, aut certe T. Caesij Onesiphori liberalitate adsignatam. ac ne quis ei negotium faceretur, in lapide id iuris incisum cauebant. cuius cautionis, ac poenarum sepulcralium exempla supra, auctore Iacobonio, demonstraui: & in aliorum lapidibus quamplurima visuntur. Pertinebatq. ad Pontifices huiusmodi cognitio, à quibus etiam locus tumulo vt adsignaretur, in more positum fuit,


fuit quod hoc loco dixerim, quod in alia inscriptione praetermissum. Hic admonet me Iacobonius, ut cetera nomina Graeca ad legentium utilitatem, quantum fieri potest, explicem, cuius voluntati non obtemperare, neque mihi aequum, neque perueteris amicitiae nostrae consentaneum duco. Itaque, quod ad ONESIPHORI Liberti nomen spectat, dicimus, οὐσιφάρον Graece id ipsum, quod utile est, quod iuuat, quod leuat, significare: οὐσις enim utilitas, iu-uamen, leuamenq. sonat. ZOSIME, sic sine diphthongo scriptum est, quod Caesij Onesiphori vxoris nomen cernitur, Vitalem interpretor: Ζώσιμος enim Graece Vitalem, vel qui viuere potest, designat. nomen filijs impositum, ut Iacobonio placet, a parentibus, qui diu liberis caruerunt, vel qui liberos superstitites exoptabant. SPATALE vernaе Caesiae nomen, Delicias libenter nomino: Σπατάλι Graece delicias, vel delicatum Latine dicimus; Σπατάλιω in deli-cijs, vel delicate viuo. indicauit idem, mihi Iacobonius, id ipsum esse etiam nomen viri, ex lapide, qui olim visebatur in hortis Episcopi Sipontini, ut Ap-pianus quoq. ostendit, huius, quae sequitur, inscriptionis.

D. M. S.

CORNELIAE. Q. L. PSICHES. SER-
 MARITVS. MARTIALIS. ET
 SPATALVS. Q. CORNELII. FLACCI
 DISP. CONIVGI. FIDELISSIMAE
 FECERVNT

Nunc Sassinatem incriptionem, qua in ciuitate similiter habitasse CAE-
 SIOS, ex libris, & monumentis alibi cognouimus, afferam, quam Sorbo-
 num, quod castrum non longe est a Salsina, translata postea cognitum est:
 ibi enim nunc videri referunt, qui ex eodem Municipio sunt, a quibus,
 & inscriptionis perfectae, & ipsius lapidis figurae exemplum exactissimum
 accepi, quod nos hic exprimendum curauimus. eam inscriptionem, quam pul-
 cherrimam ducimus, Thomas Scandianus ante septuaginta annos descri-
 psit. exstat ipse volumen magnum minio delibutum, tam Graecis, quam
 Latinis Epigramatis refertissimum in Bibliotheca Farnesia, aut Fulvia-
 na.

D.M.



D. M.
 M A R C A N A E
 C. F. V E R A E
 T. C A E S I V S
 L Y S I M A C H V S
 C O N I V G I. S A N C T I S S I M A E
 E T. S I B I: V I V O S. P O S V I T
 V E R. T I B I. C O N T R I B V A T. S V A
 M V N E R A. F L O R E A. G R A T A
 E T. T I B I G R A T A. C O M I S. N V
 T E T. A E S T I V A. V O L V P T A S
 R E D D A T. E T. A V T V M N V S. B A C
 C H I. T I B I. M V N E R A. S E M P E R
 A C. L E V E. H I B E R N I. T E M P V S
 T E L L V R E. D I C E T V R

Marcanae autem familiae in tribus alijs lapidibus nomen inueni, quorum
 vnum adscribam, quod ab hac Marcana, Caesij Lysimachi vxore non ab-
 horet, ut est Romae in aedibus Francisci Porcarij.

MAR-

MARCANAE VERISSIMAE FECIT
 M. NONIO AEMILIANO
 GONIVGI CARISSIMO
 CVM QVO VIXIT ANNIS XII
 DIEB. III. QVI. VIXIT ANNIS XXX
 MENSIBVS. III. BENEMERENTI

Porro quoniam Romae audio esse Marganam familiam, facile existimare possumus, ita vocatam, ac deductam à Marcana antiqua.

DE C. CAESIO TERNIGRO EX PRIMA
 admissione ex quatuor Decuriis Curione Mi-
 nore, & de Caesia eiusdem Liberta.

Caput XIV



OLUMINA, & monumenta Paulli Caesij Cardinalis habent hanc inscriptionem, saepius descriptam, negligentia tamen scriptorum, ut in plerisque, omissus locus est; sed aliarum inscriptionum ferè omnium aliquando notitiam, ubi essent, accipi, quod in hac antea mihi contigit, quam librum hunc absoluerem: qui cum iam rescriberetur, ecce in Capitolium forte adscendenti marmor ipsum egregium, ac circumductum adspicitur mirae vetustatis, in

JAM

arca

Haec domus Hieronymi Alterij, civis Romani, è regione novi templi sodalitatatis Iesuitarum; quod, tametsi à Dominis neglectum, cum propter elegantiam, & operis, & inscriptionis pictori describendum mandassem, non ita multo post etiam typis Romae aliquando editum repperi: ita plerumque quae maxime desperauimus, abunde super spem suppetunt. equidem antea conijciebam ex Regni Neapolitani Vrbe aliqua, ac fortassis Venafro exemplar illius transmissum, ubi altera Q. Caesij Rustici visitur ex Tribu, item Terentina. NIGRO. Niger cognomen fuit multarum familiarum, quas enumerare, non est operae pretium. EX PRIMA ADMISSIONE. apud Flauium Vopiscum legitur Achilius Magister Admissionum; arbitrator Principum Romanorum temporibus idem vsuuenisse, quod nostris; sunt qui ad Principes admittant primo, secundo, ac tertio ostio. hic C. Caesius ex Prima fuit Admissione. potest vero illud in dubium vocari, quae nam Admissio sit Prima dicenda, an ea, qua primum aduenientes admittunt, & adhuc opus habent reliquis admissionibus; an qua post remotiores à primis apud Principem à cubiculo aditum habent. EX QVATVOR DECVRIS. hoc est, qui quatuor exercuit Decurias, siue Decurio fuit in quatuor generibus munerum, aut officiorum. Apud Iucundum, de quo alibi memini, est inscriptio Persij cuiusdam, qui sub Domitiano exercuit Decurias duas, hoc est Viatoriam, & Licetoriam Consulares. in Ciuitate Romana Onufrij, epigramma est, loquens de L. Pompeio Fortunato Nomenclatore, Accenso, Licetore, Augustali trium Decuriarum, ut existimem, quatuor Decurias fuisse Viatoria, Accensorum, Nomenclatorum, & Licetoriam. repperi tamen Decurias etiam Praeconum, & Scribarum, ac ne forte quis male me existimare putet de C. Caesio Nigro, quem putare velim, fuisse ex horum officiorum Decurijs, afferam exempla, quibus huiusmodi homines Clarissimi appellabantur, apud eundem.

DEO. SOLI. MITHRAE

C. IVNIUS. C. F. TROM.

NENIANVS

VIR. CLAR

VIATOR. QVAESTOR

Item

IOVI. OPTVMO. MAX

L. VRBANVS. V. C.

NOMENCLATOR

CENSORIVS

D. D. D.


M. D.

X

Quod

Quod si displicet, est alia commoda interpretatio: ut dicamus, C. Caesium Iudicem ex quatuor Decurijs selectum fuisse. Praetores enim quotannis legebant Decurias Iudicum, primam ex Senatoribus, secundam ex Equitibus, tertiam ex Centurionibus, & Manipularijs Legionis Alaudae, quartam ex Ducenarijs, additam ab Augusto: quintam addidit Caligula: neque plures quinque Iudicum Decurias inueni; non tamen intelligo quomodo quis ex quinque Decurijs Iudex seligi potuerit, nisi ita creuerit, ut cum Ducenarius esset, tum Iudex lectus sit; deinde cum in Alauda Legionem militasset, etiam tum legeretur; atque itidem cum Eques Romanus esset, & postea Senator. aliter non video ut quis ex quinque Decurijs seligi potuerit. nisi prior propositus sensus recipiatur. Ad C. Caesium Nigrum redeo: & sum in prioris sententia, ut quoniam de Prima Admissione mentio facta est, Decuriae illae intelligantur, quae fuerunt inferiorum munerum; ut Praeconum, Scribarum, aut Viatorum, qui quoniam plurimi erant, propterea in Decurias diuidebantur, ut alia Decuria esset Consularis, alia Praetoria, alia Quaestoria, alia Aedilitia, ut quisque in aliquo munere alicui magistratui apparebat. atque has Decurias emi solitas innuit Cicero. exstat Tabula Legis de legendis, ac sublegendis Scribis, Praeconibus, Viatoribus ex ijs Decurijs, quos certo tempore apparere oportet. in qua etiam de ipsorum mercede agitur; ut mercenariae absque dubio fuisse cognoscantur. CVRIO. MINOR. erant Curiones Sacerdotes, qui pro Curijs sacrificabant; & à populo Comitijs Curiatis creabantur. erant triginta Curiones, quia triginta Curiae. qui autem omnibus Curionibus praerant, is Curio Maximus dicebatur, qualem Liuius nominat: ad cuius differentiam, hic, opinor, Curio Minor inscriptus est. Curionum Minorum etiam in alijs lapidibus mentio. Romae quidem ad Tabernas obscuras egregio in marmore legitur. Q. FABIVS. CILO. COMES. SEPTIMI. SEVERI. IMPERATORIS. SODAL. HADRIANAL. CVRIO. MINOR. PRAETOR. LEGATVS. PATRONVS. MEDIOLANENSIVM. Ceterum laudanda pietas est Caesiae Theoridis libertae, quae Caesio patrono hoc monumentum fecit. cuius cognomen Graecum video à verbo *καίσιος*, quod est speculor, & *καίσιος* speculari dicitur, ut *καίσιος ναύς*, idest speculoria nauis. Nunc non omitam item alteram, cuius notitiam, cum haec scriberem, accepi. ea visitur Ameriae in pariete supra fenestram domus Antonij Borrij, quam descripsit olim Marcellus secundus Pontifex Maximus, ex cuius monumentis plura in codicem Antiquitatis Bibliothecae Vaticanae iussu Clarissimi Cardinalis Sirleti sunt relata. Hanc vero manu propria Marcelli exaratam, ibidem custoditam ostendunt custodes librarij Federicus, & Marinus Ranalli huiusmodi.

D. M.




Minus igitur mirum, si cum olim exstiterint Caesius Clemes, Caesiaq. Clemetiana, praeter eos, quos ignoramus, & in postera gente CAESIA Clementis cognomen subinde repetitum sit; (nam vel patrum aetate sub obitum Leonis Decimi obiit Clemens Caesius, Angeli filius, I. C. summaque expectatione adolescens) & quod est maius, Templum à Caesij Diuo Clementi antiquissimum conditum fuerit Caesio in pago, agri Mutinensis: quem pagum itidem à Caesia familia exaedificatum testes insignes sunt historiae. cuiusmodi de rebus suo loco fortasse copiosius dicendum erit. Porro quam nobilis in primis, claraque exstiterit Silia familia, ex qua Silia Iustina orta, Caesij Clemetis vxor, Caesiae Clemetianae Mater, nihil attinet hoc loco explicare: Fasti consulares, librique veteres satis docent. CLEMES cum hic sine N. scriptum legatur, mirari lector non debet, passim hoc, atque eiusmodi nomina scripta inueniri, ostendit mihi Iulius Iacobonius ex hac inscriptione, quae olim Romae, in aedibus Maffiorum visebatur in haec verba.

C L E M E T I . C A E S A R V M . N N
C A S T E L L A R I O . A Q V A E . C L A V
D I A E . F E C I T . C L A V D I A S A B A T I S
E T . S I B I

Accedat Caijs Caesij Cnaeus Caesius vnus, tanquam omnium praenominae similitudine, proximus, cuius antiquissima inscriptio visitur in Tabella eleganti marmorea intra hortos Caesios huiusmodi; vbi imago adolescentuli cernitur.

X 2

D. M.



Ex quo epigrammate CN. CAESIUS filius è maternae familiae nomine nomen sibi adsciuisse videtur, ex paterno autem cognomine cognomen quod Graecum esse, supra perscripsimus. CALLIOPE nomen fictum è Musarum vna, vel ex oppido non obscuro Parthorum, quod Calliope, Stephano auctore, de urbibus, nominatur. fuit, & Calliopolis vrbs Thraciae in extremo Helleponti, vt Strabo libro ait XIII: est item Peloponnesi ciuitas in Orientali tractu, haud procul ab Araxo Promontario, vt libro secundo testatur Mela. Calliopolis praeterea Insula est maris Aegaei, vna è Cycladum, notiore nomine, Naxus, vt ait Plinius lib. IV. cap. II. ex quo nam ex ijs locis nomen CALLIOPE sumpserit, nihil affirmo. Video Calliope cognomen frequens in antiquis lapidibus reperiri, vt in vno, cuius copiam fecit mihi Iulius Iacobonius, huiusce exempli.

D . M

AEMILIAE CALLIOPE. EVTIA. PRISCA. PATRONA
LIB. BENE. MERENTI

De Cnaeo Caesio Decumano ex Capitibus supra diximus.

DE C.



POETOVIONE antiquissimi nominis non Norici, vt putat Marcellinus, sed Pannoniae Superioris Vrbe, lapis hic insignis videtur, altus pedes quaternos, latus ternos, & dimidium, propter scalas templi Curialis, ad latus alterum ianuae, qua ingressus est ad domicilium Parochi. Inscriptionem, praeter alios, Petrus Appianus, & Amantius ediderunt. Sed eam cum lapidis dimensione accu-

X 3 rata

rata diligenter descriptam, ante aliquot menses provincialis Praefes Sodalium Franciscanorum Germaniae detulit ad Alfonsum Iuniorum Carretum, Marchionem Finarij, adlectum inter Principes Imperij, atque is humanissime ab Caesaris Aula Romam ad me misit. defunt postremi versus, vetustate consumpti: cetera quam emendatissima sunt. C. CAESIUS. alibi vidimus, quam sit familiare huic familiae Caij praenomen: namque Caios Caesios multos numeramus. PAPIRIA. tribus est ciuitatis Poetouionensis, vt ex plurimis alijs inscriptionibus constat, quae, vt Sextus Pompeius inquit, à Papirio est vocata. in Papiria Tribu fuere etiam Tusculani, Fulginates, Alatrinates, Sabini multi, atque alij. INGENVVS. quaerenti mihi, quis omnino C. hic Caesius Ingenuus putandus esset, coniecturae omnes, argumenta omnia, ac verisimilitudines, aut patrem, aut fratrem, aut agnatum Ingenui eius, qui Praefes Pannoniarum, in xxx Tyrannis enumeratur; repraesentarunt, nisi is ipse sit: potuit enim post hoc monumentum à se conditum, longius militaribus honoribus progredi. sed de Ingenuo legatur prorsus, quid Trebellius Pollio monumentis litterarum consecrarit; deinde quid probabiliter sentiendum sit, inuestigetur. nam Tusco, & Basso consulibus, cum Gallienus vino, & popinis vacaret, cumque se lenonibus, mimis, & meretricibus dederet, ac bona naturae luxuriae continuatione deperderet, Ingenuus, qui Pannonias tunc regebat, à Moesiacis legionibus Imperator est dictus, ceteris Pannoniarum volentibus. neque in quoquam melius consultum Reipublicae à militibus videbatur, quam quod, instantibus Sarmatis, creatus est Imperator Ingenuus, qui se suis rebus mederi sua virtute potuisset. Causa autem ipsi arripiendi tunc Imperij fuit, ne suspectus esset Imperatoribus, quod erat fortissimus, ac Reipublicae necessarius; & militibus, quod imperantes vehementer mouet, acceptissimus; sed Gallienus, vt erat nequam, & perditus, ita etiam, vbi necessitas coegisset, velox, fortis, vehemens, crudelis; denique Ingenuum, conflictu habito vicit, eoque occiso, in omnes Moesiacos tam milites, quam ciues asperrime saeuijt, nec quemquam suae crudelitatis exortem reliquit: vsque adeo asper, & truculentus, vt pleraeq. ciuitates vacuas à virili sexu reliquerit. fertur sane idem Ingenuus, ciuitate capta, intrasse domum, in qua se pugione transfodit, atque ita vitam finisse, ne in Tyranni crudelis potestatem veniret. exstat sane Epistola Gallieni, quam ad Celerem Verianum scripsit, qua eius nimietas crudelitatis ostenditur, quam ego iccirco interposui, vt omnes intelligerent, hominem luxuriosum crudelissimum esse, si necessitas postulet. Gallienus Veriano. *Non mihi satisfacies, si tantum armatos occideris, quos, & fors belli interimere potuisset. Perimendus est omnis sexus virilis, si & senes, atque impuberes, sine reprehensione nostra, occidi possent; occidendus est quicumque male voluit; occidendus est quicumque male dixit contra me, contra Valeriani filium, contra tot Principum, patrem, & fratrem.*

trem. Ingenuus factus est Imperator, lacera, occide, concide, animum meum intelligere potes: mea mente irascere, qui haec manu mea scripsi. Haec Trebellius. Deinde historicus est nemo, quin Ingenui meminerit, vt longe praestantissimi ceterorum, qui in Imperium inuaserunt. Itaque primum cum haec inscriptio sit in Pannonijs, in quibus non solum Caesius Ingenuus, verum etiam Caesia Ingenua vixisse reperiuntur, praeterea cum in eadem Prouincia aliae Caesiae familiae mentiones supersint, quas afferemus, nil prohibet sentire, Caesium nomen fuisse illi Ingenuo, qui praefuit Pannonijs: cuius temporibus loquendi consuetudine cognomen dumtaxat sermonibus vsurpabatur. Quod si in fine inscriptionis, illud est, quod Appianus addidisse videtur, AVGVSTAE MATRI CASTRORVM POETOUIENSIVM, omnis dubitatio sublata est: atq. hanc Augustam vel uxorem, vel matrem Caesij Ingenui Imperatoris esse certum erit. Sic enim Victoria illa Victorini vnus è XXX. Tyrannis Mater, iisdem temporibus, vt Trebellius in Lolliano refert, Castrorum Mater appellata est, & Augustae nomine ornata; at hoc quidem tanto credibilius, quanto certius Poetouiensium Castrorum Mater dicitur, in quibus Caesius Ingenuus, & Caesia Ingenua, & Ingenuus, vel filius, vel maritus Imperator fuit. Namque vti Pannoniae Praefes Poetouiensibus Castris Ingenuus praecerat; porro in ijs Legio praecipue merebat XIII. Gemina, vt ex Tacito colligimus. Vt cunque sit, quoniam detritae sunt litterae postremorum versus, nullus, opinor, erit, qui alium Ingenuo proximiorum putet, quam C. Caesium Ingenuum, ex quo lapide, cuius magnitudo, vt in ijs regionibus, ipsa magnum quoque fuisse persuadet auctorem suum. Quo porro tempore vixerit Ingenuus, Consules Fuscus, & Bassus ostendunt. Anno quippe post V. C. ∞ XI. primus fuit è triginta, qui Imperium arripuerit. fuit ornatus à Valeriano, vt Trebellius narrat in Regiliani vita. *Nec à Gallieno, inquit, vir iste promotus est, sed à patre eius, Valeriano, vt & Claudius, & Macrianus, & Ingenuus, & Postumus, & Aureolus, qui omnes in Imperio perempti sunt, cum mererentur Imperium. Mirabile hoc fuit in Valeriano Principe, quod quoscunq. Duces fecit postea militum testimonio ad Imperium peruenerunt: vt appareat, senem Imperatorem in deligendis Reipublicae Ducibus talem fuisse, qualem Romana Felicitas sub bono Principe requirebat. & utinam vel illi, qui arripuerant Imperia, regnare potuissent.* Quae verba libentius adscripsi quod pertinent valde ad Ingenui existimationem; cui Onufrius magnam inscriptionem facit. IMPERATORI CAES. INGENVO C. F. AVG. IN PANNONICIS. &c. V. F. viuens fecit. VLPIAE ADIVTAE. fortasse ex Vlpj Traiani stirpe oriunda. vt eodem tempore Clarissimi Viri duo, Vlpus Syllanus, Vlpus Crinitus fuit. praeterea Caesiae familiae cum Vlpia alia necessitudo; nam L. Caesius Ampliatus heres institutus est à M. Vlpio Seuero, quemadmodum inscriptio, quae Neapoli est, ab Ap-

ab Appiano edita testatur. Caeterum aliquid pertinere ad C. Caesium, C. F. Ingendum potest C. Caesius. C. F. Agrippa, quod vterque Caius, & Gaius patre natus, & pari nobilitate censeatur, cuius inscriptio visitur Veronae in Fano D. Martini Ruris, vt Torellus I. C. olim edidit.



DE CAESIO SIVE IACOBO CAESIO NUMERARIO Apparitionis, Magistro Equitum Orientis
Caput XVI

GREGIAE auctoritatis Scriptor Ammianus Marcellinus libro historiarum decimonono infra scripta verba habet. Inter haec tamen funera, direptionesq. Ciuitatis excisae, Aeliano Comite, & Tribunis, quorum efficacia diu defensa sunt moenia, stragesq. multiplicatae Persarum, patibulis scelestis suffixus Iacobus, & Caesius numerarii Apparitionis Magistri Equitum, alijq. protectores post terga vinctis manibus ducebantur. Transigritanis, qui sollicita quaerebantur industria, nullo infimi, summique discrimine ad vnum omnibus truncatis.

Ex quibus

ex quibus intelligitur: Imperatore rerum potente, Constantio, Constantini filio, Caesius, siue Iacobus Caesius, vt videtur, Vir & consilij magni, & virtutis, per gradus alios ad eum peruenisse, quem ea tempora, ratione tota veterum honorum commutata, nunc Praefecturam, nunc Magistratum, nunc Principatum Apparitionis nominabant. Ea dignitas huiusmodi erat, vt in amplissimo quoque ordine proxima proximae semper esset. Quamobrem apud Praefectum Praetorio, vt tum vsurpabant, Orientis, aut Occidentis apud primos Comites, apud eos denique, quorum praecipua erat quocunque tandem titulo Imperij administrandi auctoritas, summum locum obtinebant, Numerarii duo Apparitionis Magistri; sic enim, cum diligenter inquirerem, & eum librum, quem Notitiam Prouinciarum vocant, omnem euoluerem, obseruavi. Vt enim in Militia contingebat, ab infimis ordinibus strenuos milites ad medios, à medijs ad primos vocari: vt olim Romae, ex Quaestoribus Aediles, aut Tribuni: ex his Praetores, ex Praetoribus Consules fiebant: sic post Urbem Constantinopolim conditam nouis officiorum nominibus inuentis, vt Numerarii Magistri ex inferioribus, ac ijs praecipue, quos Primiscriuos dicebant: sic saepe ex his Magistris praefecti Praetorio, qui omnibus potestate antistabant, creabantur. inter multos exemplo sit, Rufinus, quem Marcellinus è Magistro apparitionis Praetorianae Praefectum Praetorio ostendit, libro xv. Porro Apparitionem dictam arbitror, quam vulgo hodie Custodiam vocant, manum eam cum Peditum, tum Equitum, quam perpetuam Reges, atque alij Principes, ad praesidium, & pompam adhibent. Quae Apparitionis significatio confirmatur à Marcellino, cum de Leontio Praefecto Urbis agit his verbis: *Idem profecturus, inquit, ad seditiosum populum, qui ad Septizonium conuenerat, ab omni toga, Apparitioneq. rogabatur enixius, ne se in multitudinem arrogatam, minit antemq. immitteret.* & paulo superius, *Leontius Praefectus Urbis immisis Apparitionibus in Populum tumultuantem, aliquos subreptos Insulari poenam mulctauit.* Quin olim in prouincijs Proconsules ex cohorte Praetoria Apparitionem constituebant. & Iustinianus de Apparitoribus Proconsulis, & Legati Lege secunda sic decernit. *Apparitioni tuae, & Legatorum quadringentos censuimus deputandos.* & paulo post. de Apparitoribus Comitum Orientis. *In officio, inquit, Comitum Orientis non amplius, quam sexcenti Apparitores habeantur, quos quidem publicis necessitatibus nouimus abunde suppetere, quod est ex Zenonis Lege.* Sine militari Apparitione iussus Vrsicinus est ab Imperatore Constantino reuerti Mesopotamiam, vt refert Marcellinus; tum Protector adiunctus Vrsicino, quem Comitem Orientis fuisse narrat, antequam clades à Persis acciperetur. Alias significat Apparitio delectum illum, atque enumerationem militum, quam antiqui Lustrationem, posteriores Ostensionem, hodie Monstrationem militum vocant. cui Apparitioni militari qui praest, recte Numerarius

Y Princeps,

Princeps, siue Magister Apparitionis dicitur, hoc est, producendorum atque explicandorum sub conspectum militum: vt qui sint, & quot sint, appareant. Milites etiam, qui sic apparerent, atque ostenderentur cognoscendi, & numeri, & armorum gratia, Lampridius Ostensionales vocat in Alexandro. atque alterutram Apparitionis significationem ad Caesium pertinere posse, non est dubium. Ceterum Apparitionis vocabulum tam ex aetatibus scriptorum, quam ex negotiorum generibus exponi, solitum est. Alicubi iuris interpretes, Apparitores esse Publicanos interpretantur. falluntur, qui Lictores credunt, nam M. Tullius Marcilij singularem, & prope incredibilem in longa Apparitione fidem laudat. Mentionem horum, qui Magistratibus Romae apparerent, multi lapides habent. Idem auctor alibi cum Lictores, Scribasq. nominasset, addit eos etiam, qui apparerent. quam Apparitionis significationem honestam ad Barbarorum tempora ita peruenisse sentio, ut Apparitores non alij videantur, quam quibus in ea Praefectura, cuius sunt Apparitores, munus aliquod sit tuendum, ac curandum, & mandata, & negotia exsequenda. Honestissime quidem hoc verbo vsus est Eucherius, cum apud Constantium Augustum aduersus obtrectatores, Iulianum Caesarem defenderet, eumque diceret industria vigili Barbaros repulisse: Apparitoremq. fidum auctori suo Constantio futurum eum, obligata ceruice sponderet. Praeterea non solum Marcellinus tradit, Antonium illum, qui deinceps in summum ducem euasit, honorum capeffendorum ergo, Rationarium (vtendum est ipsorum vocabulis) Apparitorem factum, & Mesopotamiae Ducis domesticum Protectorem, hoc est, Comitem, & familiarem. alibiq. Remigij Legati Imperatoris, nobiliumq. saepe, & honoratorum hominum meminit Rationariorum Apparitorum: verum Liber ipse, qui Notitia Prouinciarum inscribitur, semper fere vltimo loco, tanquam inter dignitates, & officiorum gradus collocat Apparitores. Numerarijs vero magistris adiutores addit, quos alij Vicarios, aut Promagistros nuncuparent. Itaque Antoninus, is ex opulentissimo Mercatore, Rationarius, Apparitor, & domesticus Protector, non vilis minister, quales Satellites creduntur, sed muneris alicuius in rationibus Curator fuisse, putandus est. atque huiusmodi in vrbis, ciuilibusq. rebus agnoscendae sunt Apparitiones, quae nihil ad Caesium pertinent. in bellicis autem cum duo Principes essent Apparitionis, alter Equitum, alter Peditum: vt de Equitibus loquamur, quibus praefuit Caesius; etiam in M. Tullij Epistolis mentio reperitur apparentium Equitum, vt Apparitores Equites existimem, qui primi emittuntur, excurrunt, atque hostibus apparent, quos Caesar opinor Antecursores dicit. Opportune veniunt in mentem mihi Constantini Leges, quibus & militia spoliat Apparitorem profectum in patriam, prouinciamq. suam priuati negotij causa: & militare in Apparitorum numero permittit etiam, quibus


quibus res familiaris sit angustior; deinde quod maioris est ponderis; ibidem statuitur, Ne vlli pro Apparitoribus Praefecti Praetorio Orientis admittantur, neque Apparitioni veteri more aggregentur, militiaeue sacramenta sortiri possint, nisi qui veram, Catholicamq. fidem profitentur: militariumq. litterarum exempla habent ex authenticis sacris probatorijs ipsius Imperatoris, & manu subscriptis, & arbitrio praestandis: ne qua fraus, dolusue intercedere queat: tanti erat numerari in Apparitoribus. Atque haec haec de Apparitione, sine quibus Caesij munus, & quodnam existerit intelligi non posse sentiebam. Ad Numerarij vocem quod attinet, Numerarium interpretor numero Praefectum, quicumque tandem numerus sit; quamobrem quicumque munera in tota Apparitione gerebant, hi omnes sub Numerario Magistro censebantur. Iccirco saepe nominatus mihi liber Notitiae Prouinciarum in dispositione Britanniarum, in quibus quotannis Numerarius eligebatur ex officijs militum, ut is auctor appellat, Praesentia-
 lium, & Commentariensium, enumerat Praefectos Numeri quam multos, his prope verbis: *Praefectus Numeri Vigilum, Praefectus Numeri Defensorum, Praefectus Numeri Exploratorum, Praefectus Numeri Directorum Veterum*: atque alij multi Praefecti Numeri, quos Numerarios Magistros, Praefectos, Principesq. dictos existimo. Quorum splendor huiusmodi fuit, vt praeter hoc nomen Praefecturae Numeri, praeter Adiutores, Apparitores, & Officiales, quibus imperabant, etiam Primicerios haberent, quibus scilicet curatio erat Scrinij Numerariorum. Quod si Primicerij Viri spectabiles, vt is auctor docet, vocabantur, colligimus, quanta dignitas esset Numerariorum, quorum sunt administri Primicerij. Porro ex Lege Constantini Numerarij, qui ordine, & stipendijs militiae fuerint decorati ad Tribunatum Praetorianum militare, vocabantur: ex Tribunatu deinceps Comites creabantur: vt docet Liber Iustiniani duodecimus. qua ratione Marcellinus Caesij Numerarij, ex tam multis illustribus captiuis, post Aelianum Comitem, Tribunosq. meminit. Duos sane in Oriente Numerarios fuisse constat, alterum, cui parebant, quibuscunq. ex peditatu erat apparendum, alterum, qui praefectus idem muneris inter Equites exercentibus. Atque hoc potissimum in causa fuit, cur libentius Iacobum Caesium Numerarium, Magistrum Equitum Apparitionis legam, quam, vt in vulgatis libris est, Iacobum, & Caesium Numerarios. neque enim aut in exactissimo illo volumine Notitiae Prouinciarum, aut vsquam reperiuntur duo fuisse Numerarij Equitum Magistri: sed semper alter Equitum, alter Peditum. Quoniam igitur praeter omnem consuetudinem scripti sunt duo Magistri Equitum Apparitionis Numerarij, si quod manuscriptum exemplar Marcellini emendatius extet, libentius, vt dixi, vnum Equitum Magistrum Iacobum Caesium legam. Videor enim eandem culpa agnoscere,

quae in Polibij codicibus, è Graeca in Latinam linguam à Perotto expressis, deprehenditur; in quibus pro Decio Campano, Praefecto Legionis, Decius & Campanus, Praefecti, perperam eduntur: de qua re copiosius priore volumine in M. Caesio generis Principe differui. Accedit Iacobi Praenomen saepius in posteriore familia Caesia usurpatum, argumentum non leue tam Iacobum Caesium, quam Iacobum, & Caesium à Marcellino scribi potuisse. Tum enim, & Christiana religio florebat, & Christianis Praenominibus uti coeperant. Ergo post Urbem conditam anno CIOCX. post Christum CCCLX. Consulibus fratribus Augustae, Constantij Vxoribus, Eusebio, & Hypatio, in bello Persico virtus enituit egregia Caesij, de quo quoniã quae ad dignitatem spectabant attigimus, quae reliqua sunt, breuiter narrabimus. Etenim in veterum monumentis vix vllum majus bellum Imperatores Romanos cum Persarum Regibus gessisse video. cum Sapor, si diligenter, quid potuerit, quid effecerit, qui Rex fuerit, consideremus: omnino omnibus, quibus cum bella gesta sunt, anteposendus sit. is annos septuaginta regnavit, quot fortasse alius nemo. sed cum bellum hoc Constantio indixit, octauum & quadragesimum Regni annum agebat. quo tempore aliquoties ab exercitibus Romanis exacerbat, nunquam satis repressus, saepe inuectus in Imperij fines cum pace dimissus fuerat. Nunc coniunctis sibi duobus Regibus Albanorum, & Chionitarum, pacatisq. finitimis nationibus, Imperij fines inuaserat. Et iam crebri nuncij Constantio, apud Syrmium agenti, nunciabant, Saporem ad Eufratem cum maximis Persarum copijs, multarumque praeterea gentium magna manu venisse, Eufratem transire coepisse, diciq. Regem in Mesopotamiam impetum esse facturum; iam vicis aliquot exustos, complures esse in hostium potestate: erat tum in Oriente praefectus copijs Equestribus omnibus Vrsicinus, vir fortissimus; & rei bellicae scientissimus, cum eo & Ammianus Marcellinus, qui historiam scripsit, & ut appareret, hic Caesius Numerarius Magister venerant. Vrsicini autem tantae res gestae fuerant, tanta felicitas, ut in vnus ipsius anima Orientis Imperio subditae nationes omnia ponerent. Constantius tamen, qui pessimis mortaliu[m] consultoribus vteretur, reuocato Vrsicino, in eius locum Sabinianum Senem quendam, ignarum rerum omnium miserat, imminentibusq. periculis admonitus, rursus perseuerare in Oriente Vrsicinum iusserat. id quamquam aegre non magis ipse, quam Orbis terrarum ferret, tamen optimi Ducis hortationibus omnia instrui coepta, quibus potentissimi Regis vires infringerentur. Iam totus impetus belli ad clarissimae Mesopotamiae urbis Amidae[m] moenia constiterat, quam Sapor centum millibus hominum obsidebat, ianuam, qua effracta, & reuulsa totus pateret Oriens. Quibus cognitis Vrsicinus extemplo celeres Equites misit, in his opinor Caesium, ut agrestes cum familijs, & pecoribus in tutissima cogarentur, campi succenderentur

derentur omnes, ne pabuli copia suppeteret hostibus, quae accurate confecta omnia. Rem in paucissima conferam. Amidae, ut oculatus testis, Marcellinus narrat, praesidio semper erat Quinta Parthica Legio cum indigenarum turba, non contemnenda: sed tum propter ingentem Persarum multitudinem sex Legiones, praecursis itineribus, oppidum custodiebant, Maguntiaci, Decentiaci, Tricesimani, Decimiq. Fortenses, & Superuenteres, atque Praeuentores cum Aeliano Comite, & sagittariorum parte maiore. Quis Rex hostis, quo loco staret, quibus machinis urbs impeteretur, placet ex eodem ipso auctore commemorare. Cum Aelianus Comes Marcellinus, domesticus Protector, Caesius Numerarius, Magister Equitum Apparitionis, nobilissimus quisque, ac fortissimus obsessam urbem introissent, defendendamq. suscepissent; post creberrimas pugnas, summa contentione pugnatas; post oppugnationes, quibus, fossis, aggeribus, vineis, turribus obsessi, telorum, multitudine pressi, maximis, & grauissimis tormentis appetiti, flammis, ignibusq. tosti, dolis, ac fraudibus hostium, & transfugarum saepe tentati, nostri repugnarunt: cum nulla pars diurni, nocturnae temporis ad laborem intermitteretur: non aegris, non vulneratis facultas quietis daretur; cum aestu, siti, pestilentia quisque vexaretur, tandem Ciuitatem ab iratissimo Rege captam esse tertio, ac septuagesimo die, quam eam cinxisset, quo die Rex triginta millibus suorum amissis omnem conatum adhibuerat. Nam cum Aelianus Marcellinus, Caesius, Tribuni alij, ac Protectores, Gallorumq. ductores, quibus postea, propter virtutem statuatae armatae ad Aedessam positae sunt, omnia prouidere, apud omnes adesse, milites cogere, castra munire, machinas transferre, alios alibi in monumentis collocare, satagerent: contra milites fessi, & transfixi sagittis, neque recipere se, neque sistere possent, clamore, & caede omnia complerentur, ad extremum infelicissime vallum, in quo propugnabant, corruit; qua ruina oppressi nostri, constrata omnia telis, armis, ac cadaveribus: & aditum, & facilem adscensum Persis dedere; qui quantam stragem ediderint, satis cuiq. animo sibi repraesentare ex Marcellino teste, & auctore cognoscere licet. is se, scribit, cum aduersperasceret, nonnullis adhuc dimicantibus cum duobus Comitibus per posticam, qua nihil seruabatur, ad Vrsicinum euasisse: aliquot vero fortissimos viros, vi via facta, conferto agmine erumpentes excessisse, quos Persarum omnis multitudo persecuta rursus oppresserit: in his fuisse primarios quosque, praecipue Aelianum Comitem, quem ipsum, & Tribunos quosdam Persae in crucem egerint: Iacobum vero, & Caesium, siue Iacobum Caesium, Numerarium Apparitionis, Equitum Magistrum, Protectoresq. alios reuinctos à tergo manibus captiuos, vidisse se, dum adducerentur à Persis, scribit. sane in monumentis lapideis Caesiam Persidem vidimus, Titumq. Caesium T. F. Persicum, ut for-

te fortuna, Amida amissa, tale cognomen ipsius posterius praesetulisse, atque ex ea seruitute appellationem sumpsisse credendi sint: cum apud Persas patre captiuo nati in Italiam redissent. inscriptionem eam ad caput XIII. apposuimus.

DE CAESIO AEQVIDICO QVI CENTVM ANNOS
vixerat Caput XVII



VENUSTISSIMA, & vetustissima mensa est marmorea, in qua pulcherrimis litteris haec incisa inscriptio visitur; quae supra ostium intimi cubiculi Cardinalium Caesiorum ligneis olim ornamentis inclusa collocata fuit; & ad decus, & non tam forsatis ob Caesij nominis recordationem, quam, ut monumentum legerent vitae humanae, cuius singulis horis pars consumitur: & quamvis longissima sit, puncto tamen temporis auferuntur omnia tam multis diebus, noctibusque congesta. Edidit hanc inscriptionem Aldus Iunior in Orthographia sua. Deorum Manium notae indicant, qui memoriam huic Caesio posuerunt priscam Romanam religionem coluisse. Praenomen nullum appositum est, propter carminis, opinor, rationes. AEQVIDICI cognomen singulare est, neque unquam à me alibi lectum. videtur autem Caesius sic dictus Aequidicus, ut olim Alexander appellatus Paris: nescio an recte quidam putent, quod parem se, aequumq. praeberet omnibus. Diomedes vetus insignis Grammaticus libro tertio, Aequidicos versus esse docet eos, qui singulis propositionibus anthitetas apparant dictiones, ut Virgilij ille est; *Alba Lingustra cadunt, vacinia nigra leguntur*: quod in quotidiana consuetudine, ac sermone si factitavit Caesius, ratio cognominis apparet. nisi potius sic nuncupatus est; quod aequa semper diceret, quae maxima, atque optabi-


optabilissima virtus est. neque enim ferri possunt iniqua dicentes. Ceterum quoniam posterior Caesia familia AEQVITANI cognomen habuit, habetq. suspicari possumus, ab hoc Caesio accepisse, primumq. Aequidicanos, deinde faciliore, ac breuiore vocabulo Aequitanos dictos. Ac mihi cogitanti vocabuli Aequidici vim, non minus Caesij, quam Pisonibus suum Frugi gratum esse oportere videtur. Vt enim interrogante olim, *quem Pisonem?* respondit Gracchus, cogis me dicere inimicum meum Frugi? sic Caesium Aequidicum ne hostis quidem satis in appellando significare potuit, nisi ante laudaret: cum Caesius vno cognomine declaretur, non modo quis sit, sed etiam qualis sit. Atque haud dissimilem fuisse aequitatem in hac stirpe, vulgatissimum est. IAM CENTVM CLAVSERAT ANNOS. Hominum, qui centum annis vixerint nonnullorum apud varios auctores est mentio, quos omitto. Phlegon, qui libertus Hadriani fuit, in libello de longaevis, capite de ijs, qui centesimum annum attigerunt, fere septuaginta enumerat: inter quos tredecim Placentinos, in quibus quidam κίρως, ita scribitur, ut dubites vtrum *καίσιος λ. α. π. αν καίσιλιος*, hoc est, Caesius ne L. lib. quem Graeci ἀπελεύθερον vocant, an Caesilius Cyrus, à Phlegonte positus sit. nam Caesilius inusitatum vocabulum est. Praeterea priores omnes, & posteriores quorum essent, vel filij, vel liberti, Phlegon demonstrat, ut nihil sit, cur in Cyro id praetermittere debuerit. Itaq. ex recta coniectura legebam: *L. Caesius L. lib. Cyrus Vrbe Placentia*. Scatet enim mendis totum illud libelli fragmentum. sed lubet Comitem adiungere centenarium alterum Caesio nostro ex inscriptione, quae iacet in Casinati in ruinis villae, ut eam Aldus iunior edidit.

SEX· VIGELLI· AQVINAT· QVI
ANN· ATTIGIT· CENTENS
SET· ALTERVM· ET· NONAGENS
PERPET· INOFFENSA· VALETVD
EREXIT· RELIQVOS· SEPTEM· ET· D·XIX
DECVBVIT· ET· OCCVBIT
NAT· LVD· SAECVL· VIII· OBIIT· SEQVENT

CLAVSERAT ANNOS; hoc est vixerat; non sine adagij vi quadam: nam & ille se pulsare dixit aetatis ianuam, cum se valde senem significaret. FELICES. sine diphtongo. versus vero memoriae figendus, cum felicitatem tot annorum breuem horam abstulisse dicat. est enim saeculum, ut Vere flores, Aestate fructus; quos nunquam consequens Ver, aut Aestas videt. simul apparent, ut fluctus quidam, simulq. praetereunt. Ita ut non valde magnum sit discrimen inter eum, qui centum annos, atque eum, qui decem vixerit, si omnem actatem,

tem, & celeritatem consideremus discedendi. Sed non desunt, qui satis egregie in hoc argumento philosophantur. Efficaciam animaduerto in dictione, TOT, opposita Horae breui. P. P. Publica Pietate, Publice Positum, Patri Pientissimo, Proconsuli Prouinciae, Publica Pecunia, Praefectus Praetorio: omnia quadrare possunt. nullum affirmare placet.

DE CAESIIS MULIERIBVS EX VARIIS LAPIDVM
inscriptionibus desumptis.
Caput XVIII.



IC omnium matronarum seriem persequendam duximus, quot vel cum viris Caesij iunctae sunt, vel ipsas separatim inscriptiones habent.

CAESIA DIDV, SIVE DIDVS, Caesiae Seuerae, & Ti. Caesij filia, vt apparet in Tudertina inscriptione.

CAESIA SEVERA, M. Caesij Magni, & Tamudiae Seuerae filia, soror alterius M. Caesij, Vxor Ti. Caesij Diophanti, vt in eodem Tudertino, & Amiternino, marmoribus ostendimus.

CAESIA FLORA, filia M. Caesij Epaphroditum, quemadmodum ex ipsius tabula legimus capite 1X. atque ex hortis Caesij descriptam retulimus.

CAESIA CRESIME, M. Caesij Chresimi, & Saccidiae Felicitae filia, vt in lapide Rauennati.

CAESIA GRATA, M. Caesij Euni Liberta, ex inscriptione Opitergina.

CAESIA FORTVNATA MATER, & CAESIA VICTORIA filia, ex Vrna marmorea in hortis Caesij.

CAESIA ANAPHE, CAESIA PERSIS, ex lapide in hortis Caesij supra ad caput XIII. de Tito Caesio Hermete.

CAESIA GERMANA, soror Titi, & Sexti Caesiorum, Hilari, & Hilarini, vt ex inscriptione in hortis Caesij, capiti superiori adiuncta.

CAESIA SPATALE, Verna Titi Caesij Onesiphori, ex lapide in hortis Caesij, relata est ad caput superius.

CAESIA THEORIS, C. Caesij Nigri Liberta, ex inscriptione Alteriorum ad caput XIV.


CAESIA CLEMETIANA, ex inscriptione Amerina, eodem capite.

CAELIA CALIOPE. Mater CN. Caesij Zosimi, vxor T. Asij Zosimi ex mensa marmorea in hortis Caesij: inscriptionem leges ad caput superius.


CAESIA INGENVA, ex lapide Poetouionensi ad caput XV.

CAESIA FVSCA, Vxor P. Postumij Asellionis, Mater M. Caecilij Fusci, cuius inscriptio Gambarae, in Agro Brixiano visitur ab Aldo Iuniore in Orthographia edita.

M. CAE-




CAESIA ACVTIA, in eodem agro Brixiano, ad Plebem pagi Incini, edita est ab Io. Baptista Nazario in libello, cui titulus est, Brixia antiqua, huiusmodi.




Z

CAESIA

CAESIA FVNAM, quam Iacobonius Funabulam opinatur, Vxor Marcel-
li Verecundi (Torellus Appianus, Aldus, ac multi alij ediderunt) specta-
tur Veronae huiusmodi.




CAESIA OLIMPIAS. Vxor Epli. Tabella marmorea visitur in cubiculo
Ludouici Caesij, Abbatis, cui dono data est à Fabricio Lazaro, Aduocato am-
plissimi ordinis, à me descripta cum in vinea suburbana forte effoderetur.




CAESIA PACCIA, Rauennae in marmore olim visebatur, misit exem-
plum Vincentius Carrarius, I C. eadem, vt quidam liber ostendit, sed falso,
Iadere, vrbe Dalmatiae, ad aedem S. Vitalis, dicitur esse huiusmodi.

.PAC-



CAESIA VICTRIX, Vxor L. Betucij Proculi, visitur inscriptio Rauennae,
in Aede D. Ioannis Apostoli, edita ab Appiano, & Amantio inter inscriptio-
nes vetustatis.




Z 2

Filiam


Filiam suam Caesia Seuera pientissimam in Tudertina, suam Caesia Victrix pijsimam in Rauennati inscriptione vocat.

CAESIA SECVNDA, Romae in aedibus Paulli Pini ad Pantheon: legimus quoque editam à iuniore Aldo in libro Orthographiae.




In qua praecipue, licet antiquissima sit, notandum tamen est b, non B, scriptam litteram habere.

CAESIA. O. L. LICINI, & CAESIA. O. L. ex inscriptione mutila, quae visitur Romae, ad Aquam virginem, in hortis Paulli Bubali; edidit eam Manutius.



CAE-


CAESEIA MARILLIS, Q. Caeselij Pancarpi vxor; in hortis Caesij, in vrna supra quadam ianua sinistrorsum posita, & est huiusmodi. existimo autem in CAESEIA EI diphthongum esse.



CAESIA OPTATA. Ciriacus Anconitanus, qui ante centum XL. annos primus mihi videtur hoc studio antiquitatis inuestigadae flagrasse, hanc prodidit. exstat ipsius itineris ob hanc rem suscepti volumen, in quo dicit, se Kal. Augusti Tragurium venisse, egregiam urbem Dalmatiae, ad quam ad aedem D. Ioannis Baptistae, qui locus India vocatur, hanc scribit esse inscriptionem.

Z 3

C. BEN-



Cuius inscriptionis tria uidi vetusta exemplaria, paullulum discordia: nam BENNIUS vnus liber scriptum habebat, alter EBENNIUS, alius praeposuit verba VXORI SVAE verbis CAESIAE OPTATAE. vbique tamen eadem verba, atque idem sensus seruatus. at ego Cyriacum sequi malui, oculatum testem. De Iulia Optata mentionem fieri, vidimus supra in inscriptione Maffiana, ad caput IV. Fuitq. Optati cognomen multarum familiarum: quas memorare, non necesse habeo. Non minimum mariti dolorem exprimi, putat Iacobonius, illis verbis, FECIT. NON. LVBENS. SED. FATVM. FECIT.

CAESIA QVARTA, quae inscriptio extra moenia Tragurij prope aedem D. Mariae in ornatissimo sepulchro, sub virili, & muliebri imagine, legitur sic.

L. CAE-



Huius autem tria exemplaria vidi: differentiae hae fuerunt: vnum CESELIUS habet, sine diphthongo, quod Aldo Manutio placet, eiusq. rei exempla affert: ipse tamen plura, in quibus diphthongus visitur, vidi: altera differentia est, in nota TRO. quam alius scriptor fecit TIRO, alius fecit TER. Tiro non placet, ne idem sine causa duo cognomen habeat, hoc est, Tironis, & Maximi. TER. hoc est, Terentina tribus, admitti potest. nam in ea aliquos Caesios extitisse, vidimus: sed Cyriaco malui credere, quem valde diligentem plerumq. expertus sum, qui TRO. legit: quod TROMENTINA cum Iacobonio libentius interpreto. de qua apud Festum, & Liuium haud raro mentionem fieri, & Iacobonius mihi indicauit, & legi ipse non semel. exstat Caietae inscriptio à Paulo Manutio, viro doctissimo relata, huiusmodi.

L. ATILLIO L. F. TROMEN.

Ex quo ad Iacobonij opinionem magis accedo, praesertim cum supra legi, in mentem veniat C. IVNIUS C. F. TROM. ex capite XIV. DE quadam Liua T. Filia Quarta fit mentio in inscriptione quadam Patavina, quam mihi Iacobonius ostendit, huiusce exempli.

V. F

V . F
 T. LIVIVS
 LIVIAE T. F.
 QVARTAE
 HALYS
 CONCORDIALIS
 PATAVI.....
 SIBI ET SVIS
 OMNIBVS

CAESIA CASSIANA. & haec in Paulli Cardinalis voluminibus cernitur, reperta Rauennae, in templo D. Vitalis.




MARINAE POLYCARPAE
 CAESIAE CASSIANAE
 CLAVDIVS. P. F. CAM.....
 IVST..... CONIVGI. SANCTISS.
 SIBI. ET. P. VARIO
 ARIANO. FRATRI
 PIENTISSIMO. POSVIT

De qua inscriptione, cum corrupta sit, & manca, nihil est, quod aliud afferam.

CAESIA

CAESIA PANTHERA, Caij Liberta, ex inscriptione Stratae, qui Pagus est Patauini agri, in aedibus Danielis Victurij, patricij Veneti: edidit eam Bernardinus Scardeonius cum historia Patauina, in hunc modum.



CAESIA. C. LIB
 PANTHERA
 VIVA. FECIT
 SIBI. ET. SEP
 TIM. DASI.....
 CON. BELGI..
 ...CIPALI. CONSI
 ...F...M...

CAESIA FESTA, quae Materni est, super lapide fontis fracti, atque vastati: Torellus aliter impresit, vel qui volumen eius ediderunt, nam CASSIAE pro CAESIAE fecerunt; vt hunc ipsum errorem in plerisq. inscriptionibus agnosco: verum lapis adhuc oculis spectari potest, & est huiusmodi

AA

CAE-

DE CAESIO FONTANO SVMMO PONTIFICIO
Scriba, ex Corij Annalibus.
Caput XIX



VTIMVS antiquorum Caesiorum superest Caesius Fontanus, domo Roma, cuius mentio in Annal. fit B. Corij, M.F. hunc in modū. Ab Hadriano, summo Pontifice, Desiderius Rex impetrauit, vt qui nudum gladium ante Pontificem gestarent, ij natione Longobardi essent: quemadmodum priuilegia testantur, quibus subscripsit Caesius Fontanus, Romanus, Apostolicus Cancellarius: scribendo adfuit Vrsinus Angelus, anno post Christum DCCLXXXVI. Actum Romae, sexto Idus Maias. Idem est ab Rege Francorum Carolo impetratum: subscripsit Caroli Scriba, Aquinus Pontilius: scribendo adfuit Iacobus Cacurius, Mediolanensis.

Qua in re quis non miretur accidisse, vt sicut, quem omnino primum Caesium apud Priscos reperimus, is fuit in summa Romana Republica Scriba, sic quem ex iisdem veteribus vltimum Caesium inuenimus, is fit in summo Pontificio Imperio Cancellarius, quem Latine Scribam vocamus. Inter primum autem M. Caesium, & hunc nouissimum Caesium Fontanum, tum anni sunt mille quingenti, & viginti sex, tum personae Caesiae nominantur centum fere, ac quinquaginta: a M. Caesio, auctore generis, vsque ad Caesium Argium, auctorem nominis, cuius maiores omnes scimus, ac posteriorum plerosq. anni numerantur propemodum septingenti nonaginta: a Caesio Fontano, termino veteris enumerationis, vsque ad initium Arboris, atque Instauratorem praesentis familiae Caesiae, Andream, cuius posteros omnes cognitos habemus, ac progenitorum nonnullos anni intercedunt quadringenti. Nam Caesius circa annum post Troiam captam centesimum, ac sextum; M. Caesius post V. C. anno quadringentesimo septuagesimo tertio viuebat. Nonnulli autem, qui inter Caesium, ac M. Caesium primum fuerunt, propter maximas rerum, regionum, ac regnorum apud Graecos, & posteros Troianorum commutationes, vetustatis obscuritate sepulti sunt: quod accidit nonnullis, qui inter Caesium Fontanum, & Andream vixerunt, propter Francorum, & Germanorum dominationes, qui adhuc in ruinis, Tabularijs, & qua-

dam hominum obliuione latent. quemadmodum autem eorum, qui proximi M. Caesium vetustissimum consecuti sunt, propter Punicum bellum primum, & illius omnem amissam historiam, quae a T. Liuiio, & a reliquis veteribus conscripta fuerant, non sunt satis conseruata nomina, sic ij etiam, qui proxime nouissimum Caesium Fontanum praecesserunt, propter Gothorum, omniumq. Barbarorum incurfionem, ac penuriam scriptorum, non ita plane noti sunt, ac explorati. quis enim in tanta vastitate perpetuam stirpis seriem speret explicatam? declinauerat de statu suo Romanum Imperium, propterea quod eius hereditas ad pueros cum peruenisset, ij tutores fuerant, qui & concitarent omnia potius, quam gubernarent, & caussae aliquid ad dominationem sibi comparandam inuenturi, partim prouinciarum perturbationes augeri sinerent; motus, quos ab initio cohibere possent, vel dissimulantes, vel remissius iisdem remedia adhibentes; partim vero male acceptos Barbaros, quorum maxima multitudo Imperatorum in exercitu stipendia mereret, lacesitos ad res nouandas tantopere inuitarent, vt tumultus, pugnae, defectiones plerisque ex partibus orirentur. Qua quidem tempestate vrbs Roma in eas incidere miseriae coepit, quibus saepenumero ciuitates alias vsque ad postremam calamitatem presserat. Nam quibuscunq. malis, propter ipsius arma tam propinqua, quam remotae regiones per annos mille, & centum afflictatae fuerant, ea singula centum, paullo amplius, annorum interuallo, experiri ipsa coacta fuit; obsidiones, famem, pestem, seruitutem, caedes: praeterea excidia, rapinas, & exustiones: & sane allatarum alijs multitudo cladum, visa fit acceptarum crebritate compensari. Sed non meum consilium est, tantas tempestates euoluere. quamquam ab re haud visum est, monere: ne quisquam admirari inciperet, quod alijs temporibus, quibus commemoratae calamitates oriri coeperint, vsque ad ea, quibus tantisper quiescere, animumq. recipere licitum fuit, minime familiarum crebra mentio occurrat. Quapropter cum dubitari non possit, quin Caesius aliquis in omni aetate exstiterit, a quo decus nomini sit constitutum, aequo animo cum ad principia communium miseriarum perueni, saltu interuallum illarum tempestatum transgredior, quibus neque domus huius, neque caeterarum perfecta accipi cognitio, cum serie continuata, potest esse. Operae autem nunc pretium futurum existimo, si notationem temporum ad veteres Caesios pertinentium ita proponam, vt eam, quae per indicem, & quam vocant, Chronologiam, explicatam, videant apertius omnes, & colligant.

DE PRISCORVM CAESIORVM CRONOLOGIA

Caput XX



ANNO ante Urbem conditam circiter CCC. hoc est, post Troiam captam CXX. CAESVS: Temeni Filius Aristomachi nepos, Cleodaei pronepos, Hylli abnepos, secundus inter Heraclidas regnabat Argis. CAESI posterius vix nomen regum retinentes, postremo regno spoliati, atque expulsi sunt.

Anno post V. C. CDLXXII. L. Aemilio Barbula, Q. Marcio Cos. bello Tarentino, M. CAESIVS cum Legione octava Campana Rhegium, adversus Pyrrhum Regem, in praesidium missus Scriba, & Imperator.

Anno post V. C. DCLXIII. Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone Coss. bello Italico P. CAESIVS Eques Romanus ciuitate R. donatus est.

Anno post V. C. DCLXX. Syllanis, & Marianis temporibus, bellis Ciuilibus, C. CAESIVS, antiquior poeta, ad L. Aelium scripsit.

Anno post V. C. DCLXXIX. L. Octauio, C. Aurelio Cotta Cos. bello Sertoriano, M. CAESIVS Praetor Urbanus cum C. Licinio Sacerdote.

Anno post V. C. DCLXXXI. M. Terentio Lucullo, C. Cassio Varo Coss. bello Mithridatico, Cn. CAESIVS Decumanus in Sicilia cum C. Verre Praetore.

Anno post V. C. DCLXXXI. D. Iunio Silano, L. Licinio Murena Coss. bello Catilinario, SEX. CAESIVS Eq. Ro. in Asia cum L. Val. Flacco Praetore,

Anno post V. C. DCXCV. L. Calpurnio Pisone, A. Gabinio Coss. bello Gallico Caesaris, CAESIVS cum Q. Cicerone in Asia Procons. Item L. CAESIVS ab eo missus.

Anno post V. C. DCXCIX. Cn. Pompeio Magno II, M. Licinio Crasso III Coss. M. CAESIVS SCAEVA, Centurio bello Britannico Caesaris.

Anno post V. C. DCCXIX. L. Domitio Ahenobarbo, Ap. Claudio Pulchro Coss. bello Parthico Crassi, CAESIVS Procurator Q. Ciceronis in Maniliano, & Fufidiano.

Anno post V. C. DCCII. M. Claudio Marcello, Ser. Sulpitio Ruffo Coss. bello Syriaco, P. CAESIVS Junior in Magistratu positus, ad quem Epistola Ciceronis.

Anno post V. C. DCCVI. C. Iulio Caesare, P. Seruilio Vatia Isaurico Coss. M. CAESIVS SCAEVA, Centurio Caesaris bello Dyrrhachino, Ciuili, adversus Pompeium.

Anno post V. C. DCCVII. C. Iulio Caesare III, M. Aemilio Lepido Coss. bello Ciuili Africano, M. CAESIVS Aedilis Arpini, cum M. & Q. Ciceronum filijs.

DE 3 AA

Anno

Anno post Urbem conditam incerto, sed proximo Reipublicae temporibus inscriptiones exstant, P. CAESII P. F. Aedilis Sorae, M. CAESII T. F. aedilis Narbone, Q. CAESII Signiferi, & M. CAESII Q. F. Fratru Veteran. Veronae. praeterea C. CAESII C. F. Agrippae, & aliorum.

Anno post Urbem conditam, DCCXXXIII. hoc est post Actiacum bellum, sub Imperatore Augusto, floruit T. CAESIVS Iurifconsultus, Ser. Sulpicij auditor, qui scripsit de Legibus.

Anno post Urbem Conditam, DCCCLXXIII. Tiberio Caesare III. Druso ipius filio, II Cos. Anno Tiberij VII. CAESIVS CORDVS Proconsul Graeciae, & Cyrenarum postulat.

Anno post Urbem conditam, DCCXCI. primo anno Imperij Caligulae L. APRONIVS CAESIANVS, cum ipso C. Caesare Consul fuit, antea sub Tiberio in Africa Numidas vicerat.

Anno post Urbem conditam, DCCCVI. D. Iunio Silano, Q. Haterio Antonino Coss. penultimo Claudij, Imperatoris anno, CAESIVS NASICA Praefectus Legionis Britannos vicit.

Anno post Urbem conditam DCCCIX. & post omnino sub Imperio Neronis, Galbae, Othonis, Vitellij, C. Caesius Bassus poeta, & auctor eximius.

Anno post Urbem conditam, DCCCXXXIII. L. Annio Basso, C. Caccina Paeto Coss. bello Iudaico, anno primo Vespasiani Imperatoris, C. CAESIVS PRISCVS, M. CAESIVS PRIMVS, C. CAESIVS SYMPHORVS, C. CAESIVS SYNTROPHVS, L. CAESIVS THALLVS, ex Tribu Iuniore Succusana, primae, & tertiae Centuriae.

Anno post Urbem conditam, DCCCXXXVII. sub Domitiano Imperatore CAESIVS SABINVS, Montanae decus Umbriae, accipit carmina a Martiali poeta.

Anno post Urbem conditam DCCCLIII. sub Traiano Imperatore P. Caesius Phosphorus in gratiam P. CAESII, patroni commendatur Traiano, sub quo etiam Q. CAESIVS Furiae Primae maritus. Item C. CAESIVS NEPOS.

Anno post Urbem conditam DCCCLXXXII. P. Iuuentio Celso, Q. Iulio Balbo Coss. XII. K. Martij. C. CAESIVS ROMANVS, miles XXVI. Stipendiorum sub Hadriano Imperatore, sub quo etiam SEX. TERTIVS MONTANVS CAESIVS SABINVS, Aedilis, Pontifex, flamen Traianalis.

Anno post Urbem conditam DCCCLXXXIX. L. Ceionio Commodo, Sex. Vetuleno Ciuica Pompeiano Coss. P. CAESIVS, P. LIB. CRESCENS Curator Regionis XIII.

Anno post Urbem conditam CCCCXLVI. Q. Sosio Falcone, C. Iulio Fructo Claro Coss. occiso Commodo, T. CAESIVS T. F. HERODES, pro Pertinace Imp. votum soluit.

Anno

Anno post Urbem conditam c XLIX. C. Domitio Dextro II, L. Valerio Messella, Thrasia Prisco Cos. T. CAESIVS BASSIANVS, sub Septimio Seuero, Imperatore, scribendo adfuit VI. Idus Ianuarij. Post hanc aetatem sequi videtur M. CAESIVS, M. F. MAGNVS, & reliqui in ipsius inscriptione.

Anno post Urbem conditam c XI. Fulco, & Basso Cons. sub Valerio, & Gallieno C. CAESIVS, C. F. INGENVVS, Poetouione in Pannonijs, vbi Ingenuus Imperator factus, inter xxx. Tyrannos numeratur.

Anno post Urbem conditam incerto, sed tamen circa haec tempora fuisse conijcitur, T. CAESIVS PRIMVS Consularis, Annonae praefectus Tusciae, & Umbriae, & CAESIVS TAVRINVS ipsius filius.

Anno post V. conditam incerto, sed omnino temporibus duorum Augustorum inferiorū, vt Dioclitiani, & Maximiani, aut similium, M. CAESIVS EPTYCHES, Decurio Collegiorum Militiae Rauennatis.

Anno post V. conditam c CXI. Eusebio, Hypatio Cos. sub Constantio, Constantini F. Imper. CAESIVS NVMERARIVS, Magister Equitum Apparitionis Orientis, à Persis captus.

Anno post V. conditam incerto, fortasse post superiora tempora, CAESIVS AEQVIDICVS vixit centum annos: in haec autem incerta tempora conijcipossunt plurimae inscriptiones Caesiorum, quorum aetates non distinguuntur, vt M. CAESII EVNI, C. CAESII CALLINICI, M. CAESII MARCIANI, T. CAESII CHILONIS, L. CAESII POLLIONIS, CAESII AMPLIATI, & aliorum multorum.

Anno post V. conditam c DXXXVIII. sub Imperatore Constantino VII. vltimus veterum CAESIVS FONTANVS, Apostolicus Cancellarius, vt vocant, Hadriani summi Pontificis scribendo adfuit priuilegio, de quo postremo hoc capite diximus.



IO. BAPTISTAE FONTEII PRIMIONIS

Commentariorum opus

absolutum.



TESTI.

TESTIMONIA LIBRORVM PRISCOS CAESIOS nominantium, ipsis Auctorum verbis recitatis.



Ex Paufaniae Corinthiacis, siue libro secundo haec sunt.

ΚΤΙΩΝ ΔΕ (hoc est) ΤΙΜΙΝΣ ΥΙΩΝ, ΑΥΤΟΣ ΚΑΙΣΟΣ ΠΡΟΣΒΥΤΑΤΟΣ ΩΝ, ΕΣΧΕ ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ. ΑΓΡΕΙΟΙ ΔΕ ΑΤΕ ΙΣΟΥΟΡΙΩΝ, ΚΑΙ ΤΟ ΑΥΤΟΜΟΝ ΑΓΑΠΩΝΤΙΣ ΕΚ ΠΑΛΑΙΟΤΑΤΟΥ, ΤΑΤΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΥΩΝ ΕΣΤΙ ΛΑΧΙΣΤΟΝ ΠΡΟΣΕΥΧΑΘΟΝ, ΩΣ ΜΗ ΔΗΛΙ ΤΩΝ ΚΑΙΣΟΥ, ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΑΠΟΓΟΝΟΙΣ, Η ΤΟ ΟΝΟΜΑ ΛΕΙΦΘΗΝΑΙ ΤΗΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΜΟΝΟΝ.

Hoc est, vt Amafaeus Romulus commode vertit.

Temeni Filiorum, deinde natu maximus CAESVS regnum tenuit; At Argiui, qui iam tum ab initio libertatis, & iuris aequabilitatis per studiosi fuerant, regiam potestatem vsque eo in ordinem coegerunt, vt CAESI liberis, eiusq. posteris, nihil omnino aliud quam regni nomen reliquerint.

Ex Valerij Maximi libro secundo cap. II. de disciplina militari.

Sed cum aliquoties Senatus pro militari disciplina seuerè excubuerit, nescio an tunc praecipue, cum milites, qui Rhegium iniusto bello occupauerant, mortuoq. duce Bubelio, M. CAESIVM Scribam eius, sua sponte Imperatorem delegerant, carcere inclusit: ac M. Furio Flacco Trib. Pl. denunciante, ne in Cives Romanos aduersus morem maiorum animaduerteret, nihilominus propositum executus est.

Ex Catulli epigrammate ad C. Licinium Caluim.

Non, non hoc tibi false sic abibit:

Nam, si luxerit, ad librariorum

Curram scrinia, CAESIOS, Aquinos,

Suffenum; omnia colligam venena:

Ac te his supplicijs remunerabor.

Ex Q. Cornificij Rhetoricorum ad Herennium libro III.

Et si verborum transiectione vitabimus, nisi quae erit concinna: qua de re posterius loquemur, quo in uitio est C. CAESIVS assiduus; vt hoc est in priore libro: Has res ad te scriptas, Luci misimus Aeli.

Ex Mar. Ciceronis tertio in verrem libro.

Aedem Castoris, Iudices, P. Iunius habuit tuendam, L. Sylla, Q. Metello Consulibus. is mortuus est. reliquit pupillum paruum filium; cum L. Octauius, C. Aurelius Cos. aedes sacras locauissent; neque potuissent omnia facta tecta exigere, neque ij Praetores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos, & M. CAESIVS. Factum est S. C. quibus de factis tectis cognitum, & iudicatum non esset, vti C. Verres, P. CAESIVS Praetores cognoscerent, & iudicarent.

Ex Mar. Ciceronis oratione pro L. Cornelio Balbo.

Sit hoc discrimen inter gratiosos ciues, atque fortes: vt illi viui fruantur opibus suis; horum etiam mortuorum, si quisquam huius imperij defensor mori potest, viuat auctoritas immortalis. quid? Gn. Pompeius Pater, rebus Italico bello maximis gestis, P. CAESIVM Equitem Romanum, virum bonum, qui viuit Rauennae, foederato ex populo, nonne Ciuitate donauit?

BB

Ex

Ex M. Ciceronis Quinto in Verrem libro.

Quid? Amestratini miseri, impositis ita magnis decumis, ut ipsis reliqui nihil fieret: nonne tamen numerare pecunias coacti sumus: addicuntur decumae C. N. CAESIO, cum adessent Legati Amestratini, statim cogitur Heraclius Legatus numerare HS. XXII. quid hoc est? quae est ista praeda? quae vis? quae direptio sociorum? si erat Heraclio ab Senatu mandatum, ut emeret; emisset: si non erat; qui poterat sua sponte pecuniam numerare? CAESIO renunciat, se dedisse. Cognoscite renunciationem ex litteris. Recita ex litteris publicis.

Calatinis quamobrem imperasti anno tertio, ut Decumas agri sui, quas Calatae dare consueverant, Amestrati C. N. CAESIO, Decumano darent? quod neque ante te Praetorem illi fecerunt, neque tu ipse hoc ita statueras antea per biennium.

Ex M. Ciceronis oratione pro L. Valerio Flacco.

Ubi ergo crimen est? quoniam quidem furtum nusquam reprehendis: edictum probas: iudicatum fatetur: quaesitum, et probatum palam non negas: actum esse per viros primarios res ipsa declarat. Apameae manifeste comprehensum, ante pedes Praetoris in foro expensum est auri pondo centum, paullo minus, per SEXTVM CAESIVM, Equitem Romanum castissimum hominem, et integerrimum: Laodiceae viginti, paullo amplius per hunc ipsum L. Peducaem, Iudicem nostrum. Adrymeti per Cn. Domitium Legatum: Pergami non multum auri: ratio constat; aurum in aerario est: furtum non reprehenditur: invidia quaeritur. à Iudicibus oratio auertitur: uox in coronam, turbamque effunditur.

Ex M. Ciceronis Epistola ad Q. Fratrem prima, libri Tertij.

Columnas neque rectas, neque è regione Diphilus collocarat: eas scilicet demolietur; aliquando perpendiculo, et linea disces uti. Omnino spero paucis mensibus opus Diphili perfectum fore. curat enim diligentissime CAESIVS, qui tum mecum fuit. ex eo loco recta Vitularia via profecti sumus in Fusidianum fundum, quem tibi proximis nuncijs Arpini de Fusidio HS. CC. et CCC. emeramus. Ego locum aestate umbrosorem vidi nunquam: per multis locis aquam profluentem, et eam vberem. Quid quaeris? Iugera L. prati CAESIVS, irrigaturum facile se, arbitratur. Equidem hoc, quod melius intelligo, affirmo, mirifica suauitate te villam habiturum, piscina, et salientibus: additis palaestra, et Sylua Veneri dicata.

Ex M. Ciceronis Epistola ad Q. Fratrem prima, libri I.

Denique haec opinio sit, non modo ijs, qui aliquid acceperint, sed ijs etiam, qui dederint, te inimicum, (si id cognoueris) futurum. Neque vero quisquam dabit, cum erit hoc perspectum, nihil per eos, qui simulant se apud te multum posse, abs se solere impetrari: Nec tamen haec oratio mea est eiusmodi, ut te in tuos, aut durum esse nimium, aut suspiciosum velim. Nam si quis est eorum, qui tibi beneficij spatio nunquam in suspicionem auaritiae venerit, ut ego CAESIVM, et Cherippum, et Labeonem: et audio, et quia cognoui, existimo, nihil est quod non et ijs, et si quis est alius eiusdem modi, et committi, et credi rectissime putem. Sed si quis est, in quo iam offenderis, de quo aliud senseris, huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuae commiseris.

Ex M. Ciceronis Epistola ad Q. Fratrem secunda, primi libri.

Nunc respondeo ad eas Epistolas, quas mihi reddidit L. CAESIVS, cui quoniam ita se velle intelligo, nullo loco deero. quarum altera est de Blandenio Teuxide, quem scribis certissimum matricidam tibi à me intime commendari.

Ex M. Ciceronis Epistola ad P. CAESIVM lib. ad C. Memmium.

CICERO P. CAESIO. S. D.

P. Messienum Equitem Romanum, omnibus rebus ornatum, meumque per familiarem, tibi commendo, ea

do, ea commendatione, quae potest esse diligentissima. Peto à te et pro nostra, et pro paterna amicitia, ut eum in tuam fidem recipias, eiusque rem famamque tueare. Virum bonum, tuaque amicitia dignum tibi adiunxeris, mihiq. gratissimum feceris.

Ex M. Ciceronis Epistola ad Brutum, libri ad C. Memmium.

Bonos viros ad tuam necessitudinem adiunxeris: municipiumque gratissimum beneficio tuo deuinxeris: mihi vero etiam gratius feceris, quod cum semper tueri municipes meos consueui, tum hic annus praecipue ad meam curam, officiumque pertinet. Nam constituendi Municipij causa hoc anno Aedilem filium meum fieri volui, et fratris filium, et M. CAESIVM, hominem mihi maxime necessarium. Is enim Magistratus in nostro Municipio nec alius ullus creari solet. Quos cohonestaris, in primisq. me, si resp. Municipij tuo studio diligentia bene administrata erit. Quod ut facias, te uehementer etiam, atque etiam rogo.

Ex M. Ciceronis Epistola ad Brutum, lib. ad C. Memmium.

CICERO BRUTO SAL.

Alia Epistola communiter tibi commendavi Legatos Arpinatum, ut potui, diligentissime; ac separatim Q. Fusidium, quo cum mihi omnes necessitudines sunt, diligentius commendo: non ut aliquid de illa commendatione comminuam, sed ut ad hanc addam. Nam et priuignus est M. CAESII, mei maxime, et familiaris, et necessarius, et fuit in Cilicia mecum Trib. Mil. quo in munere ita se tractauit, ut accepisse ab eo beneficium viderer, non dedisse.

Ex Pandectarum lib. primi Titulo de Origine Iuris, partim Póponij, partim Tribonianij. Huius (ideest Sulpiti) volumina complura exstant; reliquit autem prope centum, et octoginta libros. Ab hoc plurimi profecerunt: fere tamen hi libros conscripserunt, Alphenus Varrus, Caius Aulus Osilius, TITVS CAESIVS, Aufidius Tucca, Aufidius Namusa, Flavius Priscus, Caius Atteius, Pacuuius, Labeo Antistius, Labeonis Antistij pater, Cinna, Publicius Gellius. Ex his enim decem octo libros conscripserunt: quorum omnes, qui fuerunt libri digesti sunt ab Aufidio Namusa in centum quadraginta libros.

Ex P. Cornelij Taciti hist. lib. III.

Non enim Tiberius, non accusatores fatiscabant. et Ancharius Priscus CAESIVM CORDVM, Proconsulem Cretae, postulauerat repetundis, addito Maiestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum erat. Post auditi Cyraenenses, et accusante Anchario Prisco CAESIVS CORDVS repetundarum damnatur.

Ex P. Cornelij Taciti hist. lib. III.

Sed Tacfarinas percussis Numidis, et obsidia aspernantibus spargit bellum, ubi instaretur, cedens, ac rursus in terga remeant, et dum ea ratio Barbaro fuit, irritum, fessumque. Romanum impune ludificabatur. Postquam deflexit ad maritimos locos, inligatus praeda, statuis castris haerebat. missuque patris Apronius CAESIANVS cum Equite, et cohortibus auxiliarijs, queis velocissimos Legionum addiderat, prosperam aduersus Numidas pugnam facit, pellitque in deserta.

Ex P. Cornelij Taciti hist. lib. XII.

Inde accensi hostes, stimulante ignominia, ne feminae imperio subderentur, valida, et lecta armis iuuentus regnum eius inuadunt: quod nobis praeuisum, et missae auxilio cohortes acre praelium facere, cuius initio ambiguo; finis laetior fuit. Neque dispari euentu pugnatum à Legione, cui CAESIVS NASICA praeerat. Nam Didius senectute grauis, et multa copia honorum per ministros agere, et arcere hostem satis habebat.

Ex Valerij Martialis Epigramm. lib. VII.

Nosti si bene CAESIVM, libelle,

Montanae decus Umbriae SABINVM;
 Auli municipem mei Rudentis:
 Illi tu dabis haec vel occupato.
 Insistent mille licet, premantque curae,
 Nostris carminibus tamen vacabit:
 Nam me diligit ille, proximumque
 Turmi nobilibus legit libellis.
 O quantum mihi nominis paratur?
 O quae gloria, quam frequens amator?
 Te conuiuia, te forum sonabit,
 Aedes, compita, porticus, tabernae.
 Vni mitteris, omnibus legeris.

Ex Valerij Martialis Epigramm. lib. IX.

Nympha sacri regina lacus, cui grata SABINVS,
 Et mensura pio munere templa dedit:
 Sic Montana tuos semper colat Umbria fontes,
 Nec tua Baianas Salsina malit aquas:
 Excipe sollicitos placide, mea dona, libellos;
 Tu fueris Musis Pegasis vnda meis.
 Nympharum templis quisquis sua carmina donat;
 Quid fieri libris debeat, ipse monet.

Ex Valerij Martialis Epigramm. lib. IX.

Seu tu Paestanis genita es, seu Tiburis aruis,
 Seu rubuit tellus Tuscula flore tuo:
 Seu Praenestino te Villica legit in horto,
 Seu modo Campani gloria ruris eras:
 Pulchrior ut nostro videare corona SABINO,
 De Nomentano te putet esse meo.

Ex Eiusdem lib. XI.

Non omnis nostri nocturna est pagina libri:
 Inuenies, & quod mane, SABINE, legas.

Ex Valerij Martialis Epigramm. lib. XI.

Scire cupis nomen: nil, praeter basia, dicam:
 Iuro tibi nimium scire, SABINE, cupis.

Ex C. Caecilij Plinij Epistola II. lib. IX.

C. PL. SABINO SVO S.

Facis iucunde, quod non solum plurimas Epistolas meas, verum etiam longissimas flagitas, in quibus parcius fui: partim quia tuas occupationes verebar, partim quia ipse multum distingebar plerumque frigidis negotiis, quae simul & auocant animum, & comminuunt. Praeterea nec materia plura scribendi dabatur, neque enim eadem nostra conditio, quae M. Tullij: ad cuius exemplum nos vocas, illi enim copiosissimum ingenium, & par ingenio materia, quam varietas rerum, quam magnitudo largissime suppetebat. Nos quam angustiis terminis claudamur, etiam tacente me, perspicis: nisi forte volumus scholasticas tibi, atque (ut ita dicam) & imbraticas litteras mittere. Sed nihil minus aptum arbitramur, cum arma vestra, cum castra denique, cornua, tubas, sudorem, puluerem, soles,

soles, cogitamus. Habes, ut puto, iustam excusationem, quam tamen dubito, an tibi probari velim. Est enim summi amoris, negare veniam breuibus Epistolis amicorum, quamuis scias illis constare rationem. Vale.

Ex C. PL. Epist. lib. IX.

C. PL. SABINO SVO S.

Qua intentione, quo studio, qua denique memoria legeris libellos meos, Epistola tua ostendit: ipse igitur exhibes negotium tibi, qui elicis, & inuitas, ut quamplurima communicare tecum velim, faciam per partes tamen, & quasi digestas, ne istam ipsam memoriam, cui gratias ago, adfiduitate, & copia turbem, oneratamque & quasi oppressam cogam pluribus singula, posterioribus priora dimittere. Vale.

Ex eiusdem lib. VI.

C. PL. SABINO SVO S.

Rogas, ut agam Firmanorum publicam causam, quod ego, quamquam plurimis occupationibus distentus, adnitar. cupio enim, & ornatisimam coloniam aduocationis officio, & te gratissimo tibi munere obstringere, &c.

Ex eiusdem lib. IIII.

C. PL. SABINO SVO S.

Scribis mihi, SABINAM, quae nos reliquit heredes, Modestum seruum suum nusquam liberum esse iussisse, idem tamen sic adscripsisse: Legatum Modesto, quem liberum esse iussi. &c.

Ex eiusdem Plinij Epistolis ad Traianum.

Item rogo indulgeas Ius Quiritium L. Satrio Abascanto, et P. CAESIO PHOSPHORO, & Panchariae Soteridi, quod a te, volentibus patronis, peto.

Ex lib. III. ex emendatione Cuspiniani.

C. PL. TRANQVILLO SVO S.

Facis pro cetera reuerentia, quam mihi praestas, quod tam sollicite petis, ut Tribunatum, quem a Neratio Marcello clarissimo viro impetraui tibi, in CAESIVM SILVANVM propinquum tuum transferam.

Ex Valerij Maximi libro tertio, cap. II. Exemplo XXIII.

Clasicam Atilij gloriam, terrestri laude M. CAESIUS SCAEVA, eiusdem Imperatoris Centurio, subsecutus est. cum enim pro castello, cui praepositus erat, dimicaret, Cneique Pompeij praefectus, iussu eius, summo studio, & magno militum numero ad id capiendum mitteretur; omnes, qui propius accesserant, interemit; ac sine vilo regressu pedes pugnans, super ingentem stragem, quam ipse fecerat, corruit. cuius corpus capite, humero, femore saucio, oculo eruto, scutum centum, & viginti ictibus perfossum apparuit. Tales in castris Diui Iulij disciplina milites aluit, quorum alter dextera, alter oculo amisso hostibus inhaesit: ille post hanc iacturam victor: hic ne hac quidem iactura victus. Tuum vero, SCAEVA, inexuperabilem spiritum in utraque parte rerum naturae, qua admiratione prosequar, nescio: quoniam excellenti virtute, dubium reliquisti, inter vndas ne pugnam fortiozem edideris, an in terra vocem emiseris. Bello namque Gallico, quo C. Caesar non contentus opera sua Oceani claudere littoribus, Britannicae Insulae caelestes iniecit manus, cum quatuor commilitonibus rate transuectus, in scopulum vicinum Insulae, quam hostium ingentes copiae obtinebant, postquam aelus regressu suo spatium, quo scopulus, &

Insula diuidebantur, in vadum transitu facilem redegit, ingenti multitudine Barbarorum affluente, ceteris rate ad litus regressis, solus immobilem stationis gradum retinens, vndiq. ruentibus telis, et ab omni parte acri studio ad te inuadendum nitentibus, quinque militum diurno praelio suffectura pila, vna dextera, hostium corporibus adegisti: ad vltimum districto gladio, audacissimum quemque modo umbonis impulsu, modo mucronis ictu depellens, hinc Romanis, illinc Britannicis oculis incredibili, dum cernereris, spectaculo fuisti. Postquam deinde ira, ac pudor cuncta conari fesso, coegit, tragula foemur traiectus saxiq. pondere ora contusus, galea iam ictibus discussa, & scuto crebris foraminibus absumpto, profundo te credidisti; ac duabus lorice omustus, inter vndas, quas hostili cruore infecerat, enatasti: visoque Imperatore armis non amissis, sed bene impensis, cum laudem merereris, veniam petisti. Magnus praelio, sed maior disciplinae militaris memoria: itaque ab optimo virtutis aestimatore, cum facta, tum etiam verba tua, Centurionatus honore donata sunt.

Ex C. Iulij Caesaris libro tertio commentariorum de bello Ciuili.

Sed in Castello nemo fuit omnino militum, quin vulneraretur, quatuorque ex vna cohorte Centuriones oculos amiserunt; & cum laboris sui, periculiq. testimonium asserere vellet, millia sagittarum circiter xxx. in castellum coniecta, Caesari renunciauerunt: scutoque ad eum relato SCAEVAE Centurionis, inuenta sunt in eo foramina cccxxx. quem Caesar, vt erat de se meritis, & de Repub. donauit millibus ducentis aeris: atque ab octauis ordinibus ad primipilum se transducere, pronunciauit. eius enim opera castellum conseruatum esse, magna ex parte, constabat. Cohortemque postea duplici stipendio, frumentou, & speciaris, militaribusq. donis amplissime donauit.

Ex Suetonij Tranquilli vita C. Caesaris, post medium.

Deniq. una sextae Legionis Cohors praeposita castello, quatuor Pompeij Legiones per aliquot horas sustinuit, paene omnis confixa multitudine hostilium sagittarum, quarum centum, ac xxx. millia intra vallum reperta sunt. Nec mirum, si quis singulorum facta respiciat vel CAESII SCAEVAE Centurionis, vel C. Acilij militis, ne de pluribus referam: SCAEVA excusso oculo, transfixo foemore, & humero, centum & xx. ictibus scuto perforato, custodiam portae commissi castelli retinuit.

Ex Lucano Libro VI.

*Tot simul è campis Latiae fulsere volucres,
Tot cecinere tubae, ne quid victoria ferro
Deberet, pauor attonitos consecerat hostes,
Quod solum valuit virtus, iacuerè perempti
Debuerant quo stare loco, qui vulnera ferrent.
Iam deerant, nimbusque ferens tot tela peribat.
Tum piceos voluunt immissae lampadis ignes,
Tum quassae nutant turres, lapsumq. minantur
Roboris impacti crebros gemit agger adiectus.
Iam Pompeianae celsi super ardua valli
Exierant Aquilae: iam mundi iura patebant.
Quem non mille simul turmis, nec Caesare toto,
Auferrer fortuna locum, victoribus vnus
Eripuit, vetuitque capi, seque arma tenente:
Ac nondum strato Magnum vicisse negauit.
SCAEVA viro nomen, castrorum in plebe merebat
Ante feras Rhodani gentes: ibi sanguine multo
Promotus Latiam longo gerit ordine vitem,*

Pronus

*Pronus ad omne nefas, & qui nesciret, in armis
Quam magnum virtus crimen ciuilibus esset.
Hic vbi quaerentes socios, iam Marte relicto,
Tuta fugae cernit, quo vos pauor, inquit, abegit.
Impius, & cunctis ignotus Caesaris armis?
O famuli turpes, seruum pecus, absque cruore,
Terga datis morti? cumulo vos deesse virorum
Non pudet, & bustis interque cadauera quaeri?
Non ira saltem iuuenes, pietate remota,
Stabitis? è cunctis, per quos erumperet hostis,
Nos sumus electi; non paruo sanguine Magni
Ista dies ierit. peterem felicior umbras
Caesaris in vultu. testem hunc fortuna negauit,
Pompeio laudante cadam; confringite tela
Pectoris incursum, iugulisque retundite ferrum.
Iam longinqua petit puluis, sonitusq. ruinae,
Securasq. fragor concussit Caesaris aures.
Vicinus è socij, veniet, qui vendicet arces,
Dum morimur. mouit tantum vox illa furorem,
Quantum non primo succedunt classica cantu.
Mirantesq. virum, atque auidi spectare sequuntur
Scituri iuuenes, numero deprensa locoq.
An plusquam mortem virtus daret: ille ruenti
Aggere consistit, primumq. cadauera plenis
Turribus euoluit, subeuntesq. obruit hostes
Corporibus, totaeq. viro dant tela ruinae,
Roboraq., & moles hosti, seque ipse minatur.
Nunc sude, nunc duro contraria pectora conto
Detrudit muris, & valli summa tenentes:
Amputat ense manus, caput obterit, ossaq. saxo;
Ac male defensum fragili compage cerebrum
Dissipat, alterius flamma, crinesq. genasq.
Succendit: strident oculis ardentibus ignes.
Vt primum cumulo crescente cadauera murum
Admouere solo, non segnior extulit illum
Saltus, & in medias iecit super arma cateruas,
Quam per summa rapit celerem venabula Pardum.
Tunc densos inter cuneos compressus, & omni
Vallatus bello vincit, quem respicit, hostem.
Iamque hebes, & crasso non asper sanguine micro
Percussum SCAEVAE frangit, non vulnerat hostem:
Perdidit ensis opus, frangit si vulnere membra.
Illum tota premit, moles, illum omnia tela,
Nulla fuit, non certa manus, non lancea felix,
Parq. nouum fortuna videt concurrere bellum.*

Atque

Atque virum: fortis crebris sonat ictibus umbo,
 Et galeae fragmenta cauae compressa perurunt
 Tempora, nec quicquam nudis vitalibus obstat
 Iam praeter stantes in summis ossibus hastas.
 Quid nunc vesani iaculis, leuibusq. sagittis
 Perditis haesuros nunquam vitalibus ictus?
 Hunc aut tortilibus vibrata phalarica neruis
 Obruat, aut vasti muralia pondera saxi:
 Hunc aries ferro, balistaq. limine portae
 Summoueat, stat non fragilis pro Caesare murus.
 Pompeiumq. tenet, iam pectore, non tegit armis.
 Ac veritus credi Clypeo, lacuaq. vacasse,
 Aut culpa vixisse sua, tot vulnera belli
 Solus obit, densamq. ferens in pectore sylvam.
 Iam gradibus fessis in quem cadat, eligit hostem;
 Par pelagi monstris, Libycae sic bellua terrae,
 Sic Libycus densis elephas, oppressus ab armis,
 Omne re percussum squalenti misile tergo
 Frangit, & haerentes mota cute disciuit hastas.
 Viscera tuta latent penitus, citraq. cruorem
 Confixae stant tela ferae, tot facta sagittis,
 Tot iaculis, vnam non explent vulnera mortem.
 Dicta procul ecce manu Gortynis arundo
 Tenditur in SCAEVAM, quae voto certior omni
 In caput, atque oculi laeuum descendit in orbem.
 Ille moras ferri, neruorum, & vincula rumpit,
 Affixam wellens, oculo pendente, sagittam
 Intrepidus, telumq. suo cum lumine calcat.
 Pannonis haud aliter post ictum saeuior vrsa,
 Quum iaculum parua Libys amentauit habena,
 Se rotat in vulnus, telumq. irata receptum
 Impetit, & secum fugientem circuit hastam.
 Perdiderat vultum rabies, stetit imbre cruento
 Informis facies, laetus fragor aethera pulsat
 Victorum: maiora viris e sanguine paruo.
 Gaudia non faceret conspectum in Caesare vulnus.
 Ille tegens alta suppressum mente dolorem
 Mitis, & a vultu penitus virtute remota,
 Parcite, ait, Ciues, procul hinc auertite ferrum,
 Collatura meae nil sunt iam vulnera morti,
 Non eget ingestis, sed vulsis pectore telis:
 Tollite, & in Magni viuentem ponite castris,
 Hoc vestro praestare Duci, sit SCAEVA relictus
 Caesaris exemplum potius, quam mortis honestae.
 Credidit infelix, simulatis vocibus Aulum,

Nec vidit recto gladium mucrone tenentem:
 Membraq. captiui pariter laturus, & arma,
 Fulmineum medijs excepit faucibus ensem.
 Incaluit Virtus, atque vna caede reffectus
 Soluat, ait, poenas. SCAEVAM quicumq. subactum
 Sperauit: pacem gladio si quaerit ab isto
 Magnus adorato submittat Caesare signa.
 An similem vestri, segnemq. ad facta putastis?
 Pompeij vobis minor est, causaeq. Senatus,
 Quam mihi mortis amor. simul haec effatus, & altus
 Caesareas pulvis testatur adesse cohortes.
 Dedecus hic belli Magno, crimenq. remisit,
 Ne solum totae fugerent te SCAEVA cateruae,
 Subducta, qui Marte ruis: nam sanguine fuso
 Vires pugna dabat. labentem turba suorum
 Excipit, atque humeris defectum imponere gaudet.
 Ac velut inclusum perfosso in pectore numen,
 Et viuam magnae speciem virtutis adorant,
 Telaq. confixis certant euellere membris,
 Exornantq. Deos, ac nudum pectore Martem
 Armis SCAEVA tuis. felix hoc nomine famae,
 Si tibi durus Iber, aut si tibi terga dedisset
 Cantaber exiguis, aut longis Teutonius armis.
 Non tu bellorum spolijs ornare Tonantis
 Tempa potes: non tu laetis vlulare triumphis
 Infelix quanta dominum virtute parasti.
 Ex Plutarchi Vita C. Iulij Caesaris.

Qualis & CAESIUS SCAEVA, qui praelio ad Dirrachium oculum effossus sagitta, atque hu-
 merum iaculo foemur altero traiectus, clypeo centum ac triginta telorum ictibus exceptis, accibat ho-
 stes, quasi sese dediturus. duobus accedentibus, vnius humerum abscidit gladio, alterum in os pulsa-
 rum fugauit. ipse seruatus est domesticis eum circumplectentibus. Idem in Britannia miles, cum ho-
 stes inuasissent primos deductores ordinum syluoso, & aquis pleno loco impeditos Caesare ipso pugna
 spectante, iniiciens sese in medios, multis audax illustribus facinoribus editis, ductores ordinum
 Barbaris fugientibus seruauit. ipse laboriose post omnes digrediens proiecit sese in vndas luctuosas,
 ac vix sine clypeo partim natans, partim ingrediens euasit. admirantibus ijs, qui cum Caesare erant,
 & cum laetitia, & clamore obuiam aduentantibus, ipse pudibundus, ac tristis vultu demisso illa-
 chrymans accidit ad pedes Caesaris, dari sibi veniam petens, quod Clypeum proiecisset.

Ex Appiani libro secundo, de bellis ciuilibus.

Porro dum haec vtrinq. agitantur, atque in praesidio quodam Caesaris copiae superantur, Cen-
 turio, cui SCAEVA nomen erat, multa, & praeclara facinora faciens, oculum iaculo vulnera-
 tus, progressus significauit manu silentium, tanquam quippiam dicturus. quod cum esset consequutus,
 Pompeij Centurionem spectatae fortitudinis inclamabat, serua tui similem, serua amicum. mitte
 qui me manu ducant sauciatum. hic militibus duobus accurrentibus tanquam ad transfugam alte-
 rum occupans interfecit, alterius humerum concidit: atque id patrauit de sese, ac praesidio despe-
 rans. Tum socios pudor ex eo casu simul alacritas iniecit. quamobrem Castellum conseruatum mul-
 tum

tum Minucio quoque Praefecto laborante. At SCAEVAE scutum, aiunt, centum, & viginti iaculis confixum. Praeterea oculum erutum, reliquum corpus sex locis vulneratum. Itaque Caesar eum militarijs praemijs permultis honoravit.

Ex Ouidij lib. IV. Tristium.

Ponticus Heroo, BASSVS quo clarus Iambis
Dulcia conuictus membra fuere mei.

Ex Sex. Propertij lib. I. elegia IV.

Quid mihi tam multas laudando BASSU puellas,
Mutatum domina cogis abire mea? &c.

Ex A. Persij Flacci Satyra VI.

Admouit iam bruma foco te BASSU Sabino?
Iam ne byra, & tetrico viuunt tibi pectine chordae?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinae:
Mox iuuenes agitare iocos, & pollice honesto
Egregios luisse senes: mihi nunc ligus ora
Intepet, hybernatq. meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, & multa litus se valle receptat.

Ex M. Fabij Quintilianii Institutionum Oratoriarum lib. X. cap. I.

At Lyricorum idem Horatius fere solus legi dignus: nam & insurgit aliquando, & plenus est iucunditatis, & gratiae, & varijs figuris, & verbis felicissime audax. si quem adycere velis, is erit CAESIUS BASSVS, quem nuper vidimus: sed eum longe praecedunt ingenia diuentium.

Ex vita Persij, à Cornuto, siue Probo Grammat. concinnata.

Hunc ipsum librum Persius imperfectum reliquit. versus aliqui dempti sunt de ultimo libro, & quasi finitus esset, leuiter contraxit. & CAESIO BASSO petenti, ut ipse ederet, tradidit edendum.

Ex commentarijs Cornuti, siue Probi Grammatici.

Hanc Satyram scribit Persius ad CAESIUM BASSUM, poetam Lyricum: quae fama est in praedijis suis positum ardente Vesuuio monte Campaniae, & late ignibus abundante cum villa suaustum esse. Hic ergo cum viueret, de Roma ad Sabinos necessario transibat: ubi aeger hyemali tempore in callido loco carmina scribebat: hunc ergo Persius interrogat, an iam propter ignem se calefaceret; daretq. operam carminibus, quae scriberet; laudans grauitatem librorum, & tenorem versusum.

Ex Prisciani lib. X. cap. de praeter. perf. tertiae coniugat.

BASSVS in secundo Lyricorum.

Calliope princeps sapienti psallerat ore.

Ex Diomede de arte Gramm. lib. III. cap. XXI.

Molossicum metrum mihi durissimum videtur. huius exemplum dat CAESIUS BASSVS, tales Romani victores Gallis deuictis.

Longae sunt omnes, qui Molossus constat ex tribus syllabis longis. hunc sane versum simillimum puto, illi hexametro, qui spondaicus dicitur, nam & hic similiter viginti syllabas longas habet.

Ex Fulgentij lib. de vocibus antiquis.

Veruina iaculi genus longum, quod aliqui verutum nominant. C. BASSVS Satyra.

Veruina confodiente non te nauici facio.

Ex

Ex Terentiani Mauri lib. de Metris.

Sed iam pedum cum regulam distinguerem
Longam resolui per duas dixi breues,
Ipsumque posse quinque totas Creticum
Breues habere, quando longas solueris.
Est ergo, & ille versus integer meus,
Quo quinque feci Syllabarum Creticum.
Is erit Anapaestus quinque post spondeus est
Exempla ponam, quae locasse CAESIUM.
Libro notavi, quem dedit metris super.
Beatus ille, qui procul negotijs
Est Creticus par Socrates, & versus hic
Socrates, Beatus ille, qui procul negotijs;
Hinc saluo primam, tale sit nec pes labat,
Diogenes, Beatus ille qui procul negotijs;
Cum tertiam, ne tum quidem quidquam perit.
Demophile, Beatus ille qui procul negotijs;
Vtraq. quando soluerit, nihil laeditur.
Quod agis, Age, Beatus ille qui procul negotijs:
Auctore tanto credo me tutum fore.

Ex Ruffini commentario de Metris.

Firmianus ad Probum de Metris comoediarum sic dixit:

Nam quod de Metris comoediarum requisisti, & ego scio plurimos aestimare Terentianas maxime fabulas metrum non habere comoediae Graecae, id est Menandri, Philemonis, Diphili, qui trimetris versibus constant. Nostrum enim veteris comoediae scriptores in modulandis fabulis sequi maluerunt Eupolim, Cratinum, Aristophanem, ut praefatum est. Mensuram esse in fabulis, hoc est metrum, Terentij, & Plauti, ac ceterorum dicunt hi, Cicero, Scaurus, Firmianus, Varro, Victorinus, CAESIUS BASSVS, Terentianus, Caecilius, Sisenna, Diomedes, Albinus, Quintilianus, Sospater Carisius, Helenus, Asper, Flavianus, Caper, Aruntius, Probus, Plinius, Euanthius Sacerdos, qui & docuit Donatus, Iuba.

CAESIUS BASSVS ad Neronem, de Iambico, sic dicit: Iambicus autem cum pedes etiam daedilici generis assumat, desinit Iambicus videri; nisi percussione ita eum moderaueris, ut quum pedem supplodis Iambicum serias, ideoque illa loca percussione, non recipiunt, alium quam Iambum, & ei parem Tribachum, aut si alterius exhibuerunt metri speciem, quod dico exemplo faciam illustrius in Eunuchio in praesenti statim, in prima pagina, hic versus trimetrus.

Exclusit, reuocat; redeam: non, si me obsecret.

Ponam dubium secundo loco pedem, propius accedam

Heros Atrides caelitem testor fidem.

Ex Arnobij Afri. lib. II. aduersus gentes.

Nigidius Penates Deos, Neptunum esse atque Apollinem prodidit, qui quondam muris urbem Ilium, condicione adiuncta cinxerunt. Idem rursus in libro sexto exponit, & decimo disciplinas Ethruscas sequens: genera esse Penatium quatuor, & esse Iouis ex his alios, alios Neptuni, inferorum tertios mortalium hominum quarto, inesplicabile nescio quid dicens CAESIUS, & ipse assequens Fortunam arbitratur, & Cererem, Genium Iouialem, ac Palem, sed non illam femina, quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis ministrum Iouis, ac villicum. Varro, qui

CC 2 sunt

sunt introrsus, atque in intimis penetralibus caeli Deos esse censet, quos loquimur, nec eorum numerum, nec nomina sciri.

Ex Macrobij Saturnalium lib. I. Cap. IX.

C. BASSVS in eo libro, quem de Dijs composuit, Ianum bifrontem fingi ait, quasi vniuersa climata maiestate complexum.

Ex Lactantij Firmiani de falsa Religione lib. I. Cap. XXI.

Faunus sororem suam Fatuam, eandemq. coniugem consecrauit, quam C. BASSVS Fatuam nominatam tradit, quod mulieribus fata canere consueuisset, ut Faunus viris.

Ex Auli Gellij lib. V. Cap. VII.

Lepide mehercules, & scite C. BASSVS in libris, quos de Origine vocabulorum composuit: unde appellata persona sit, interpretatur: a personando enim id vocabulum factum esse coniectat. Nam caput, inquit, ut os cooperimento personae tectum, vndiq. vnaque tantum vocis emittendae via peruium quod non vaga, neque diffusa est, in vnum tantummodo exitum collectam, coactamq. vocem, & magis claros, canorosq. sonitus facit. Quoniam igitur indumentum illud oris clarescere, & resonare vocem facit: ob eam causam persona dicta est, o littera propter vocabuli formam productiore.

Ex Auli Gellij lib. XI. Cap. XVII.

Dixit ibi quispiam nobiscum sedens amicus meus, se in C. BASSI de Origine vocabulorum septimo legisse: Retas vocari arbores, quae aut ex ripis fluuiorum eminent: aut in alueis eorum exstarent: appellatasq. esse a retibus: quod praeteruntes naues impedirent, & quasi irretirent.

Ex Auli Gellij lib. III. Cap. XIX.

Legebatur C. BASSI eruditi viri liber de origine verborum, & vocabulorum, in quo ita scriptum fuit; Parcus composito vocabulo est, quasi par arcae: quando sicut in arca omnia reconduntur, eiusq. custodia seruantur, & continentur: ita homo tenax, paruoq. contentus, omnia custodita, & recondita habet; sicuti arca, quam ob causam parcus, quasi par arcae nominatus est. Tum Phauorinus, ubi haec audiuit, superstitiose, inquit, & nimis moleste, atque odiose confabricatus, commolitusq. magis est originem vocabuli, C. isse Bassus, quam enarrauit.

Ex Auli Gellij lib. II. Cap. IV.

Cum de constituendo accusatore quaeritur, iudiciumq. super eo redditur: cui na potissimum ex duobus, pluribusue accusatio, subscriptione in reum permittatur: ea res, atque iudicium cognitio, diuinatio appellatur. id vocabulum, quam ob causam ita factum sit, quaeri solet. C. BASSVS in tertio libro, quos de origine vocabulorum composuit. Diuinatio, inquit, iudicium appellatur, quoniam diuinare quodammodo iudicem oporteat, quam sententiam sese ferre par sit. Nimis quidem est in verbis C. BASSI ratio imperfecta, vel magis inops, & ieiuna: sed videtur eum significare velle, idcirco dici diuinationem, quod in alijs quidem causis iudex ea, quae dicit, quaeq. argumentis, vel testibus demonstrata sint, sequi solet. In hac autem re, cum eligendus accusator est: parua admodum, & exilia sunt, quibus moueri iudex possit: & propterea qui nam magis ad accusandum idoneus sit, quasi diuinandum est. Haec BASSVS.

Ex Auli Gellij lib. III. Cap. IX.

C. BASSVS in commentarijs suis. Item Iulius Modestus in II. quaestionum confusarum historiam, de Equo Seiano tradunt dignam memoria, atque admiratione. Hunc Equum C. BASSVS vidisse Argis refert, haud credibili pulchritudine, vigoreq. & colore exuberantissimo.

Ex Geographia Volaterrani in Gallia Togata.

Tarus. Fluuius: ultra Parmam Plinio nomen adhuc retinet, ex Appennino in Padum fluens. Deinde de Fidentia à dextera vetus oppidum, ab laeua, nouo nomine, Oppidum Bobium ad Apennini iugis situm, ubi nobile coenobium à Theodolinda, Regina Longobardorum, extructum. Hic anno

M.CCCCXCIII.

M.CCCCXCIII. huiusmodi libri reperti sunt. Rutilius Numatianus heroicum Sulpitij carmen, LXX. Epigrammata, Terentianus Maurus de litteris, syllabis, & metris omnis generis: CAESIUS BASSVS, Uellius Longus de orthographia: Adamantius, Martyrius de b, littera, & muta, u, vocali: Probi Catholica Cornelij Frontonis elegantiae Latinae: Sergius Grammaticus de littera: liber persimilis Iulio Polluci de vocabulis rerum: sed hoc amplius Latina Graecis vocabulis respondent. CASVS Sacerdos de octo partibus orationis: Paraphrasis super Sex Virgilijs libris trium Eclogarum Virgilij enarrationes: Dracontij varium opus: Prudentij hymni: Computus, sic est inscriptus Graecorum, & Latinorum alter liber Computus digitorum inscribitur: Agenius Urbicus de controuersijs agrorum: Higinus de limitibus agrorum, & metatione castrorum: Balbus de nominibus mensurarum: Vitruuius de Hexagonis, & id genus: Frontinius de qualitate agrorum: Caesarum leges Agrariae, & coloniarum iura, quorum bona pars, his annis proximis à meo municipe, Thoma Phaedro, bonarum artium professore, est aduecta in Urbem.

Ex Anthropologia eiusdem, lib. XIV.

Bassos claros viros existisse nonnullos legimus. CAESIUS BASSVS inter Lyricos à Quintiliano ponitur. Probus Caesium, inquit, Bassum poetam Lyricum, fama est in praedijs suis ardente Vesueo, & late vagantibus ignibus, cum villa sua flagrasse. Quintilianus quoque se eum vidisse, ait.

Ex Vita Auli Persij Flacci per Petrum Crinitum.

Amicos praeterea Persius maxime dilexit Anneum Lucanum, CAESIUM BASSVM, qui in Lyricis carminibus claruit, & Macrinum, quod aperte colligitur, cum ipsius Persij versibus, tum veterum commentarijs.

Ex vita Auli Sereni per eundem.

Aulus Serenus inter poetas Lyricos relatus est ab antiquis Grammaticis, in quo genere, apud Latinos praecipue claruerunt Horatius Flaccus, CAESIUS BASSVS, & alij plures.

Ex Petri Criniti de poetis latinis lib. III.

CAESIUS BASSVS inter poetas Lyricos relatus est: floruit aetate Claudij principis, & usque ad Flauiorum imperium peruenit, quod ipsum Fabius Quintilianus testatur, qui refert illum à se visum, quo tempore libros suos de oratoria institutione componeret. Fuit hoc obseruandum ea ratione, ut facilius deuitemus illorum errorem, qui parum prudenter de Caesio Basso differunt. Idem libris aliquot scripsit vario, & multiplici carmine, ut Flaccus apud nos; & Pindarus apud Graecos: veteres auctores cum de Poetis Lyricis agunt, Horatium Flaccum, & Caesium Bassum, praecipue enumerant, qui legi mereantur. Diomedes quoque grammaticus Molossicos numeros refert (qui diuersissimi habentur) à Caesio Basso compositos: Amicos habuit P. Ouidium, & Persium Satyrarum scriptorem; qui ad hunc Bassum scribens, ita illum alloquitur.

Admouit iam bruma foco te Basse Sabino?

Iam ne Lyra, & tetrico viuunt tibi pectine chordae?

Mire opifex numeris veterum primordia vocum,

Atque marem strepitum fidis intendisse Latinae.

Mox iuuenes agitare iocos, & pollice honesto;

Egregios lussisse senes.

Neque desunt, qui scribant, eundem CAESIUM cum villa sua conflagrasse, ardente Vesueo monte, ignibus late aestuantibus. Celebres fuerunt isdem ferme temporibus. Ausidius Bassus; historiae auctor: & Saleius Bassus poeta Epicus. De utroque dicemus suis locis.

Ex Iani Parrhasij Epistola dedicatoria, ante Diomedem, editum Mediolani M. D. IV. Cum CAESII BASSI de metris Horatianis opusculo, vetustatis iniuria mutilato, quod accidere

CC 3

neesse

necesse fuit, & eorum, quos dixi, plerisq. quorum vix è media Bibliothecarum strage, quam Geticus deleuit furor, unicum quod exstabat, exemplar erutum sit, auxilio patris amplissimi, Stephani Poncherij Lutetiae, Parisiorum Pontificis, meique patroni.

Ex Nicolai Perotti arte metrica.

Apud Latinos uero tres praecipue memorantur Lyrici, Horatius, CAESIVS BASSVS, & Valerius Martialis. Inter hos palmam obtinet Horatius: solus fere, ut idem Quintilianus inquit, legi dignus, nam & insurgit aliquando, & plenus est iucunditatis, & gratiae, & varijs figuris felicissime audax: secundus Valerius Martialis, quem intellexisse Quintilianum arbitror, cum ait, si quæ adijcere Horatio velis, erit CAESIVS BASSVS, quem nuper vidimus. sed eum longe praecedunt ingenia uiuentium. Martialem quippe Quintiliani aetate fuisse manifestum est; at CAESII BASSI vix hac tempestate superest nomen.

Ex Io. Mariae Catanei commentarijs in Epistolas Plinianas.

Crediderim tamen magis fuisse CAESIVM SABINVM, quem Secundus ad praesidium, & ornamentum sui sumpserat, Auli Pudens municipem, totius Umbriae decus: ad eum librum VII. Martialis mittit: & nono, post laudem lacus eiusdem, & rosaceam coronam, quamuis Pomponio memorante Casio Iurisperito, successit Caesius Sabinus, qui plurimum Vespasiani temporibus potuit, ad quem rescripsisse Hadrianum retulit Vlpianus.

Ex Io. Culpiniani commentarijs in Casiodorum.

Sed crebra est mentio SILVANI CAESII, & Pomponij Siluani in Epistolis Plinij.

Ex eodem.

Fuit Caesius Sabinus, quem Plinius Iunior ad praesidium, & ornamentum sui sumpserat, Auli Pudens Municipem, totius Umbriae decus. ad eum librum septimum Martialis mittit, & coronam rosaceam libro nono.

Seu tu Paestanis genita es, seu Tiburis aruis

Memorante Pomponio Casio Iurisperito, successit CAESIVS SABINVS, qui plurimum potuit Vespasiani temporibus, ad quem rescripsisse Hadrianum retulit Vlpianus.

Ex Ammiani Marcellini hist. lib. XIX.

Interea Sapor, et Persae, quia tendere iam introrsus Autumno praecipiti, Hoedorumq. sidere exorto, prohibebantur, captiuos agentes, & praedas remeare cogitabant ad sua. Inter haec tamen funera, direptionesq. Ciuitatis excisae Aeliano Comite, & Tribunis, quorum efficacia diu defensa sunt moenia, stragesq. multiplicatae Persarum, patibulis scelestis suffixi Iacobus, & CAESIVS Numerarij Apparitionis, Magistri Equitum, alijq. Protectores post terga victis manibus ducebantur. Transstigitanis, qui sollicita quaerebantur industria, nullo infimi, summiq. discrimine ad unum omnibus contruncatis.

Ex Bernardini Corij M. F. Annalium Mediolanensium parte prima.

Ab Hadriano Pontifice Maximo Rex Desiderius impetrauit, ut qui nudum gladium ante Pontificem gestarent, ij natione Longobardi essent: quemadmodum Priuilegia testantur, quibus subscripsit CAESIVS FONTANVS Romanus, Apostolicus Cancellarius: scribendo adsuit Vrsinus Angelus anno post Christum. DCCLXXXVI. Actum Romae VI. Id. Maij. Idem est ab Rege Francorum, Carolo imperatum, subscripsit Caroli scriba Nequinus Pontilius: scribendo adsuit Iacobus Cacus Mediolanensis.

Ex Gyraldo de Poetis.

Sunt qui commentaria Latina in Aratum in Latinum conuersum à Germanico Caesare, multa eruditione referta, sed mendosa, Caesio Basso adscribant.

C. CAESII



C. CAESII BASSI COMMENTARIIVS
IN GERMANICI CAESARIS
PHAENOMENA ARATAEA
RECOGNITVS.



AELVM circulis quinque distinguitur, quorum duo extremi maxime frigidis, Australis humillimus, & Aquilonus excelsissimus. His utrinque proximi duo paralleli vocantur, ut ita dixerim, aequè distantes, ideo tropicus vnus solstitialis, alter hybernus, per quem Sol transiens, ac tenens octauam partem Capricorni, solstitium hybernum facit, alter aestiuus, per quem Sol transiens, ac tenens octauam partem Cancri, solstitium aestiuum facit. Medius est aequinoctialis, qui octauam partem Arietis tenens aequinoctium vernum facit: octaua Librae, Autumnale constituit. Vt circuli in caelo, ita Zonae in terra vocantur. Inhabitabiles frigidis circuli sunt ob rigorem, quod ab his longissime Sol abest. Sub torrido quidam habitari putant Aethiopiae maximam partem: Item plurimas insulas maris Rubri, aliosq. Vertices, eminentiasq. terrarum, nostris ampliores sub tropicis habitari, nulli dubium est. Noster solstitialis aestiuus est excelsus, atque arduus. diuisi autem sunt à nobis circulo Aequinoctiali, qui antichtones nominantur, & videntur humiles, atque depressi, qui Antipodes infra sunt: quod ut esse videatur, efficiunt flexus, obliquitatesq. terrarum, quas Antichtones, & Antistochae, & Antisceptrae inhabitare dicuntur. Incipit autem Signifer non ab extremo circulo, nec ad extremum extenditur, sed ab intimo tropico Australi, brumaliq. eodem per Aequinoctialem ad summum solstitiale, eundemq. Aestiualem per medium longitudinis latitudinisq. porrectus. obliquae circuli Signiferi partes CCC.LXV. signa XII. partium singula tricenarum. Quarum quaedam minora, quaedam ampliora à populo Camophora dicuntur, sed compensatio quinq. partibus creditur applicari, ut sint omnes signiferi partes CCC.LXV. Horum incipientia ab Ariete, alia sunt masculorum naturalibus, alia feminarum. Item quartum quoq. eorum aut Tropicum, aut Solidum, aut Deforme. incipiet dinumeratio ab Ariete: signa tropicorum duo sunt Aequinoctialia, Aries, & Libra: duo Solstitialia, Capricornus, & Cancer: Tropici maxima solida anteposita his deformia. Hic est stellarum ordo, utrorumq. circulorum, Septentriones duplices ad Austrum uertuntur figura auersis caudis inuicem sibi aduersantes, inter quas obliquus dilabitur Draco. Sub vnus nanque est Serpentarius, cuius Serpentarij pedes attingunt frontem Scorpionis: à latere autem retro stat custos, sub pedibus quidem eius Virgo habet igneam in manibus spicam. Retrorsus vero vestigijs eius adiacens Leo: medio aestiuo solstitio Cancer, & Gemini. Genua autem agitatoris caput Gemini attingunt, pedes autem eius Tauri cornibus iunguntur: cuius Haeduli desuper obtinent locum Septentrionis. Habet autem Septentrio à dextris iuxta Coronam desuper Serpentem in manibus Serpentarij, & eum, qui in geniculo stat, & sinistro pede Septentrionalis Draconis verticem, calcans unum brachium Librae, alterum dans Coronae. Nam ad minoris Septentrionis

trionis vltimus pes Cephei continetur, Cygnum manu dextra apprehendens: super cuius alas Equus extendit pedem, & super Equum Aquarius extollitur, iuxta quem Capricornus est: sub Aquarii pedibus Piscis magnus Austrinus: ante Cepheum Cassiopeia, & à dorso Agitatoris Perseus pedem extendit, super Persei caput Cassiopeia pedibus properare videtur. Inter Cygnum igitur, & eum, qui in geniculo stat, Lyra constituitur, in quorum medio desuper ab Oriente Delphinus cognoscitur, sub cuius cauda est Aquila, in proximo habens Serpentarium. Sed iam de Aquilonio circulo dictum est, nunc ad Australem ordinem properemus.

Sub aculeo Scorpionis Sacrarium constitutum est, sub corpore eius anteriora Centauri videntur, in quo & bestia conspicitur, et Sagittarij pes summus. ex alia parte sub Australi circulo, prope Centauri membra Hydrae cauda, & Coruus ad genua Virginis: Vrna est posita à sinistris Orionis, qui & Incola, fluuius, et qui Padus, nec nō & Eridanus sub pedibus Orionis, qui & Incola dicitur: Lepus splendida effigie conspicitur, retrorsum vero à pedibus eius Canis splendida refulget, post cuius caudam Nauis constituta est, ad Tauri pedem protendit manum, Orion pedibus Gemini appropinquat: Anticanis super caput Arietis, non longe ab Andromedae pedibus, Triangulus positus est, sub Ariete, & Piscibus Cetus: connexio vero Piscium communem habet Stellam.

Quaeritur, cur à Ioue incoepit, et non à Musis? Ut Homero conueniens magis hoc existimauit principium Phaenomenis, ut Iouem inuocaret, quod ipsorum carminum origo est Iuppiter: non solus autem ita coepisse videtur Aratus, sed Crates comicus à Vesta incipiens, & profari carmina, Sophron in Mimo, qui Nuncius inscribitur, à Vesta incipiens: omnes inuocāt Iouem, omnium principem. Sed quaeritur, cuius Iouis meminerit, utrum ne fabulosi, an naturalis? Et philosophi quidem plurimi naturalis aiunt eum Iouis meminisse. Sed Crates ait, Iouem dictum Caelum. Inuocatum vero merito, quia in aere, & aethere sunt sidera, & Homerum dixisse, Iouem in aliqua parte Caelum, & ipse Aratus, cum dicit Herodotus, Iouem dictum aera, & Crates quidem eiusdem est opinionis, testemque esse Philonem comicum, dicit. Hoc autem constat & ipsum dicere. Nam quia nihil aliud est vox, quam percussus aer, videtur conuenienter dixisse, quae rei praestat auctoritatem, plenas Ioue vias referens, & omnis hominum conuentus, nihil eorum quae in terra sunt; sine aere est, ratione etiam cuius omnes usum desideramus. Nam cuncti mortales ostendunt usum suspirio, & cum viuimus aere indigemus. At quod ait, dextra monstrat, ad auguria pertinet auium, propter quod & Stoici Iouem esse affirmant, qui per materiam manat spiritus, & similis est nostrae animae. Zenodotus autem Aetolus, & Diodorus aiunt, nec ad fabulosi Iouis suffecire eiusdem opinionem, esse enim talem causam Iouis, & conuenire omnes vias confertas, quas tanquam loco eius describit. Dicendo autem etiam genus, ostendit animae immortalitatem. Bene; propterea quod ait, nouerat enim virtuti aliquid aemulum futurum Deo. igitur aduersus delicata Iouem esse est, quoniam omnium parens affirmatur, & non solum hominum, sed etiam Deorum.

Vertices extremos, circa quos Sphaera Caeli voluitur, Polos Graeci nuncupauerūt, e quibus vnus est Australis, qui terrae obiectus à nobis nunquam videtur. Alter autem Septentrionalis, qui Boreus vocatur, & nunquam occidit. Duo sunt Arcturi, quorum maiorem vocant Helicen, minorem Canis caudam. Alterutra quidem horum capita deorsum, alterutra sursum aspiciunt. Altera nanque Helice est, quae apparet prima noctis, altera pusilla quidem, sed à nauigantibus obseruatur. Maria enim conturbat. Helicen aut dicit Hesiodus, Calisto Lycaonis regis filiam fuisse, & in Arcadia solitam cum Diana venari, & in montibus vagari, & à Ioue compressam rem celasse Dianae. Quam grauidam nudam se lauantem cum aspexisset, Diana in lauacro, partum eius accelerans bestiam eam esse iussit, & dum esset Vrsa, Arctum enixa est, quem Arcadem vocant. Amphisc autem comicus poeta refert, Iouem in Dianae effigiem transfiguratum in venatione Calisto oppressisse, tempore partus plena cum vexaretur, Dianae culpam indicasse, & iratam Dianam in Vrsam transfigurasse. Quae

dum in

dum in montibus vagaretur, à quibusdam pastoribus apprehensa, cum puero perducta est ad Lycaonem. post tempus Lycaei Iouis templo cōfugiens, cum eam Arcas filius sequeretur, quo eam nefas erat intrare, ab Arcadibus utriusque interfecti sunt. Iuppiter autem utrosque Caeli astris intulit, Vrsamque eam nominauit. Ouidius à Iunone in bestiam conuersam scribit. Habet autem stellas in capite septem, in singulis humeris singulas obscuras, in armo duas, in pectore vnā, in pede priori claras duas, in summa cauda clarā vnā, in ventre clarā vnā, in spina vnā, in crure posteriore duas, in extremo pede duas, super caudam tres, sunt omnes xxiiii. Porro Arcturus minor à pluribus Phoenice, à Graecis Arctophylax, à nonnullis Canis cauda vocatur. Quam Sidones aspicientes continuo nauigant. Dicitur à Ioue inter astra collocatus, ut duplex honor Helicis monstraretur. Agathophenes quidem in Asiaticis carminibus Cynosurā dicit Iouis fuisse nutricem, vnā ex Idaeis Nymphis, à qua in Cretae Oppido Hystoe Nicoftratus constituit portus, et circa eum locum Cynosuram fuisse, cum Thelchinis, qui dicuntur Curetes Idae: Aratus Cynosuram, & Helicen, Cretenses, Iouis nutrices fuisse dicit, ob quod sunt caelestii donatae honore. Habet autem stellas in humero splendidā vnā, in pectore clarā vnā, in ventre clarā vnā, super caudam claras tres: sunt omnes septem: supra alias decem, quae praecedunt, & dicuntur Ludentes; & maxime altera quae vocatur Polus, in quo à quibusdam putatur totus Orbis circumuerti. inter ambas ergo Arctos maximus flexuoso corpore adiacens Draco, qui utranque Arcton flexuoso corpore semicingit. Helicis superuoluit caput. Phoenices circumcingit caudam. Hanc Phereides dicit, inter astra collocatam, beneficio Iunonis, eo quod cum nubere Ioui Iuno, Dijs offerentibus munera, Terra quoque obtulerit aurea mala cum ramis, quae Iuno in hortum suum, qui erat apud Atlantem, inferri iussit; & Hesperides Atlantis filias custodes posuit, quae cum à filiabus Atlantis subtraherentur, & saepe vexarentur, Iuno custodem horti Draconem peruigilem implicuit arbori, quem Hercules interfecit, & illa astris intulit. Hunc alij Iouem astris intulisse dicunt, ob memoriam virtutis Herculis, Mineruae obiectu, quem illa contortum Caelo immisit, & inter Septentriones locauit. Habet autem stellas in capite splendidas tres, in corpore vero vsque ad caudam duodecim, ab inuicem distantes. Sunt autem omnes xv.

Draconem immensae magnitudinis, hortorum custodem, in somnem, dum à Iunone ad custodiendam aurea mala esset constitutus, Hercules cum ad mala aurea profectus fuisset, ut refert Pannasis Heracleas, fertur peremisse; & iccirco inter astra à Ioue hunc laborem, memoria dignum honorasse, & utrosque sideribus intulisse, ita ut in certamine fuerint eorum habitus: Serpentis capite iam defesto, qui ideo in genu stans manibus sursum extensis dextro pede contra Draconem porrecto pingitur, ut certaminis labor significetur. Ideo pellem Leonis in sinistra manu habere fingitur, ut in signo virtutis monstraretur, quia Leonem inermis interfecisse narratur. Habet autem stellas in capite vnā, in singulis humeris singulas splendidas; in sinistro cubito vnā, in eadem manu vnā, in eodem brachio vnā, in sinistro foemore vnā, in dextra parte foemoris duas, in coxa duas, in genu dextro vnā, in eadem tibia vnā, in crure duas, in eodem pede vnā, in dextra manu vnā, in claua, quam eadem tenet manu, vnā, in Leonina pelle quatuor. Sunt omnes xxiiii.

Haec Corona dicitur esse Ariadnes, quam Liber astris intulisse dicitur, dum eius nuptias Dii in insula Creta celebrarent, cogitans praeclaram facere, pro qua primum noua nupta coronata est. Sed qui Creticam conscripsit, refert, quia cum Liber ad Minoem Regem venisset, ut Ariadnem filiam eius duceret uxorem, Coronam dono Ariadnae dedisse, Vulcani opere factam ex auro, & gemmis pretiosis: & talis fulgoris fuit, ut Thesea ex Labyrintho liberaret, quae post astris affixa est, cum in Naxos utriusque venissent. signum amoris eius crimes ostendunt, & est stellis fulgentibus; sub cauda Leonis. Habet autem stellas nouem in circuitu positas, quarum tres sunt splendidae ad caput Serpentis Arcturi.

DD

Hic est

Hic est Serpentarius, qui super Scorpionem stat, tenens utraque manu Serpentem, qui ab Astrologis dicitur fuisse Aesculapius, filius Apollinis: qui medicina arte uteretur, mortuos fertur suscitasse. Quamobrem iratus in eum Iouis, domum eius cum ipso fulminis ictu percussit. Rogatu autem Apollinis patris, Iuppiter ei arte sua rursus post obitum defuncto animam restituisse ad vitam, & inter astra constituisse putatur. Habet autem stellas in capite claram unam, in singulis humeris claras singulas, in sinistra manu tres, in dextra quatuor, & duas ex eis claras, in singulis lumbis singulas, in singulis genibus singulas, in dextra tibia claram unam, in singulis pedibus singulas claras. Sunt omnes XXVII.

Serpens, quem tenet in manibus, habet stellas imorificio duas, inflexura capitis spissas quatuor, in manu Ophiuchi duas claras, in prima flexura octo, in secunda, qua tenet in dextra manu alias octo, in tertia usque ad caudam sex, fiunt omnes stellae Serpentis XXX.

Scorpius sane inter astra à Ioue illatus est, pro eo quod ferunt ex terra ortum, summissumque. qui Oriona interficeret ob eius loquacitatem, quod ex uenatione nullam se feram relinquere diceret, isque Oriona percussit, & occidit, et inde à Ioue astris illatus est, ut eius naturam futuri homines intelligerent. Nigidius autem dicit, Scorpionem ad perniciem Orionis, in insula Chio, in monte Chelippio ortum voluntate, atque ope Dianae. Nam cum in monte Celsionio venaretur, irridens Dianam, contemnebat eius opera, quae in monte constituebat. Itaque Diana dicitur misisse Scorpionem, qui Orionem vita priuaret: postea ab Ioue impetrasse, ut Scorpio in duodecim signorum memoria constitueretur. hic ob magnitudinem in duo domicilia partitur: etenim ad aliud tendunt brachia eius, ad aliud corpus, et cauda, & aculeus. Habet autem stellas in unoquoque cornu duas, in nare unam claram, in fronte duas, in dorso claras tres, in ventre duas, in cauda quinq. in aculeo duas. Sunt omnes XIX. Ex his quatuor, quae sunt in cornibus eius, duae priores clarae, et duae obscurae Librae assignantur, quam Chelae Graeci dicunt. Bootes qui & Arcturus fertur esse custos Plaustris, eo quod Plaustrum sequitur, id est Septentriones, & quasi succinctus sit Septentrionibus. Hunc dicunt Arcadem Iouis filium esse, de cuius post nomine Arcadia dicta est, quem Lycaon Pelasgi filius cum Iouem hospitio receperet, infantem membratim lacerauit, & Ioui in epulis apposuit, tentans Iouem, utrum Deus esset. Iouis autem dicitur domum Lycaonis fulmine incendiisse, eoque loco ciuitatem constructam, quae Trapezus appellata est: Lycaonem vero conuertisse in Lupum; Arcadem autem compactis membris ad vitam reduxisse, & cuidam caprario dedisse nutriendum. Qui cum adulta iam aetate esset, matri in scius vim inferre voluit, quos, cum incolae Lycaei montis eum occidere vellet, Iuppiter utrosque liberans astris intulit, qui, ut res gesta est, ita manent: illa Ursae naturae, hic impetum faciens, quem Bootem Homerus vocat. habet autem stellas in dextra manu quatuor, quae non occidunt, in capite claram unam, in singulis humeris singulas, in singulis mammillis claras singulas, in dextera parte corporis sub mammilla obscuram unam, in dextro cubito claram unam, inter utraque genua claram unam, & magnam, quae est Arcturus, in singulis pedibus singulas. fiunt omnes XIII.

Ad aspectum autem Bootis virgo constituta est, quae Erigone dicta est, quae inter Leonem, & Libram in Zodiaco locum tenet. Hanc Hesiodus Iouis, & Themidis filiam esse dicit, nomine Iustam. Hunc secutus Aratus dicit, quod cum esset immortalis, in terris morabatur, à virorum aspectu se subtrahere solita, cum feminis consulto ludere, & conuersari videbatur, & ab eis Iusta vocatur. nondum inter homines nequitiam, neque navigationem fuisse: sed illam in terris moratam aequitatem hominibus praestitisse, eo saeculo quod Aureum dicebatur. Sed postquam diminuti homines, ab aequitate quieuerunt, illa cum eis minime conuersata est, postquam vero hominum mores in deterius versi sunt, in toto se à terris abstulit. Et in ea parte Caeli habitauit, qua enumeretur. Nonnulli autem eam esse Cererem, eo quod spicas teneat, alij Atargatim: quidam vero Fortunam, pro eo quod sine capite astris infertur. Nigidius de Virgine Iustitiam dicit, siue Aequitatem, quae ab hominibus

minibus recesserit, & ad immortales merito transferit. Nam cum inter mortales conueniret, omnibus locis, conciliabilisq. solitam consistere, & praecipere hominibus, ne temere à iustitia, & aequitate discederent, qui quamdiu monitis eius obedirent, diu in vita sine cura, & solitudine futuros, sed cum negligentius aequitate obseruantes declinarent: insidijq. cupiditate, & auaritia alter alterum deciperet, ab hominibus discessisse, & digna caelesti numero immortale praemium pietatis possedit. Habet autem stellas in capite obscuram nimis unam, in singulis humeris singulas, in unaquaque ala obscuras duas, ex eis, quae sunt in dextera ala à parte humeri est clara una, & in singulis cubitis singulas, in singulis manibus singulas, illa quae sinistra clarior est, & vocatur Spica, in tunica obscuras sex, in singulis pedibus singulas. Sunt omnes XIX.

Hi dicuntur Castor, & Pollux fratres Gemini, maxima concordia, è quibus cum vnus cecidisset in pugna, quam aduersus Athenienses gerebant, alter immortalitatem accepit, quos Iupiter utroque Caelo intulit, sideribusq. Geminos nominauit, qui salutare sunt appellati. Nam & horum stellae ita se habent, ut occidente vna, oriatur altera. Alij volunt Zetum, et Amphionem esse, ideo vnus Zonam, alter Lynam habent. Nigidius Deos Samothracas dicit, quorum argumentum nefas sit enumerare, propter eos, qui ministerijs praesunt. Item dicit Castorem, & Pollucem, Tyndaridas Geminorum honore decoratos, quod Principes pacationis dicantur, quod mare totum praedonibus maleficisq. pacatum reddidissent, & quo in tempore nauigauerint cum Iasone, atque Hercule ad pellem inauratam auferendam, multis laboribus, tempestatibusq. conflicti, periculorum, atque animorum experti impendia, laboribus liberare studuerunt. atque, cum à Ioue essent elati, petierunt à patre, ut sibi liceret in eo Caeli loco constitui, ut mortalibus auxiliantes prospicere possent. Quamobrem eis concessum est immortalis memoria, locoq. constitui; & plerisq. mortalibus auxiliantes sui conspectus gratiam praebent. Quorum prior habet stellas in capite claram unam, in singulis humeris singulas claras, in dextro cubito unam, in eadem manu unam, in singulis genibus singulas, in singulis pedibus singulas. Sunt omnes nouem. Alter, qui Tripus appellatur, is iuxta Cancrum est, habet stellas in capite claram unam, in singulis mammillis singulas, in sinistro cubito duas, in eadem manu unam, in sinistro genu vnā, in singulis pedibus singulas, in sinistro pede vltimae distantiae vnā, quae vocatur Tropos. fiunt simul decem. Hi sunt inter duodecim signa Zodiaci circuli, sed in medio circulo Aequinoctiali Tropici Hyemalis, qui Australis appellatur, sita sunt.

Cancer in astris positus esse dicitur beneficio Iunonis. quod cum Hercules, cum Hydra ad fontem Lerneum depugnaret, hic Cancer Herculis pedem morso deprehendit, ut Parnasis auctor dicit, quem miratus Hercules calcatum contriuit, beneficioq. Iunonis magnis honoribus decoratus est: idem duodecim signorum numero annumeratus. sunt in hoc signo aliae stellae, quas Graeci dicunt. quod cum Liber à Iunone insania obiecta, fugeret ad occasus Dodonaei Iouis, eiusq. in templo responsa peteret, ut Philiscus refert, magni imbres cum grandine orti sunt, ea parte, qua transiturus erat. Asinus è contrario transeuntibus per aquas in vno ex his sedens, & ipse transuectus est sine periculo, & ab insania liberatus. Vni autem ex his effecisse dicitur, ut voce humana loqueretur, & post paucum tempus cum Priapo contendere coepit de membro naturali: Priapus compressum Asinum occidit. Iouis autem beneficio utriq. immortalis honore donati, astris sunt illati. Est & altera origo, quae infertur ab alijs. quod cum aduersus Gigantes Dij bellum agerent, idem Liber, & Vulcanus, & Satyri Asinis insidentes profecti sunt ad pugnam. quod genus viso tumultu diro cum murmure rugissent, Gigantes eorum voce territi fugerunt, & confestim Dij de Gigantibus triumphauerunt, & iccirco vna cum praesepio suo astris sunt illati, & in signo nobilis Cancris positi, cuius cursum ad Occasum tendit. Habet autem stellas in cornibus anterioribus duas claras, & tres obscuras, quae appellantur nubium, quod circa eum videtur, Praesepium dicitur, in ore unam, in dextris pedibus sin-

gulas, sunt quatuor obscurae, in sinistris priores claras duas, in secundo unam, in tertio unam, in extremo minore unam, in testa duas: sunt omnes XVI.

Leonem beneficio Iunonis inter astra collocatum dicitur, eo quod virtute cetera praecellat. Perian-
drus Rhodius refert, eum ob primos labores Herculis memoriae causa, honorifice astris illatum. Ni-
gidius refert, hunc Leonem nutritum apud Lunam, iussu Iunonis, & in terra Arcadiae in regione
Nemeae, in spelunca. Mithimom nomine fuit, quam quidem Aphrifo dicunt. Et Iunonis iussu
ad Herculis exitum dimissum, quem Hercules iussu Euristhei interfecit, cum Molocho hospite suo,
cuius clauam, pro viribus tributam, principio est adeptus, cum qua Leonem interfecit, itaque postea
claua pro gladio, pelle pro scuto, reliquo tempore uti coepit. & apud omnes mortales gratus ob virtu-
tem haberi coepit, Iunoni porro magis odio esse. Qua propter Leonem caelesti memoria dignatum
voluntate Iunonis nos arbitramur. Hic notabilis, & maximus inter signa est. Plerique volunt
Nemeae Gymnicos ludos ob hunc Leonem institutos. Hic totus figuratur. Habet Stellas in capite
tres, in collo duas, in pectore claram unam, in spina tres, in cauda media unam, in ultima cauda
claram unam, in medio ventre unam, sub pectore duas, in priore pede claram unam, sub ventre
unam claram, in medio ventris unam, in posteriore pede claram unam, in genu posteriori claram
unam: sunt omnes XIX. Videntur aliae Stellas obscurae septem iuxta caudam eius, quae vocantur
Crines Berenices, & sunt earum Virginum, quae in Lesbo perierunt. Illa autem magna, & cla-
ra, quae in pectore eius est, appellatur Tyberone. Hic Agitator Erichthonius dicitur fuisse Vulcani,
& Mineruae filius. Qui Vulcanus cum Ioui fulmen efficeret, ob Iouem promissum cepit, ut quic-
quid vellet praesumeret: ille Mineruam in coniugem petiuit. Iuppiter imperavit Mineruae, ut virgi-
nitatem defenderet. Dumque cubiculum introire certando Vulcanus semen in pavementum iecit,
unde natus est Erichthonius: quem Minerua in cista abscondit, Draconeque custode appposito, dua-
bus sororibus Aglauro, & Pandroso commendauit. Hic primus currus homines equis iunctis do-
cuit, similes quadrigae Solis facere, primum Panathenaea consituisse, arcem, templumque aedifi-
casse dicitur. Quem Iouis miratus, astris receptum memoriae tradidit. In hoc signo & Capra est,
quam in humero portat, quae Iouem nutriuit. Itemque eius filij Hoedi, quos Auriga in brachio portat,
qui fluctus significare dicuntur, noscuntur. Musaeus de Capra hoc refert: Datur Iouis infans nutrien-
dus Themidiae Althaeae, quae fuit domina Caprae, quae ex ea Iouem nutriuit. Esse autem hanc Ca-
pram filiam Solis dicitur. cuius aspectus tam atrox fuisse dicitur, ut Tytanes eam timerent, rogarentque
matrem Terram, ut eam abderet. Terra autem in antro clausam Amaltheae tradidit custodiendam,
ibi ut Iouem cum cura Amaltheae educaret. Qui cum esset iuuenis, & ille contra Tytanes inermis
vellet pugnare, eius pellem dicitur acceptam pro scuto habuisse, quod semper Tytanibus Agitator ti-
mori fuerit: & dicebatur media pelle Gorgoneum caput habere, eo tectus tegmento Caprae tergo al-
terius pellis tecta restituit, vitae etiam immortalitate donauit, Caelique astris intulit, & eius pellem
appellauit. Alijs placeat Agitatore, Myrtilum esse Mercurij filium, Oenomai aurigam, & a pa-
tre Mercurio astris illatum, cuius caput non multum distat ab Helyce; genua apponuntur Geminis,
pedes iuxta Tauri cornua. Habet autem Stellas in capite unam, in singulis humeris singulas; sed ea
est clarior, quae in sinistro humero est, & appellatur Capra, in singulis genibus singulas, in dextra
manu unam, in sinistra duas, & super ipso brachio Stellas duas, quae vocantur Hoedi: sunt om-
nes simul X.

Porro Taurum inter astra quidam putant positum propter Iouem, quod in Bouem sit fabulose
conuersus. Nigidius hunc Iouem a Neptuno fratre per gratiam adduxisse, qui in figura Tauri sen-
sum humanum haberet, quem Iouis Sidonem misit, ut Europam, Agenoris filiam, ad se porta-
ret, isque per pelagus Sidonem venit, ibique Europam inter aequales suas, ludentem in Templo
Aesculapij conspexit, eamque repentino arreptu collocatam suo tergo deuexit ad Iouem, in insulam
Cretam.

Cretam. Ob hanc igitur causam Iuppiter Taurum sideribus dignatus est immortalis memoria infer-
re. Eratothenes dicit, hunc esse qui coijt cum Pasiphae, cuius priores partes apparent, reliquum
corpus non apparet, propter femineum sexum. Spectat autem Orientem. In signo autem Tauri frons,
& facies Hyades vocatur, quas Phereades Athenaeus nutrices Liberi dicit, quae Dodonides Nym-
phae vocantur. Quae cum a Lycurgo captiuitatem timentes fugerent Thebas, ne sibi a Iunone ali-
quid patreretur, Iuppiter Caelo illas sideribus honorauit; Hyadesque appellauit, quod, nascente
Libero, eas inuenerit, quas in signum temporis posuit, vel quod sine pluuias, uen, enim pluuere est,
quia eorum ortus imbres concitat, vel quia in modum Y litterae positae sunt: Musaeus & ista re-
fert: Ex Atlante, & Hya duodecim filiae procreatae sunt, ut filius Hyas, quem dum ab Apro, vel
Leone occisum sorores omnes nimis diligentes sternerent, obierunt, e quibus quinq. stellas figuratas Hya-
des appellauerunt, septem autem Pleiades, Myrtilus autem quinque filias Cadmi esse dixit. Habet
autem Taurus stellas in capite quinque, quae Hyades appellantur, id est, in cornibus singulis singu-
las, in fronte duas, in naribus unam: hae sunt Hyades, in singulis genibus singulas, in ungue ante-
riore duas, in palearibus duas, in collo unam, in dorso tres: e quibus nouissima splendida est, in ven-
tre splendidam unam, in pectore unam, in palla unam. Sunt omnes XVII. Ab excisione Tau-
ri usque ad id, quod septem stellas sunt, quas quidam Pliades, vel Pleiades dicunt, quae non viden-
tur simul, eo quod septima obscura sit.

Cepheus in ordine, quarto loco positus est, quem Septentrionalis circulus occupat, a pedibus usque
ad pectus, reliquus medius est Arcturo aestiuo Tropico circulo. fuit ergo, sicut Euripides scribit, Aethio-
pum Rex, Andromedae pater, qui filiam suam ad cetum dicitur exposuisse, quam Perseus saluauit,
eiusque causa, & ipse pater beneficio Mineruae sit astris illatus. Habet quidem stellas in capite splen-
didas duas, in singulis humeris singulas, in singulis manibus singulas claras, in singulis cubitis ob-
scuras singulas, in zona tres obliquatas, in dextra coxa unam, in sinistro genu duas, supra pedes
quatuor, in ultimo pede unam. Sunt omnes nouendecim.

Cassiopeia interea, (ut refert Sophocles carminum vates) dicitur praeposuisse formam suam Ne-
reidibus, ob quam rem ira Neptuni Ceto transmissa vastabatur eorum terra, exposulatamque An-
dromeden, & Ceto propositam, ob quam rem longe habitus eorum diuersus est: ita autem est Cassio-
peia in sella sedens, habet in capite stellam claram unam, in singulis humeris singulas claras, in
dextra mammilla claram unam, in dextra manu claram, & magnam unam, in sinistra manu cla-
ram unam, in umbilico claram, & magnam unam, in sinistro foemore duas, in eodem genu cla-
ram unam, in unoquoque angulo sellae, in qua sedet, singulas claras. Sunt omnes XIII.

Andromeda filia fuit Cephei & Cassiopeiae, quae adamata est a Cupidine, & datum est respon-
sum, ut traderetur Ceti ad deuorandum. Quae suspensa inter duos montes, & exposita Ceti est cum
omnibus ornamentis. a Perseo autem liberata est, & ob id Persea dicta: beneficioque Mineruae
astris recepta est. Euripides etiam dicit, intra astra collocatam; ut labor Persei aeternus pateret, mani-
bus eius extensis, quemadmodum Ceti opposita est. Quae cum a Perseo liberata esset, neque patri,
neque matri voluit commorari, sed continuo cum Perseo profecta est. Habet stellas in capite claram
unam, in singulis humeris singulas, in singulis cubitis claras singulas, in dextra manu claram unam,
in eodem brachio claras duas, in zona tres, sub zona quatuor, in singulis genibus claras singulas, in
dextro pede duas, in sinistro pede unam. Sunt omnes XXI.

Equus praeterea dimidius est, priore parte patens usque ad umbilicum. Aratus dicit super Geni-
culatorem situm, & iam astris illatum, eo quod a celsitudine Heliconis montis percusso pede dextro
aquam produxit, quem liquorem Hippocrenem dicunt. Quidam pro eo, quod Iouis eo usus fuerit,
Nonnulli vero Pegasus putant, qui ad astra pro Bellorophontis interitu euolauerit. Euripides dicit,
Menalippen Chironis filiam esse, quae compressa grauida profugit in Pelion montem, & dum a

patre comprehendi timeret, Deorum misericordia conuersa in Equum, ad astra conscendit: cuius posteriores partes corporis, propter feminei sexus pudorem, non videntur. Habet autem stellas in facie claras duas, in capite claram unam, in singulis auribus singulas claras, in maxilla unam, in ala proxima capiti claram unam, in humero alae dextrae unam, in media ala unam, in extremis pennis unam, in humo unam, in pectore unam, in spina unam, in umbiliculo claram unam, in singulis genibus singulas, in singulis ungulis singulas. fiunt omnes xviii.

Aries, ut Hesiodus, & Pherecydes dicunt, inter astra collocata est, propter Phryxum, & Hellem Athamantis, & Nebulae filios. Qui cum nouercam occidere vellent, insani à Libero dicuntur effecti, qui dum in sylua errarent, matrem eis Arietem aurata pelle fertur adduxisse, qui cum nauigare vellent, in mare proiecti sunt, quod pelagus ab Helles nomine Hellepontus vocatur. Helle autem (ut aiunt) à Neptuno saluata est, & ex ea puerum Poenem genuit. Phryxus autem insidens praeparato arietem Colchos adductus est ad Oetam Regem, ibique arietem matri immolauit, eique suam auream pellem concessit, antequam inter astra processisset, quam Draco custodiuit. Genitum autem hunc Arietem dicunt ex Neptuno, & Theophane Altidis filia, quam cum adamasset in insulam Chrymiffam traduxit, in qua Iouem conuertit. Cum qua in Arietem mutatus concubuit, ex qua Aries Chrysoellus natus. Nigidius hunc Arietem dicit ducem, & principem esse signorum Zodiaci circuli: immortalis autem honore donatum. quod cum Liber exercitum in Africam duceret, et aquae inopiam pateretur, subito Aries ex arena exiuit, & Liberum cum suo exercitu ad aquam perduxit diuinitus. Hoc facto Liber eum Arietem Iouem Ammonem appellauit, eique phanum magnificum fecit, eo in loco, in quo reperta est aqua, & abest ab Alexandria itinere dierum nouem, locus arenosus, & serpentum multitudo plenus, & ab arena Ammon est nominatus. Praeterea Aries dux aquae immortalis mutatus, & caeli sidera consecutus. Conuertit autem caput ad Taurum, ipse autem assequitur alijs signis. Habet autem stellas in capite unam, in auriculis tres, in collo duas, in summitate pedum anteriorum singulorum singulas, in dorso quatuor, in cauda unam, in ventre tres, in summitate singulorum pedum posteriorum singulas. Sunt omnes xviii.

Super caput Arietis non longe ab Andromedae pedibus adiacet signum, quod Graeci ob similitudinem deltae litterae, Deltoton vocant, latini autem ob proprietatem formae Triangulum dicunt. Quod quidem à Ioue per Mercurium inter astra positum dicunt, super caput Arietis, pro eo quod obscurum esse dicitur. Quidam vero dicunt Aegypti esse effigiem stellis figuratum in tribus angulis, id est, Trigono, & Nilum talem ambitum facere. Habet autem stellas tres, in singulis angulis singulas, è quibus una est clarior.

Pisces hi sunt, & maior Piscis. Nigidius hos Pisces dicit in flumine Euphrate fuisse, & ibi ouum inuenisse mirae magnitudinis, quod volentes eiecerunt in terram, atque ita columbam in sedisse, & post aliquot dies exclusisse eam, Syriae quae vocatur Venus, maximeque misericors ad homines pertinebat, quaeque multa quae ad vtilitatem hominibus verterentur ea dicitur inuenisse. Quae quoniam Iouis saepius à Mercurio laudari, nominarique audiret, quod in Deos religiosa, in hominibus officiosa diligenter fuerit, rogata à Ioue, quod sibi optanti tribui postularet, illa ait, ut Pisces, qui suam originem seruassent, immortalis praemio afficerentur. Iupiter in duodecim signis Pisces siderum splendore decorauit. Vnde hodie quoque Syri neque hos Pisces edunt, & columbas potestate decorant. Horum autem vnus Aquilonius est, alter Australis, ex aduerso caudis vtrinque positus. Habent inter se alligamentum luteum continens usque ad priores pedes Arietis. Andromedae autem humerus dexter Piscis est signum. Habet idem Aquilonius stellas duodecim: alligamentum luteum quo continentur in parte Boreae. habet stellas tres, in parte noti tres, ad Orientem tres, ad Occidentem tres; Australis Piscis quindecim. Sunt omnes xxxix.

Perseus quidem ex Danae, & Ioue natus est. Iuppiter enim in similitudine aurei imbris se transformans,

formans, oppressam delusit Danae Achrisij, Regis Argiuorum filiam, quam pater à Ioue vitiatam cognouit, intra arcam includens praecipitavit in mare, quae delata ad Italiam, inuenta à quodam piscatore, & oblata Regi, eam sibi fecit uxorem, una cum Perseo, quem enixa est in mari. Qui missus ad Polydectem Regem insulae Sariphi. Accepta à Mercurio talaria, & à Vulcano harpe adamantina per aera iter faciens, ad Gorgones Phorci filias venisse perhibetur, quae angues pro crinibus dicuntur habuisse, quosque vidissent in lapides conuertere. Gorgones tres feruntur fuisse sorores, vno oculo, vna pulchritudine inter se communicantes, quarum nomina putantur: prima Stennio, secunda Euriale, tertia Medusa. Quidam vero eum à Minerua missum dicunt, et ab ea Clypeum vitreum accepisse, per quem videre, nec videri ab eis posset. Qui cum Gorgones dormientes inuenisset, caput Medusae abscondit, & Mineruae tradidit, quod illa in suo pectore aptauit, ut in bello terribilior esset. Perseum autem inter sidera collocavit. Habet autem stellas in capite unam, in singulis humeris claras singulas, in manu dextera claram unam, in eodem cubito unam, in manu sinistra unam, in dextra parte lumborum claram unam, in sinistro foemore claram unam, in singulis genibus singulas, in singulis tibijs singulas, in singulis pedibus singulas, in capite Gorgonis circunquaque tres, in harpe unam. fiunt omnes xviii.

Pleiades à pluralitate Graeci vocant, Latini eo quod vere exoriantur, Vergilias dicunt. Dicit autem Pherecydes Athenaeus septem sorores fuisse, Lycurgi filias, ex Naxo insula, et pro eo quod Liberum educauerunt, à Ioue inter sidera sunt relatae. Harum nomina putantur Electra, Alcynoe, Celeno, Asterope, Taygete, Maia, quarum septima, ut ait Aratus, vix intueri potest: quam quidam prae timore Orionis fugisse putant, quidam à Sole persecutam arbitrantur, vocatamque Electram, quae non subsistens videre casus proneporum, fugerit. Vnde & illam dissolutis crinibus propter luctum ire asserunt, & propter comas quidam Cometen appellant: nonnulli vero Meropen esse autumant, quae nupta à quodam viro nominata est Hippodomia. Musaeus autem refert, filias Atlantis fuisse septem, ex quibus sex clarae sunt, vna obscura, cum Dijs concubuerunt, tres cum Ioue, & ex Electra Dardanus, ex Maia Mercurius, ex Taygete Lacedaemon; cum Neptuno duae, Alcynoe ex qua Hercus, Celeno ex qua Lycus, cum Marte Asterope, ex qua Oenomaus, Merope cum Sisypho. Magnam apud homines dignitatem habent.

Lyræ inter astra collocatam dicunt propter honorem Mercurij, qui eam condidit ex testudinis similitudine, de Apollinis bouum cornibus, qui intendit chordas septem Atlantidum numero. Regrediente igitur Nilo ad suos meatus inter cetera relicta etiam testudo est, quae cum putrefacta fuisset, et nerui eius extensi intra corium remansissent, percussa à Mercurio sonitum dedit, in cuius similitudinem Mercurius Lyræ fecit, quam postea Apollini datam, alij Orpheo dicunt, eo quod vnus ex Musis, id est, Calliopes sit filius. fecit autem chordas nouem iuxta numerum Musarum. Tantaenamque dicitur dulcedinis in modulando fuisse, ut arbores, saxa, bestias, atque inferos commouerit; ob coniugis Euridices desiderium ad inferos descendens. Qui cum Apollinem maximum Deorum honoraret, Liberum autem patrem, à quo fuerat glorificatus, minime glorificaret, sedens in Pangeo monte, & expectans Solis ortum, Liber indignatus misit Bacchas, ut Aeschylus scribit, quae eum membratim discerperent, collectisque membris eius sepelierunt eum in Lesbijs montibus, eius Lyræ Musaeo dederunt: Iouemque rogauerunt, ut eius memoriam astris inferret. Habet autem stellas in vtrisque pedibus singulas, in cacumine chordarum singulas, in vtrisque humeris singulas, in fundo unam, in modulo unam, in tympano claram, atque candidam unam. Sunt omnes ix.

Cygnum dicunt inter astra constitutum, eo quod Iuppiter in Cygnum transfiguratus euolauerit in ramum Atticae regionis, ibique compresserit Nemesim, quae & Laeda dicitur, (ut refert Crates tragaediarum scriptor) quae enixa est ouum, unde nata est Helena. sed quoniam Iuppiter rursus in Caelum, in Cygnum transfiguratus, se recepit, ut fuit pennis tensus, simulacrum eius sideribus reliquit.

Habet

Habet autem stellas in capite claram unam, in dextera ala quinque. unam claram quae est erga col-
lum, in sinistra ala quinq. in pectore unam, in cauda unam, quae est amplissima. Sunt omnes XIII.

Porro Aquarius nomen accepisse dicitur, quod eius exortu hymbres plurimi fiant. Quidam vo-
lunt Ganymedem cum esse Troili, & Calliros filium, qui cum in Ida monte venaretur, ob nimiam
pulchritudinem à Ioue admatu, & per Aquilam raptus inter astra est collocatus. De hinc Aqua-
rius dictus est, quod undas funderet. Nigidius Hydrochoon, siue Aquarium existimat esse, Deu-
calionem Thessalum, qui maximo cataclysmo sit relictus cum uxore Pyrrha in monte Aetna, qui
est alissimus in Sicilia: & posteaquam se, & uxorem suam in terra relictum censuit, orbitatis, &
vastitatis misertus, ab Ioue precari coepit, ut aut & ipsi interirent, aut hominum genus restitu-
rent. Iuppiter respondit, & per sortem indicavit, ut lapides quos ante se reperissent, post se iactarent.
Reuersi itaque, quot quot Deucalion misit, viri fiebant, quos Pyrrha, feminae. Quo facto rursus
hominum genus natum est, ob quam rem deos Graece populus dicitur, quia lapis antiquitus Graece
pops appellabatur. Ab antiquis quidem dicitur Aristaeus filius Apollinis fuisse, quem Apollo dicitur
ex Cyrene procreasse, quam compressit in monte Orpheo, qui Cyrenis est appellatus. Aristaeus dicitur
omnibus artibus doctus fuisse, quibus ceteros homines ad binos fructus, utilitatemq. perducebat. Is
cum Caniculae signum pestiferum oriretur, et statim praesentes fructus laederentur, & homines diu-
turna pestilentia afficerentur: factum est, ut à Dijs impetraretur, maxime Neptuno, Iouis fratre,
ne tempestatibus, & ventis pateretur genus humanum affici indignis calamitatibus. Itaq. venia da-
ta, constitutum est à Dijs, ut Caniculae stellae exortu venti perflarent dies circiter quadraginta,
eiusq. pestilentiae vim absunderent. Quapropter Aristaeus à Dijs inter astra est collocatus. Habet
autem Aquarius stellas in capite obscuras duas, in singulis humeris singulas amplas, in sinistro cu-
bito unam, in dextro cubito unam, in singulis manibus singulas, in singulis mammillis singulas, sub
mammillis singulas, in dextro lumbo unam, in singulis genibus singulas, in dextra tibia unam, in sin-
gulis pedibus singulas. Sunt omnes XVIII. Effusio vero aquae dextra, laeuamq. fit stellis XXI. qua-
rum duae splendidae sunt, ceterae vero obscurae.

Capricornus sane similitudinem habet Aegyptios, habet enim posteriorem Piscis, priorem Capri,
& hunc honorem dicitur assecutus, eo quod cum Ioue sit nutritus. Epimenides dicit in Ida
utrosque nutritos, & ad Titanorum bellum cum Ioue esse profectum, quem Iuppiter victor astris in-
tulit, quod eius opera Dijs armati essent. Itemq. matrem eius Capram, quod Dicolon inuenisset in ma-
ri, ideo Piscis cauda notatam. Nigidius Capricornum refert immortalis honore donatum, quo tempo-
re Phytion in monte Tauro speluncam haberet, & Aegyptum incoleret. Cū ab Ioue concessum habuisset,
quemadmodum Dijs posset obsistere, cum eis consilium panderet, si neque terras reliquere vellent, ne-
que Pythonis immanitati resistere Dijs possent, inconsulte figuras immutauerunt, in quam quis vel-
let, seu bestiam, seu volucrum, seu piscem, pecudemue. Python se in Capram transmisset, itaq. im-
mortales figuris ignotis Pythonis ante oculos crebro versabantur, unde adhuc maxime pro Dijs mul-
tas bestias obseruant, coluntque Aegyptij, & conuenit, Pythoni neminem Deorum aduersari sibi met,
& vacuam cognouit, dominantibus, arbitratis Deos se veritos propter metum dominabatur imperitis
fortuna varietate, & periculi magnitudine instantis. Nam post XVIII dies dicitur consilium de
eo repente à Dijs factum, ut interficeretur, ob idque usque hodie in Aegypto hos dies, idest XVIII
Festos perpetuo annis singulis constituerunt, in quibus diebus, qui nascitur, amplius quam eos non vi-
uit. Phytion autem fulmine interficitur ab Apolline in templo Aegypti Memphis, ubi mos fuit so-
lio regio decorari Reges qui regnabant, ubi enim sacris initiabantur primum, ut dicitur, Reges satis
religiose tunicati, & Tauro, quem Apim appellant iugum portari fas erat, quem Deum maximum
Aegyptij existimant, & per vicum unum duci, ut periti existimabant, labore humanae necessitatis,
ut crudelius, quae sub eis sint, abutantur. Deducitur autem à sacerdote Isidis in locum, qui nomina-
tur Aditos,

tur Adytos, & iureiurando adigitur, neque mensum, neque diem intercalandam, quem in festum
diem immutarent, sed CCCXLV, dies peracturos, sicut institutum est ab antiquis. Sed illo reuertamur,
unde digressi sumus. igitur Dijs postea quam Typhonem poena affecerunt, sancta astrorum memo-
ria decorauerunt, & ei nomen Aegyptij Aegyptiana imposuerunt, quod cum tanti Dijs se in bestias con-
uertissent Typhon se in Capram transfigurabat, oppidumq. magnificum in Aegypto aedificauerunt,
quod Panopolim appellauerunt. Habet autem stellas in singulis cornibus duas, in naribus claram
unam, in capite claras duas, sub collo unam, in pectore duas, in anteriore pede unam, in summita-
te ipsius pedis unam, in dorso septem, in ventre quinque, in caudae extremitate claras duas. Sunt
omnes XXVI.

Porro Sagittarius Scorpione oriente ascendit, quo ascendente Orion occidit totus, & Cepheus à
vertice, & humeris cum manibus, in cuius signi regione Zodiacus circulus humillimus propter equi-
na crura. Quidam negant, dicentes nunquam Centauros ulli sagittis usos fuisse. Quidam autem di-
cunt, quod quadrupes esse non videantur, sed stans bipes Sagittarius. Hic autem homo equinis pe-
dibus est, & caudam habet veluti Sagittarij. Sositheus autem tragoediarum scriptor illum affirmat,
esse Crotonem; Euphemes Musarum nutricis filium, & inhabitasse Heliconem, atque sagittis, &
venatu vitam exegisse, qui inter Musas saepius commoratus plausu cantus earum distinguebat,
idest ad pedem manibus plaudebat, quo alij timerent. Hunc Musae beneficio Iouis astris intulerunt,
cuius artes, idest plausus, & sagittae inter mortales mansere. Nigidius de Crotone idem dicit, sed non
conuersatum cū Musis. sed dum illae cantus chorosq. celebraret, hūc procul auditu repentino plausu ad
pede feriendo oblectare canentes: ob hoc cum à Ioue immortalis memoria earum rogatu donatum, quod
esset nutricis earū filius, idem Oceani nepos. Habet autē stellas in capite duas, in arcu duas, in acumi-
ne sagittae duas, in dextro cubito unam, in eadem manu unam, in ventre claram unam, in spina
duas, sub cauda duas, in anterioribus geniculis singulas. Sunt omnes XV. Reliquae vero septem
subter crura similes quidem sunt posterioribus, quae non ostenduntur, quod Centaurus duplex sit, ia-
culum autem eius, ex quo dicunt omnes Cyclopas ab Apolline interfectos, qui Iouis fulmina fecerant,
absconditum, fertur ad Aquilonem, & peracta, ac potius sedata lite, assumptum, & ad pedes Sa-
gittarij inter astra collocatum. Habet autem stellas quatuor, in summo unam, in medio obscuram
unam, in pennis duas, unam vero splendidiorem alijs.

Aquilam sane inter astra collocatam dicunt, propter Ganymedem Iouis ministrum, quem rapuit
in Caelum. est enim ea signum Iouis, quod cum Dijs omnes volucres inter se diuiderent, eam in portio-
ne sortitus sit Iouis, quod altius cunctis volantibus euolet, & paene inter omnes principatum teneat,
& quod sola auium solis radijs non terreatur. Nanque ita est spectans ad Orientem pennis tensis.
Aglaothenes dicit, Iouem in Aquilam transfiguratum Naxiam regionem, ubi nutritus fuerat, pe-
tuisse, & regnum accepisse: Egresso vero de Naxo, cum aduersus Titanas proficisceretur, & sacrifi-
cium faceret, Aquilam ei in auspicio apparuisse, & fulmina ministrasse: quam bono omine acceptam
rutelae suae subiecisse. Habet autē stellas in capite claram unam, in humeris singulas alarum singulas,
in pectore obscuram unam. Sunt omnes quatuor. Sagitta autem, quam tenet in pedibus, dicitur sa-
gitta Apollinis fuisse, cum qua Cyclopas interfecit, eo quod Iouis fulmina faceret, quod eo telo Aescu-
lapius eius filius à Ioue esset interfectus, quam Sagittam astris illatam in memoriam virtutis suae re-
liquit. Habet autem stellas quatuor, in summo unam, in medio unam, in pennis sagittae duas.

Neptunus, ut Artemidorus refert, Amphitriten voluit in coniugium accipere, quae cum ob ve-
recundiae magnitudinem, & virginitatis obseruantiam ad Atlantem confugisset. Neptunus post
eam multos misit, qui eam peterent, inter quos et Delphinum misit, qui eam peteret. Quae cum circa
insulas Atlantem moraretur, reperit eam, nunciauitq. Neptuno, quam ille suis persuasionibus ad suam
perduxit voluntatem: Delphinusq. maximos honores in mari tribuit, quem in astris intulit: & in

manu sua habere instituit. Habet autem stellas nouem, & ideo Musicum signum dicitur, eo quod in numero Musarum. Stellas habet in ore unam, in folio duas, in pinnulis ventris tres, in dorso unam, & in cauda duas. Sunt omnes nouem. Delphinus autem non multum currit super Capricornum. Orion, qui, & Iugula dicitur, ante Tauri vestigia fulget, & dicitur Orion ab urina, id est ab inundatione aquarum. Tempore enim hyemis habet ortum, cum mare, & terras aquis, & tempestatibus turbat. Hunc Romani Iugulam vocant, eo quod sit armatus, ut gladius, stellarum luce terribilis, & clarissimus: qui si fulget, serenitatem portendit, si obscuratur, tempestatem annuit imminere. Hunc Hesiodus dicit, Neptuni, & Euryales filium, cui dono datum est à Neptuno, ut super fluctus ambularet, veluti super terram. Qui cum Chium venisset, Meropem Oenopionis filiam compressit, quem Oenopion ob iniuriam excaecauit, & de finibus suis expulit. ipse cum Lemnum venisset, à Sole dicitur ei lumina restituta esse, & reuersus est ad Oenopionem, qui cum à ciuibus terra absconderetur, Oenopion, desperata eius inuentione, Cretam est profectus, ubi cum immodice venaretur, & à Diana corripere, ait se nullam feram in terris relicturum. Tellus indignata Scorpionem extulit mirae magnitudinis, qui poenas magniloquentiae eius exigeret. Iouis autem Orionem ob virtutem astris intulit, idem rogatu Dianae Scorpionem inter astra duodecim Caelo collocauit, quorum contra magnitudinem stellae quoque eorum amplissimae sunt. Aristomachus autem dicit, Caubrisa quendam Thebis voto petisse, ut filium haberet, ad quem Iouis, Mercurius, & Neptunus hospitio deuenerunt, qui eis hostiam immolauit, ut filius nasceretur, cuius bouis pelle detracta, Dij in eam urinam fecere, iussuq. Mercurij terra obruta est, unde puer supradictus est natus, quem Orionem appellauerunt, & astris intulerunt. Quidam autem dicunt Orionem Methymnaeum: qui cum esset Citharae potens, Rex Corinthiorum Pyranthus nomine eum dilexit, qui cum à Rege impetrasset, ut ciuitatem arte sua illustraret, & magnum patrimonium acquisiuisset, consenserunt famuli cum nautis, ut eum interficerent, quem cum vellet interficere, petijt ab eis, ut ante decantaret. cum autem Citharae sonus cum voce eius audiretur, Delphini circum nauim venerunt, ille super unum ex his se praecipitauit, qui eum sublatus ad Regem Pyranthum Corinthum detulit: Delphinus subductus per aestum aquis exanimatus est. Qui cum suos casus Pyrantho narrasset, iussit Rex Pyranthus Delphinum sepeliri, & ei monumentum fieri. Post aliquantulum temporis nauis, qua Orion deuectus fuerat, Corinthum delata est. Nautas cum ad se adduci Rex imperasset, & de Orionem inquireret, dixerunt eum obiisse. Quibus ille crastino inquit die, ad Delphini monumentum iurabit, eosque custodiri mandauit, atque Orionem ita ornatum, sicut se praecipitauerat, in monumento Delphini delitecere. cum autem adducti per Delphini monumentum iurarent, Orionem obiisse, et de monumento prodijset, illi eum videntes obmutuerunt, ibique Regis imperio crucifixi sunt. Dehinc Iouis miseratione dicitur Orion cum Delphino inter astra positus. Nigidius autem refert quodam tempore Iouem cum ceteris Dijs apud Musaeum, Bistoniorum Regem, hospitio dapili, copiosoq. affectu praedito in hilaritate constituisse, ut in corio tauri, qui tunc immolatus fuerat, mingerent, eoque loco in corio terra obruto natus sit Orion, qui factus adolescens digna Deorum forma, atque egregia virtute incitatus immortalis memoria obtemperabat, quibus ortus dicebatur. Nam cum in Celinio venaretur, Dianam irridens contemnebat eius opera, quae in monte constituebat. Itaque Diana mississe dicitur Scorpionem, qui Orionem vita priuaret. Orion vita priuatus sideribus illatus est. Habet autem stellas in capite claras tres, è quibus media est splendidior caeteris, in singulis humeris singulas claras, in dextro cubito obscuram unam, in eadem manu unam, in zona tres, in gladio, quem tenet in manu tres, in singulis genibus singulas, in singulis pedibus singulas, in mantili tres. Sunt omnes xvii. & decem ex eis obscuriores.

Sirius Stella est in medio centro Caeli, ad quam cum Sol accesserit duplicatur calor ipsius, & languore afficiuntur corpora humana. Sirium autem stellam vocatam putant propter flammae candorem.

rem: Latini autem illam Caniculam vocant, unde & dies Caniculares dicuntur: quia quandam Sol in ipsa est, pestifera est: sed pro qualitate adiacentium commutatur. nam aut vincitur, aut morbosus vititur viribus. Hinc est, quod cum certo tempore oritur, non semper est noxia. Quidam vero dicunt, Canem fuisse, quae Europae cum Dracone custos data est, quae postea Minos utraque accepit, eandem postea ob medicinae causam Procridi in munere datam, quae postea Cephalus utraq. possedit, vir Procridis, qui eam ad Thebas duxit ad vulpē Thebanorum agros infestantem, cui Cane factum est, ne ab ullo posset interfici, itemq. vulpi. Iuppiter vero vulpem in lapidem conuertit, & Canem astris intulit, ut Amphianus tragoediarum scriptor refert: quod cum hominibus stellae relinquerent locum, missus est legatus Canis ad Doloram: quam ut vidit tempore tempestiuo admauit, qui cum flagraret amore, nec posset frui, magis asperius urebatur, calamitate accepta, & Deos adiutores inuocare coepit, tunc Aquilo misit filios suos adolescentes, qui operam Cani traderent, & ipse statu suo Canis ardorem sedauit, qui flatus Erestae dicitur: amoris autem memoria remansit. sunt qui aliter memorant. Icarus à Libero hospitio receptus est, qui ei in munere utre plenum vino tribuit, iussitq. ut in reliquas terras propagaret. Icarus dehinc, ut Athenaeus ait, cum in terram Atticam ad posteros deuenisset, eis genus hoc suauitatis ostendit: pastores autem cum immoderatus biberent, ebrii facti conciderunt. Qui arbitantes Icarum malum medicamentum sibi dedisse, eum sustibus interfecerunt. Icarum autem occisum Canis, qui cum eo fuerat, Neaira nomine, ululans, Erigonae eius filiae monstrauit ubi pater insepultus iaceret, quae cum venisset eius corpus sepeliuit, ipsaq. se in monte Hymeto contulit, ibiq. laqueo sibi mortem consciiuit. Tunc dicitur Liber à Ioue petijisse, ut Erigonem, & Icarum astris inferret. Iouis autem audita eius petitione Erigonem signum Virginis nominauit, Icarum autem patrem eius Arcturum. qui cum exoritur, tempestas mari terraq. efficitur: cumq. Athenas pestilentia opprimeret ex oraculo responsum est, cessaturam pestilentiam, si per annos singulos de frugibus, & vindemia Icaro, & Erigoni primum delibaretur. Quod factum est ab Atheniensibus, qui diebus festis institui aras constituerunt, ideo quia illam pendentem aspexerunt, quod est apud Graecos: ex quo factum est, ut Soli oscillo iactarentur Homines. Canis autem Icaro, qui ululans ante pedem pendentis Virginis mortuus est, Astriçon nominarunt, quod nos Canis stellam dicimus, qui ob eandem causam, quando exoritur, summam pestilentiam hominibus facit. Habet autem stellas in capite unam, quae Isis dicitur, claram in lingua unam, quam Sirium, vel Canem vocant, quae magna est, et splendida: in collo duas, in singulis humeris singulas obscuras, in pectore claras duas, in anteriore pede sinistro tres, in dextro claram unam, in extremo supra dorsum tres, in ventre duas, in sinistro foemore unam, in posteriori pede sinistro unam, in summitate caudae unam. Fiunt omnes xx. Situm autem est hoc signum inter Hyemalem Tropicum, & Arcticum, subterraneum, qui Australis vocatur.

Lepus sub pedibus Anticanis, & Orionis constitutus est. Hic dicitur Orionis Canem fugere venantis. Nam, ut venatorem eum finxerunt aliqua de causa, ita Leporem ei ad pedes fugientem finxerunt. Quidam negant tamq. nobilem tamq. magnum venatorem, de quo ante in Scorpione signo diximus, & postea in ipsius figura dicemus, oportere Leporem venari. Callimachusq. accusat eum, quod cum Dianae scriberet laudes, dicit eam Leporino sanguine gaudere, & eos venari dixerit. Nonnulli à Mercurio inter astra collocatum dicunt propter nimiam velocitatem, siue quod inter quadrupedes plus pariat, & quosdam foetus pariat, quosdam vero in ventre habeat, sicut Aristoteles Philosophus ait, qui de animalium ratione disseruit. Antiquitus autē dicebatur in insula Hiero nullum Leporem fuisse, sed ex eorum Ciuitate adolescens quidam studio generis ab exteris terris Leporem feminam produxit, & ad eius partum diligentissime, quae opus essent, administrauit, itaque cum peperisset, & complures eius Ciuitatis ad studium intendisset, & partim pretio, partim beneficio mercati essent, omnes Lepores alere coeperunt, quibus cum nihil daretur ad manducandum, im-

petu factu omnia comederunt, quo factu insulam calamitas afflixit. Itaq. postea Leporis figuram astris contulerunt, ut homines meminissent, nihil his exoptandum in vita, si insolenter utantur laetitia, qua dolorem capere posterius cogantur. Habet autem stellas in singulis auribus singulas, in pectore duas, in dorso nitidam unam, in posterioribus pedibus singulas. Sunt omnes VII.

Post Canis igitur magni caudam secundum stellarum ordinem Navis constituta est, quam quidam beneficio Mineruae inter astra collocatam dicunt, quaeq. prima ab ea fabricata est, & mare quod antea inuium fuerat hominibus peruium naualis ingenio fecit, quam notatam in caelo figurauit, sed à gubernaculis usque ad malum, nonnulli dicunt Danaum Belifilium ex compluribus coniugibus quinquaginta filias habuisse, fratrem autem eius Aegyptum totidem filios. Danaum autem, & filias eius interficere voluit, ut regnum paternum solus obtineret, easq. filijs suis uxores à fratre poposcit. Danaus autem cognita malitia Mineruam inuocauit adiutricem, tunc primum dicitur Minerua Navim fecisse, quae Argos appellata est, cum qua Danaus ex Africa Argos profugit. Aegyptus filios suos ad persequendum fratrem misit. Qui postquam Argos viderunt patrum impugnare coeperunt. Danaus autem, ut vidit, se eis obsistere non posse, dedit eis filias suas, quae patris iussu viros suos una nocte interfecerunt, sola Hypermestra Linum seruauit, ob quod phanum illis factu est: caeterae vero dicuntur apud inferos in dolium pertusum aquam ingerere. Habet autem nauis stellas in puppe quatuor, in catastroma quatuor, in malo summo tres, in singulis temonibus quinque, sub carina quinque. Sunt omnes XXVI.

Porro sub Ariete, & Piscibus super Fluuium Cetus in Caeli regione collocatus est. Dicitur autem à Neptuno missus ad Cepheum propter inuidiam Nereidus, à qua contra Casiopeiam, & Andromedam exardescerebat propter nimiam pulchritudinem: huic Ceti Andromeda proposita erat, quem Perseus interfecit, & ab Ioue astris illatus est, ut memoria actus maneret. Habet autem stellas in caudae extremo claras duas, à cauda usque ad gibbum eius sex, sub ventre sex. Sunt omnes XIII.

Fluuus, ut superius diximus, subter cetum collocatus est, Caeli regione cernitur. Ad quem sinister Orionis pes extenditur. Ab Arato, & Pherecyde Eridanus Padus esse putatur, & ideo inter astra collocatum, quod à Meridianis partibus dirigere cernitur. Hesiodus autem dicit, eum inter astra collocatum, propter Phethonta Solis, & Clymenes filium: qui dicitur currum patris ascendisse, cumq. à terra altius leuaretur, prae timore in Eridanum fluuium, qui & Padus dicitur, cecidit, ab Ioue fulmine percussus, & omnia ardere coeperunt, caussa q. extinguendi uniuersos omnes immisos esse, omneq. mortalium genus interijisse, praeter Pyrrham & Deucalionem. Sorores quoq. Phetontis flentes in arbores populos versae sunt, lachrymaeq. earum in Electrum duratae dicuntur, Heliadesq. appellatae. ipsas autem nomina habuisse Merope, Heliae, Aegle, Aegiale, Petre, Phoebe, Chaerie, Diosippe: Cynus quoq. Rex Liguria, Phetontis propinquus, dum flet, in Cynum conuersus est, id quoque moriens flebile canit, à quibusdam vero Nilus, qui & Gyon existimatur, & ideo inter sidera collocatus, quod à Meridianis partibus cursum dirigat. Est autem sidus multarum stellarum luce adornatum, & subiacet ei stella, quae vocatur Canopus, siue Ptolemaeon splendens, tangitq. temonem nauis: apparet autem humillima, eo quod circa terram esse videtur, & nullum sidus inferius apparet, ob quod terrestris vocatur. Habet autem stellas in primo flexu quatuor, in secundo tres, in tertio tres, usque ad nouissimam septem, quas dicunt in ore Nili fluuij esse. Sunt omnes XVII.

Piscis magnus, cuius nepotes dicuntur Pisces, qui in circulo Zodiaci constituti sunt, dicitur in astra collocatus: eo quod decidens in Boeth stagno, Phaceti filia Veneris in Piscem sit transfigurata, quam Syri Deam nominauerunt. Quidam autem dicunt, quod de stagno filiam Veneris saluauerit. Unde usque hodie Syri Pisces argenteos in templo sacrauerunt. Est autem signum in parte Australi, quod Piscibus orientibus oritur, quem Pisces dicunt Aquarij Urnas habere effusionem. Habet autem stellas

stellas XXI. e quibus una fertur esse sub pedibus Aquarij, & tres in brachijs eius; Ipsae autem clariores esse ceteris noscuntur. Inter haec sunt astra, siue signa, quae planetae appellantur.

Sacrarius, qui & Pharum dicitur, est signum nauigantibus semper contrarium, quod sequitur Scorpionis caudam. Quod quidem locatum inter astra dicunt, quod in eo Dij primum mutuo, coniurationem fecerunt, cum Iouis contra Saturnum fecit, quod memoriae non solum astris illatum, sed etiam hominibus hoc habere institutum, quia in Agonibus, & Ludis Quinquennialibus coronae habentur, & foederis testes adhibentur, itemq. vates, per quos futura respondentur in Symposijs. domibus consecrantur, & iure Iuppiter igneum sibi velamen, ne eius fulminum potentia deprehenderetur, adhibuit. Habet stellas quatuor, duas in superficie, in qua prunae fuisse dicuntur, duas in vase eius.

Centaurus dicitur Saturni, & Philyrae filius, nam Saturnus cum Iouem filium quaereret in Thracia, cum Philyra Oceani filia in equum versus dicitur concubuisse. & ex ea Chironem Centaurum natum, artis medicinae inuentorem, ipsamq. in arborem quingam, hoc est, Tiliam versam esse, & habitasse Chironem in Pelio monte, inter homines aequissimum: à quo Aesculapius medicina, Achilles Cythara, in Astrologia Hercules litteris instructi sunt: cuius hospitio cum Hercules ueretur, sicut Antisthenes dicit, è pharetra sagitta lapsa dicitur pedem eius vulnerasse, acceptoq. vulnere illum animam exhalasse, & ab Ioue astris illatum. Est autem signum ad aspectum Sacrarij. Unde, & ad idem Sacrarium sacrificare videtur. Habet stellas in capite obscuras tres, in singulis humeris singulas claras, in dextero cubito unam, in eadem manu unam, in medio pectore unam, in spina duas, in ventre splendidas duas, in dextro lumbo claram unam, in cauda tres, in singulis gemibus retrorsus duas, in utroque pedibus anterioribus singulas, sunt omnes XXXIII. Quidam arbitrantur tenere in sinistra manu arma, & Leporem, in dextera vero bestiolam, quae epior, appellatur, & vigna, id est utrem vini plenum, in quo libabat Dijs in sacrario. Habet autem stellas Bestiola in capite unam, in spina clara unam, in cauda duas, in summo pede posteriore claram unam, in anteriori pede unam claram, in thyrso tres. Sunt omnes XXXIII.

Hydra super cuius caudam Coruum sedere dicunt, & in medio unam asserunt, & signum in parte Australi, caput deflexum habens ad Cancrum, cuius sinuosi corporis medietas est conexa sub Leone, caudam vero extendit ad Centaurum, super quam sedet Coruus; qui Coruus ideo inter astra collocatus dicitur, eo quod fuerit in tutela Apollinis, à quo missus ad fontem, ut Dijs ad libandum aquam deferret, qui cum vidisset arbores grossos ficus habentes, volans consedit in eis, donec maturae fierent, & aquam deferre distulit, post paucos autem dies peracto sacrificio, cum ille ficus comedisset, & se Dijs peccasse sensisset, denuo ad fontem, ut aquam hauriret, redijt, & ab Hydra exterritus vas vacuum reportauit: dicens excessisse aquam, quae fuerat in fonte: cognoscens Apollo sibi Coruum peccasse, prohibuit eum eo tempore aquam bibere, ut Aristoteles dicit in eo libro, qui De bestiis scribitur. & Isidorus in Naturalibus, vel in Physicis memoriae tradidit, quod ipse peccati poenas daret, qui et postea astris illatus est. Crater autem in medio Angue positus est, caudam autem Anguis Coruus appetit rostro, neque potest iuxta accedere, ut bibat. Habet Anguis stellas in capite claras tres, in prima flexura sex, & una ex eis obscura, ad ultimum in secunda flexura tres, in tertia quatuor, in quarta duas, in quinta usque ad caudam octo claras. sunt omnes XXVI.

Paululum sub prima flexura, Crater siue Vrna situs est inclinatus ad genua Virginis. Habet stellas in labris obscuras duas, per singula latera tres, in fundo duas, sunt omnes decem. Coruus autem, qui est ad ultimam, eius caudam spectans, ad occasum habet stellas in capite claram unam, in alia duas, in cauda tres, in pedibus singulas ab unguibus. Sunt omnes sex, omnes simul sunt XXXIII.

Solem per se ipsum constat moueri, non cum mundo verti, sed in Zodiaci circuli obliquitate cursum peragere paulo superius diximus, qui dum per trecentos sexaginta quinque dies, & quadrantem Zodiacum lustret, & singula tricenis diebus demisq. horis, ac semisse, id est dimidia hora transcurrat

in incremento dimidiarum horarum quarto anno unum diem complet, quem bissextum nuncupant: qui dies conficitur ex quadrantibus. Nam cum duodecies semis sex horas integras faciant, id est quadrante quadans quater ductus viginti quatuor horas perficit: idem unum diem cum sua nocte complet, & in quarto bissextum, ut praefati sumus, efficit. Sol interea cum igneus sit, prae nimio motu conuersionis suae amplius incalcescit, cuius ignem dicunt philosophi, aqua nutrir, & e contrario elemento virtutem luminis, & caloris accipere. Unde videmus eum saepius madidum, atque vorantem. Tunc autem Eclipsim patitur, quod Latine Defectio dicitur, quoties Luna xxx ad eandem lineam, qua Sol debetur, peruenit, eique se obijciens eum obscurat, unde deficere nobis videtur, cum ei orbis Lunae opponitur. Signa enim tempestatis, vel serenitatis hoc modo Astrologi mundi cognoscenda esse dixerunt. Virgilius namque ait, si Sol in ortu suo maculosus sit, atque sub nube latens, aut si dimidia pars eius apparuerit, imbres futuros: item Varro ait, si exiciens concauus videtur, ita ut in medio fulgeat & radios faciat partim ad Aquilonem, partim Austrum tempestatem humidam, & ventosam futuram innuit: item si Sol inquit rubeat in Occasu, syncerus dies erit, si palleat, tempestatem significat. Nigidius quoque ait, si pallidus Sol in nigras nubes occidat, Aquilonem ventum significat. Nunc etiam Graeci Apollinem appellauerunt, à quo se spiritum accipere arbitrantur: à ποσειδων enim Graece, Latine Perdens dicitur, quod feruore suo omnem succum vitentium decoquendo perdat herbarum. Hunc etiam diuinationis Deum esse voluerunt, siue quod sol omnia obscura manifestat in luce, siue quod in suo processu, & occasu eius orbita multimodos significationum monstrat effectus. Sol dicitur, aut ex eo quod solus sit, aut quod solito per dies surgat, & occidat. Hunc etiam sine barba pingunt, quia occidendo, & nascendo semper est iunior, siue quod nunquam in sua virtute deficiat, ut Luna, quae crescit, aut minuitur. Huic quoque illam ob causam, quod aut quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragrat, id est Verni, Aestatis, Autumni, & Hyemis, aut quod quadripartito limite diei metitur spatium. Unde, & ipsis equis condigna nomina persuerunt, id est Erythraeus, Actaeon, Lampros, & Philogaeus. Erythraeus Graece ruber dicitur, quia à matutino lumine rubicundus exurgat, Actaeon Lucidus dicitur, quod tertia hora instante lucidior fulgeat. Lampo vero lucens, vel ardens dicitur, quod sit dum ad umbilicum diei contra Arcticum conscenderit circulum. Philogaeus Graece terram amans dicitur, quod hora nona procliuor vergens Occasui pronus incumbat.

Luna terris vicinior est, quam Sol, siue quam cetera errantia sidera. Unde & breuiore orbe celerius peragat cursum suum. Nam iter quod Sol trecentis, & sexaginta quinque diebus, & sex horis peragat, Luna viginti septem diebus, & octo horis percurrit. Singula vero signa Sol tredecim diebus, & denis horis, ac semisse. Luna autem binis diebus, & semis hora bissextum perlabitur. Unde fit ut quantum spatij in Zodiaco Luna percurrit, tantum Sol tredecim diebus expleat. Hanc quidam Philosophorum dicunt proprium lumen non habere, globiq. eius unam partem esse lucifluam, aliam vero obscuram, & paulatim se vertendo diuersas formas efficere. Alij contra aiunt lunam globum suum habere, sed ignem à sole concipere, & quantum percuitur, ardescere, & quantum à Sole discedit, augeri. Cum vero contra steterit, feritur ex aduerso, & velut speculum non vim, sed imaginem reddit, unde, & defectum patitur, si inter ipsam, & Solem umbra terrae interueniat. Hac enim crescente uniuersa gignentia pubescunt, tenuescente tenuantur: humor etiam, & spiritus omnis augetur, tumescit Oceanus, quod diuerso Caeli, & vagantium stellarum temperatur, atque deteritur, & infra fluit. id excipit Luna, & Soli tradit, quo & animalia rufescunt, et humus quodammodo animatur genitali calore, & ut ita dixerim, viua plurimum valent in originibus quam in ortu sunt, languent in occasu, ortum facit in Stella, quam Sol praeterit, deinde statione matutina cum à quinto loco Solis steterit, in eodem manet signo, donec ab eodem Sole moueatur, quae contraria est Soli, mane occidit, oritur simul nocte, & vocatur Chronicos. Deinde rursus altero latere à quinto signo

deprehensa,

deprehensa, post meridiana stationem facit, donec ingresso Sole idem signum sub radijs eius delitescens in totum occidat. Aspiciunt inter se Stellae ex tertio signo, quod dicitur Trigonum, & habent maxime confusionem: item à quarto signo, quod Tetragonum, & Centrum vocatur, et in alterutrum maxime praestant effectum. Item ex contrario, quod est septimum signum, & Diametron vocatur, quae maxime aduersum cetera disident, vel leuiter aspiciunt, ut sextum, quod dicitur Exagonum. Signa Tropica peregrinis nationibus praesunt, & omnino motibus, & consilijs subinde variantur, atque permittantur biforma generatione, rerum omnium repetitionem significant, & interim dilationem solida vehementer, & instanter efficiunt, & ad exitum vel prospera, vel aduersa perducunt, sicut aspiciuntur à Stellis, vel fauentibus, vel repugnantibus. Iam vero, quia de eius cursu, vel ordine sub breuitate diximus, restat ut quid de ea gentiles senserint edicamus. Lunam gentiles Dianam, germanam Solis, quem Apollinem nuncupabant fuisse dixerunt, et sicut à Sole spiritum, ita se à Luna corpus accipere arbitrabantur. Dicebant enim eam viarum praesidem, & Virginem, eo quod in via nihil pariat. Iccirco igitur ambo sagittas habere dicuntur, quod ipsa duo sidera de Caelo radios usque ad terram emittant: ideo faces, quia Luna illuminat, Sol & illuminat, et exurit: ideo bigam Luna dicitur habere, siue propter velocitatem, siue pro eo, quod nocte, & die apparet, ideo unum equum album, & alium nigrum dicitur habere, eo quod Hyeme, & Aestate plus luceat, quam Vere, et Autumno. Diana autem Luna dicta est, quasi Diane, eo quod die, ac nocte apparet ipsa, & Luna eo quod luceat, & Trivia eo, quod tribus fungatur figuris, de qua Vergilius ait: Tria virginis ora Dianae. Nam eadem Luna, eadem Diana, eadem Proserpina vocatur, id est Caelestis, Terrestris, & Infernalis. De qua quidam. Denique cum Luna est sublustris splendet amictu; Cum succincta iacet calamis Latonia Virgo est. Lunam voluerunt etiam apud inferos Proserpinam, seu quod nocte luceat, siue quod humiliter currat, & terris praesit: unde bigam bouum habere dicitur, illo videlicet pacto, quo detrimenta eius, non solum terra, sed & lapides vel crebra animalium, & quod magis incredibile sit, etiam laetamina sentiunt, quae in Lunae incrementis eiecta vermiculos parturiant: ipsam Dianam dictam nemoribus vocant, simili modo, quod arborum, ac fruticum succo augmenta inducat. Deniq. clementis Lunae abscissa ligna furfuraceis tinearum terebra manibus fistulae sunt. Nemoribus quoq. adesse dicitur, quod omnis venatio plus nocte, quam die dormiat. Endymionem vero pastorem amasse dicitur duplo scilicet modo: seu quod primus hominum Endymion cursum Lunae inuenerit, unde & triginta annos dormisse dicitur, quia nihil aliud in vita sua nisi reperiendi studuit, sicut Anaseas in primo libro de Europa scribens tradidit: siue quod Endymionem amasse fertur, quia nocturni roris humor, qui est siderum, quoque ipsius Lunae animandus herbarum succis insudatur, & pastoralibus profunt successibus. Praeterea signa tempestatis, vel serenitatis in ea videri posse antiqui dixerunt. Nigidius ait: si Luna in summo circulo maculas nigras habuerit in primis partibus mensis, imbres futuros significat; si in medio tunc, cum plena sit in eo corniculo, serenitatem. Ceterum, si rubet quasi aurum, ventos ostendit, sit enim ventus ex aeris densitate obducta. Sol, & Luna rufescunt. Itē, si cornua eius tecta fuerunt nebula, tempestas futura est. Aratus autem dicit, si Aquilonium cornu Lunae est erectius, Aquilonium imminere. Item si cornu Australe sit erectius, Notum imminere. Quarta autem Luna index futurarum certissima habetur aurarum. Unde & Vergilius. Sin ortu in quarto (namq. is certissimus auctor.

Caesari nobilia sidera significant. III. Calen. Ianuarias, matutino Canis occidit, quo die Atticae, & finitimis regionibus Aquila vespere occidere traditur. Pridie nonas Ianuarias Caesari Delphinus matutino exoritur, & postero exoritur Fidicula; quando Sagitta Vesperis occidit. Item quinto Idus Ianuarias eiusdem Delphini vespertinus occasus, & continui dies hyemis Italiae, cum Sol in Aquarium sentitur transisse, quod ferè xviii. Calen. Feb. euenit. viii. Feb. Regia stella appellata Tuberoni, in pectore Leonis occidit matutino, & pridie nonas Feb. Fidicula Vesperis occidit.

A Fauonio

A Faunio in aequinoctium Caesari significant IIII. Cal. Mart. quadriduum varie, & VIII. Calen. Mart. Hirundinis visus, & postero die Arcturi exortus vespertinus. Item nonas Mart. Caesar Cancri exortus id fieri obseruauit, VIII. Idus Mart. Aquilonis Piscis exortus, & postero die Orionis exortus, & in Attica Miluus apparere obseruatur. Idibus Mart. Caesar Ferales sibi notauit Scorpionis occasus III. Calen. Aprilis, Italiae Miluus ostenditur. XII. Calen. Aprilis. Equus occidit matutino.

Aequinoctium Vernum VIII. Calen. Aprilis peragi videtur: Ab eo ad Vergiliarum exortum matutinum Caesari significant. III. Non. Aprilis in Attica Vergiliae vespere occultantur. Item post pridie Nonas Aprilis in Boeotia, & Chaldaeis Orion, et Gladius eius incipiunt abscondi Caesari VI. Calendas Aprilis significat imbres Librae occasus, XIV. Calendas Maias Succulae occidunt vespere, sidus vehemens, & terra marique turbidum. XVI. Calendas Maias, in Attica occidunt vespere Caesari. XV. Calen. Maias quadriduum significant, XII. Calendas Maias Assyrijs Succulae occidunt vespere, quod vulgo appellatur sidus Parilicium, quoniam XI. Cal. Maias Urbis Romae natalis habetur, quo fere serenitas reddiur, claritatem obseruationis membrorum augmento. Hyadas, appellantis Graecis, quod nostri à similitudine cognominis vocabulum eis stellis propter succos impositum arbitrantur, imperiti appellauere Succidus. Caesari VIII. Calen. Maias notantur dies. VII. Calen. Maias Aegypto Hoedi exoriuntur, VI. Calen. Maias Boeotiae, & Atticae Canis vespere occultatur; & Fidicula mane oritur. V. Calen. Maias Assyrijs Orion totus absconditur. Quarto autem Calen. Maias Assyrijs Canis, VI. nonas Maias Caesari Succulae matutino exoriuntur, & VIII. Idus Maias Capella pluuiialis: Aegypto autē eodem die Canis vespere occultatur. Sic fere in VI. Idus Maias, qui est Vergiliarum exortus, decurrunt sidera.

A Vergiliarum exortu significant Caesari, post pridie Idus Maias, Arcturi occasum matutinum: III. Idus Maias, Fidiculae exortus, XII. Calen. Iunias Capella vespere occidit, & in Attica Canis. XI. Calen. Iunias Caesari Orionis gladius occidere incipit III. Nonas Iunias Assyrijs Aquila oritur vespere. VI. Idus Iunias Arcturus matutino occidit Italiae. IIII. Idus Iunias Delphinus oritur in Aegypto: XI. Calen. Iulias eiusdem Orionis gladius Caesari occidere incipit: VIII. Calen. Iulias longissimus dies totius anni, & nox breuissima Solstitium conficit.

A Solstitio ad Fidiculae occasum VI. Calen. Iulias Caesari Orion exoritur. Zona autem eius Assyrijs IIII. Nonas Iulias, Aegypto vero eadem die Procyon aestuosus matutino oritur, quod sidus apud Romanos non habet nomen, nisi Canicula, quam volumus intelligere minorem Canem, ut in astris pingitur, ad aestum maxime pertinens, sicut paullo post docebimus. quarto Nonas Iulias Chaldaeis Corona occidit matutino. Atticae Orion totus eadē die exoritur: pridie Idus Iulias Aegypto Orion desinit exoriri: XV. Calen. Augustas Assyrijs Chiron exoritur. Deinde post triduum fere vbiq; confusum: inter omnes sidus indicans, quod Canis ortu vocatus, Sole partem primam Leonis ingresso, cum fit Solstitium, quod sidus accendit Solem, & magnam aestus obtinent causam: XV. Calen. Augustas Aegypto Aquila occidit matutino, Etesiarumq; prodromi status incipiunt, quod Caesari X. Cal. Aug. sentire Italiam existimauit: Aquila Atticae matutino occidit, VIII. Idus Augustas Arcturus medius occidit: III. Idus Aug. Fidicula occasu suo autumnum inchoat, aut annotat. sed vera ratio id fieri inuenit pridie Idus Augustas. Equus oritur vespere, & Caesari Aegypto Delphinus occidit. X. Calen. Septemb. Assyrijs stella, quae Anteuindemiator appellatur, exoriri mane incipit, Vindemiae maturitatem promittens: cuius argumento erunt agni colore mutati, & Assyrijs quinto Calen. Septemb. Sagitta occidit: Etesiaeq; desinunt. Anteuindemiator Aegypto Nonis Septemb. oritur. Atticae Arcturus matutino, & Sagitta occidit mane. V. Idus Septemb. Caesari Capella oritur vespere. Arcturus vero pridie Idus Septemb. imbres vehementissimos significat; terra

marique.


marique. Ratio eius haec traditur: si Delphino occidente imbres fuerint, non defuturi sunt per Arcturum eius signi ortum seruat Hirundinum habitus, namq; deprehensae intereunt. XVI. Cal. Octob. Aegypto Spica, quam tenet Virgo, oritur matutino, Etesiaeq; desinunt. XI. Calen. Octob. commissura Piscium occidit, ipsumq; Equi sidus. VIII. Calen. Octob. III. Cal. Octob. Hoedi oriuntur. Cal. Octobribus Capella matutino exoritur. VI. Nonas Octob. Atticae Corona exoritur mane. V. Nonas Octob. Heniochus occidit matutino. IIII. Nonas Octob. Caesari Corona exoriri incipit, & pridie Nonas occidunt. Hoedi vespere. VIII. Idus Octob. Caesari fulgens in Corona stella exoritur, & tertio Idus Vergiliae vespere exoriuntur. XVIII. Calen. Nouemb. Succulae vespere Oriuntur. Pridie Calen. Nouemb. Caesari Arcturus occidit, & Succulae exoriuntur cum Sole. IV. Nonas Nouemb. Arcturus occidit vespere, & Id. Nouemb. Atticae Vergiliae occasu suo Hiemem inchoant. Quinto Idus Orionis gladius occidere incipit. Deinde III. Idus Vergiliae occidunt, occasum matutinum Vergiliarum Hesiodes natura huiusquoq; nominis Hesiodis Astrologiam tradidit fieri.

In Aequinoctio Autumni confitetur, quod Thales XXV. dies ab Aequinoctio, Anaximander XXXI. Euctemon XLVIII. Nos autem sequentes obseruationem Caesari XLV. die ab Aequinoctio dicimus fieri.

Ante omnia autem duo esse nomina Caelestis iniuriae meminisse debemus: unum quod Tempestes vocamus, in quibus grandines, procellae, caeteraq; similia intelliguntur, quae cum Plenilunio acciderint, vi maiore impelluntur. Haec ab horridis sideribus exeunt (ut saepius diximus) veluti Arcturo, Orione, Hoedis. Alia sunt illa, quae silente Caelo, serenis noctibus fiunt, nullo sentiente, nisi cum facta sunt publica; & magnae sunt differentiae à prioribus: alijs rubiginem, alijs vredinem, alijs caliginem impellentibus, omnibus vero sterilitatem. De his nunc dicemus, quae ante nos à nullo sunt prodita. prius cassas reddemus eorum, quae sunt praeter Lunarem, & quae paucis Caeli locis constāt. Namque Vergiliae primatum tenent ad fructus, quarum exortu Aestas incipit, occasu Hyems semestri spatio intra se, & messes vindemiaeq; & omnium maturitatem amplexantur. Est praeterea in caelo qui vocatur Lacteus circulus etiam visu facilis: huius defluuium, velut ex ubere aliquo facta cuncta lactescunt. duorum siderum obseruatione, Aquilae in Septentrionali parte, & in Austrina Caniculae, cuius mentionem suo loco fecimus. Ipse circulus fertur per Sagittarium, & Geminos, Solis centrum infra Aequinoctialem circulum secans, commissuras eorum obtinente hinc Aquila, illinc Canicula: ideo effectus utriusq; ad omnes frugiferas pertinet terras, quoniam in his tantum locis Solis, terraeq; centra congruunt. Igitur horum siderum diebus, si purus, atque mitis aer, generalem illum lacteamq; succum transmiserit in terras; laeta adulescunt sata: si Luna, qua dictum est ratione, roscidum frigus asperferit, admixta amaritudo, ut in lacte puerperium necat: modus in terris, huius iniuriae, quam fecit, in quacunq; conuexitate comitatus utriusq; causae, & ideo non pariter in toto Orbe sentitur: ut nec dies Aquilam diximus in Italia exoriri XIII. Calen. Ianuarias, nec patitur ratio naturae quicquam in satis ante eum diem spei esse certae. Si vero Interlunium incidat, omnis hybernos fructus laedi necesse est. Rudis fuit Priscorum vita, atque sine litteris, non minus tamen ingeniosam fuisse in illis obseruationem apparebit, quam nunc esse rationem. Tria namq; tempora fructibus metuebant, propter quod instituerunt Feras diesq; festos, Rubigalia, Floralia, Vinalia. Rubigalia Numa constituit anno Regni sui XI. quae nunc aguntur ad VI. Calen. Maij. quoniam tunc fere segetes rubigo occupat. hoc tempus Varro determinat, Sole Tauri partem decimam obtinente, sicut tunc ferebat ratio: sed vera causa est, quod post dies XIX. ab Aequinoctio verno, per id quadriduum varia gentium obseruatione. in quarto Calen. Maij, Canis occidit, sidus, & per se vehemens, & cui praecidere Caniculam necesse sit. Idem itaque Floralia quarto Cal. eiusde instituerunt, Urbis anno DXXVI. ex oraculis Sybillae, ut omnia bene deflorescerent: hunc diem Varro determinat, Sole Tauri partem quartam decimam obtinente. Ergo si in hoc quadriduum inciderit Plenilunium

FF

nium



nium fruges, & omnia quae florebunt laedi necesse erit. Vinalia priora, quae ante hos dies sunt IX. Cal. Mart. degastandis vinis instituta, nihil ad fructus attinent, nec quae adhuc diximus, ad vites, oleasq. quoniam earum conceptus exortu Vergiliarum incipit, ad sextum Idus Maij, ut docuimus. aliud hoc quatrimum est, quod neq. rore sordere velint, exhorret enim frigidum sidus Arcturi postri die occidentis, et multo minus Plenilunium incidere. Quarto nonas Iunias iterum Aquila exoritur vesperi, decretorio die florentibus oleis vitibusq. Si Plenilunium incidat in eum, equidem, & solstitium octavo Cal. Iunias in simili casu dixerim, & Canis ortum post dies à Solstitio XXIII. sed Interlunio accidente, quoniam vapore constat culpa. aciniq. praecoquantur in callum. Rursus Plenilunium nocet ad quartum Nonas Iulias, cum Aegypto Canicula exoritur, vel certe XVI. Cal. Aug. cum Italiae, item quarto Cal. Aug. cum Aquila occidit, usq. in X. Cal. eiusdem. Extra has causas sunt Vinalia altera quae aguntur XIII. Cal. Sept. et Varro à Fidicula incipiente occidere mane determinat, quod vult initium autumnii esse, & hunc diem festum Tempestatibus leniendis esse institutum. Nunc Fidiculam occidere sexto Idus Aug. obseruatur. Intra haec constat caelestis sterilitas: neq. negauerim posse eam permutari arbitrio legentium, locorum aestimantium naturas, sed à nobis rationem esse demonstratam satis esse, reliqua obseruatione cuiusq. constabunt. Alterutrum quidem fore in causa, hoc est, Plenilunium, aut Interlunium, non erit dubium, & in hoc mirabilem admirari benignitatem naturae succurratiam, primum hanc iniuriam omnibus annis accidere non posse, propter statos siderum cursus, nec nisi paucis noctibus anni, idque quando sit futurum, facile nosci, ac ne per omnes menses timeretur, earum quoque lege diuisum Aestate Interlunia praeterquam biduo secura esse hyeme Plenilunia, nec nisi aestiuis, breuissimisq. noctibus metui, non diebus item valere. Praeterea tam facile intelligi, ut formica minimum animal Interlunio quiescat, Plenilunio, & etiam noctibus operetur. Auem param oriente Syrio ipso die non apparere, & donec occidat: e diuerso Virionem prodire ipso solstitij die. Neutrum vero Lunae statum noxiū esse, nec noctibus quidem, nisi serenis, & omni aura quiescente: quoniam neque in nube, neque in statu cadunt rores, sic quoque non sine remedio. Sarmenta, aut palarum aceruos, & euulsas herbas, fruticesq. per vineas, camposq. cum timebis, incendito: fumus medebitur, hic è paleis, & contra nebulas auxiliatur, ubi nebulae nocent. Quidam tres Cancros viuos cremari iubent in arbutis, ut carbunculi non noceant. Alij Sibiri carnem leuiter vri à vento, ut per totam vineam fumus dispergatur. Varro autem est, quod si Fidiculae occasu, quod est initium Autumnii, dua pica consecretur inter vites, minus nocere tempestates. Archibius ad Antiochum Syriae Regem scripsit, si fictili nouo obserata obruatur rubeta rana in media segete, non esse noxias tempestates.

Vertices extremos, circa quos Caeli Sphaera voluitur, Polos nuncupauere, è quibus vnus est Septentrionalis, qui Boreus appellatur, qui nunquam occidit: alter Australis, qui terrae obiectus à nobis nunquam videtur, et Austronotus dicitur: quem quidam dicunt esse Thetym, Oceani uxorem, nutricem Iunonis, quae fingitur in Oceano prohiberi occidere. Haec habet stellas in capite septem non claras, in utraque aure duas, in armis vnā, in pectore clarā vnā, in pede priori vnā, in foemore posteriori duas, in pede extremo posteriori duas, in cauda tres.

Sunt omnes XX.



C. CAESII



C. CAESII BASSI FRAGMENTVM DE METRIS

SIVE DE PEDVM COMPOSITIONE
AD NERONEM CAESAREM.



Poeticae species Latinae.

EPoS, siue Dactylicum dicitur, Epigramma, Lyrica, Tragoedia, Satyra, Praetextata, Comoedia, Tabernaria, Attellana, Rhyntonica, Mimi.

Genera versuum.

EPoS, quod Dactylicum dicitur, Iambicum, Trochaicum, Anapaesticum, Antispasticum, Choriambicum, Ionicum, Tonos, quod ad rythmum tibicinum conuenit; nouum Paeonicum dicitur.

De Odarum Horatij pedibus. Caput I



MECAENAS Atruis edite Regibus. Asclepiadaeus duodecasyllabum, cuius diuisio varia. quaedam sic, Mecae Spondaeus, nas atruis, Choryambo, Edite re. idem; gibus, Pyrrhichius, vel Iambus, propter indifferentiam syllabae. Alij per Dipodias ita, Maecenas à: debuit Antispastica Podia esse, & produxit syllabam primam, & fecit Epitritum quartum ex tribus longis, & breui. Tavis edi Anapaestus est, sex breui, duabus longis, & breui. Te regibus, Paeon secundus, ex breui, & longa, & duabus breuibus: vel si longa fuerit, vltima erit Iambus, si vero ad penultimam partem vltimae Dipodiae breuis syllaba addatur, fiet Elegiacus. versus pentameter sic: Maecenas atruis edite regibus. diuiditur prioribus, aut Dactylo, & Spondaeo, aut Spondaeo, & Dactylo, tamen medius Spōdaeus debet semper esse sequentibus Anapaesticis. Iam satis terris niuis, atque dirae, Sapphicum endecasyllabon: quod est trimetron Choryambicon catalecticon, cuius syllabam tertiam produxit in prima dipodia, quam corripere debuit, oportuit enim ita esse, Iam satis ter. posuit autem Iam satis ter. pro Choryambo. Epitritum secundum, id est ex longa, & breui, & duabus longis. Secunda Dipodia Choryambica est. Ris niuis at, tertio, quae dire, positus pes pro Dipodia. Bachius, aut propter indifferentiam syllabae hoc metrum clauditur Amphibracho, id est, & breui, & longa, & breui sic, Sic te diua potens Cypri, Gliconicon octosyllabon ex genere Asclepiadaeon est: huic enim si addideris Dipodia Choryambicon facies Asclepiadaeon sic, Sic te diua potens Cypri, diuiditur autem Spondaeo, Choryambo, Pyrrhichio, vel Iambo propter syllabae indifferentiam, Sic te diua potens Cypri: Soluitur acris hiems grata vice veris, & Fauni. Alcaicon.

FF 2 Ithypha-

Ithyphallicon, *Soluitur acris hiems grata vice Veris, & Fauoni.* Commixtum est ex Heroico, & Ithyphalico *Soluitur acris hiems grata vice*, hucusq. Heroicum: *Veris, & Fauoni*, hoc Ithyphallicum. *Trahuntq. siccas*, portio Iambici. sequitur Ithyphallici. *Machinae carinas.* *Vides ut alta stet niue candidum:* Alchaicon Endecasyllabon, cuius diuisio ista est. *Vides ut alta*, ex duobus Iambis, & syllaba, & sequentibus duobus Dactylis, vel propter indifferentiam syllabae Dactylo, & Amphimacro. *Stet niue candidum Soracte, nec iam sustineant onus*, sicut prior scanditur. *Siluae laborantes, geluque* Endecasyllabon, siluae spondaeus labo Iambus, rantes Spondaeus, gelu Iambus, quae syllaba, *Flumina constiterint acuto*, hoc constat ex quatuor pedibus Heroicis syllaba detracta breui in tertio pede. Fit enim integrum sic: *Flumina constiterint ab acuto.*

De pedum breuiatione Caput II

PEDES disyllabi sunt numero quatuor. Pyrrhichius ex duabus breuibus temporum duum, vt *Deus*: sed hunc alij Ege- mona appellauerunt, alij Dibrachin, alij Perijambum. Spondaeus ex duabus longis temporum quatuor, vt *Heros*. Iambus ex breui, longa temporum trium, vt *Dies*. Trochaeus ex longa, & breui temporum trium, vt *Comma*; sed hunc alij Chorium appellauerunt, alij Chordaceni. Pedes Trisyllabi sunt numero octo. Tribrachus ex tribus breuibus temporum trium, vt *Helena*, sed hunc alij Trochaicum appellauerunt, alij Pignoma, alij Brachisyllabon, Cicero enim de Oratore etiam Trochaeum appellauit. Molossus ex tribus longis temporum sex, vt *Aeneas*, hunc alij Hippiona appellauerunt. Bachius ex breui, & duabus longis, vt *Athenae*. Palimbachus ex duabus longis, & breui temporum quinque, vt *Natura*. Anapaestus ex duabus breuibus, & longa temporum quatuor, vt *Nebula*. Dactylus ex longa, & duabus breuibus temporum quatuor, vt *Romulus*. Amphibrachus ex breui, longa, & breui temporum quatuor, vt *Dicaris*. hunc alij Mesiten, alij Stollam appellauerunt. Creticus ex longa, breui, & longa, temporum quinque, vt *Sanitas*. & hunc alij Amphimacrum appellant. Tetrasyllabi pedes numero sedecim. Proceleusmaticus, qui fit ex duobus Pyrrhichijs, idest ex quatuor breuibus syllabis, & est temporum quatuor, vt *Habilior*. Dispondaeus, qui fit ex duobus Spondaeis, idest ex quatuor longis syllabis temporum octo, vt *Mecaenates*. Ionicus minor, qui fit ex Pyrrhichio, & Spondaeio, idest ex duabus breuibus, & duabus longis temporum sex, vt *Diomedes*. Ionicus maior, qui fit ex Spondaeio, & Pyrrhichio, idest ex duabus longis syllabis, & duabus breuibus temporum sex, vt *Iunonius*. Antispastus, qui fit ex Iambo, & Trochaeo idest ex breui, duabus longis, & breui temporum sex, vt *Clytemnestra*. Choriambus, qui fit ex Trochaeo, siue Chorio, & Iambo, idest ex longa, duabus breuibus, & longa temporum sex, vt *Nobilitas*.

Disiambus,

Dijambus, qui fit ex duobus Iambis, idest ex breui, & longa, & item breui, & longa syllabis, temporum sex, vt *Propinquitas*. Ditrochaeus, qui, & Dichorius, qui fit ex duobus Trochaeis, siue Chorijs, idest ex longa breui, & item longa, & breui temporum sex, ut *Dimicare*. Epitritus primus, qui fit ex Iambo, & Spondaeio, idest ex breui, & tribus longis syllabis temporum septem, vt *Venenati*. Epitritus secundus, qui fit ex Trochaeo, & Spondaeio, idest ex longa, breui, & duabus longis syllabis temporum septem, vt *Nicomedes*. Epitritus tertius, qui fit ex Spondaeio, & Iambo, idest ex duabus longis, breui, & longa syllabis, temporum septem, vt *Heroici*. Epitritus quartus, qui fit ex Spondaeio, & Trochaeo, idest ex tribus longis, & breui, syllabis temporum septem, vt *Nutritura*. Paeon primus, qui fit ex Trochaeo, & Pyrrhichio, idest ex longa, & tribus breuibus syllabis, temporum quinque, vt *Demodocus*. Paeon secundus, qui fit ex Iambo, & Pyrrhichio, idest ex breui, longa, & duabus breuibus syllabis temporum quinque, vt *Idoneus*. Paeon tertius, qui fit ex Pyrrhichio, & Trochaeo, idest ex duabus breuibus, longa, & breui, temporum quinque, vt *Menedemus*. Paeon quartus, qui fit ex Pyrrhichio, & Iambo, idest ex tribus breuibus, & longa syllabis, temporum quinque, vt *celeritas*. His multi adijciunt vnum Pentasyllabum Dochmium, qui constat ex breui, duabus longis, & breui longa, vt *Senatoriae*, & vt idem Cicero posuit, *Amicosthenes*.

De pedum Compositionibus Caput III

PX Trochaeo, & Molosso, idest ex longa, & breui, & tribus longis, vt *Dolor* compulsi. Ex Trochaeo, & Ionico minore, idest ex longa, & breuibus tribus, & longis duabus, *Regina superiorum*. Ex Trochaeo, & Choriambo, idest ex longa vna, & breuibus duabus, & longa vna, *Mihi perpetior*. Ex Trochaeo, & Ionico maiore, idest ex longa vna, & breui vna, & longis duabus, *Astra caelestia*. Ex Trochaeo, & Pentasyllabo, cuius media longa est, idest ex longa vna, breuibus tribus, longa vna, breuibus duabus, *Maiestate miserabili*. Ex Tribracho, & Molosso, idest ex breuibus tribus, & longis tribus. *Diferere compellor*. Ex Tribracho, & Ionico minore, idest ex longis quinque, & longis duabus, *Incredibilia tolerando*. Ex Tribracho, & Choriambo, idest ex breuibus tribus, et longis vna, et breuibus duabus, et longa vna. *Varia concupiens*. Ex Tribracho, et Ionico maiore, idest ex breuibus tribus, et longis duabus, et breuibus duabus, *Rapior in turbines*. Ex Tribracho, et Pentasyllabo, cuius media longa sit, idest ex breuibus quinque, longa vna, breuibus duabus. *Temere reuocabitur*. Item, secundum compositionis genus.

FF 3 Ex

- Ex Spondaeo, & Bachio, idest ex longis duabus, breuib; tribu, lon. vna, idest Bellum reficiunt.
- Ex Spondaeo, et Pacone secundo, idest ex lon. duabus, breui vna, longa vna, bre. duabus. Armis repleuerat.
- Ex Anapaesto, & Bachio, idest ex breuib; duabus, lon. vna, breui vna, & longis duabus. Aditus sonantes.
- Ex Anapaesto, & Pacone secundo, idest ex breuib; duabus, & longa vna, breui vna, lon. vna, bre. duabus. Iaculis frequentibus.
- Ex Anapaesto, & Pacone quarto, idest ex bre. duabus, lon. vna, bre. tribus, longa vna. Pedites fugiunt.
- Ex Amphimacro, & Spondaeo, idest ex longa vna, breui vna, & longis tribus. Obuios sternunt.
- Ex Amphimacro, & Anapaesto, idest ex longa vna, breui vna, lon. vna, bre. duabus, & longa vna. Comminus gladijs.
- Ex Amphimacro, & Daetylo, idest ex longa vna, bre. vna, lon. duabus, & bre. duabus. Victoria praediti.
- Ex Amphimacro, & Bachio, idest ex lon. vna, bre. vna, & lon. vna, & breui vna, & longis duabus. Hostibus repulsis.
- Ex Palimbachio, & Spondaeo, idest ex longis duabus, & bre. vna, & longis duabus. Praeclara Virtus.
- Ex Palimbachio, & Anapaesto, idest ex longis duabus, & bre. tribus, & longa vna. Prudentis animo.
- Ex Palimbachio, & Daetylo, idest longis duabus, breui vna, & longa vna, & bre. duabus. Laudanda iugiter.
- Ex Pacone tertio, & Spondaeo, idest ex bre. duabus, longa vna, & bre. vna, & longis duabus. Repetebat actus.
- Ex Pacone tertio, & Anapaesto, idest ex bre. duabus, longa vna, & bre. tribus, & lon. vna. Superatus animus.
- Ex Pacone tertio, & Daetylo, idest ex bre. duabus, & longa vna, bre. vna, lon. & bre. duabus. Aliena quaeritans.
- Ex Amphibracho, & Spondaeo, idest ex breui vna, longa vna, & breui vna, & longis duabus. Repulsus hostis.
- Ex Amphibracho, & Anapaesto, idest ex bre. vna, & longa vna, bre. tribus, & longa vna. Repente capitur.
- Ex Amphibracho, & Daetylo, idest ex bre. vna, lon. vna, & breui vna, & lon. vna, & breuib; duabus. Parantur agmina.
- Ex Spondaeo, & Iambo, idest ex lon. duabus, bre. vna. Cauffas videt.
- Ex Spondaeo, & Tribracho, idest ex longis duabus, & breuib; tribus. Sumptus temere.
- Ex Anapesto, & Iambo, idest ex breuib; duabus, longa vna, breui vna, & longa vna. Fremitus grauis.
- Ex Anapesto, & Tribracho, idest ex breui vna, longa vna, & breue tribus. Trepidati fugiunt.
- Ex Spondaeo Iambo, & Spondaeo, idest ex longis duabus, breui vna, & longis tribus. Cuncti cauent bellum.
- Ex Spondaeo Iambo, & Anapaesto idest ex lon. dua breue vna, & lon. vna, & breue duabus, & longa vna. Victi malis trepidant.

Ex Spondaeo

- Ex Spondaeo Iambo, & Daetylo, idest, ex longis duabus, breui vna, longis duabus. Rotris fecant gurgites.
- Ex duobus Iambis, & Spondaeo, idest, ex breui vna, longa vna, breui vna, longis tribus. Bonos docet ciues.
- Ex duobus Iambis, & Daetylo, idest ex breui vna, longa vna, breui vna, longis duabus. Struunt moenia.
- Ex Trisyllabo, cuius media breuis sit, idest, ex Cretico, & Iambo, & Spondaeo, idest ex longa vna, & breui vna, & longa vna, & breui vna, & longis tribus. Praelium cupit fortis.
- Ex Trisyllabo, cuius media breuis sit, idest, ex Cretico, Iambo, & Daetylo, idest ex longa vna, breui vna, longa vna, breui vna, & longis duabus, & breuib; duabus. Turbines timet fluctuum.
- Ex Trisyllabo, cuius media breuis sit. i. Cretico, Iambo, & Anapaesto, idest ex longa vna, breui vna, longa vna, breui vna, longa vna, & breuib; duabus, & longa vna. Gurgites fecant trepidi.
- Ex Trisyllabo, cuius media breuis sit. i. Cretico Trochaeo, & Spondaeo, idest ex longa vna, & breui vna, & longis duabus, & breui vna, & longis duabus. Lateribus auget Urbem.
- Ex Spondaeo, & Epitrito primo, idest, ex longis duabus, & breui vna, & longis duabus. Bellum suscitauit.
- Ex Trisyllabo, cuius media breuis sit, idest, Cretico, & Epitrito primo, hoc est longa vna, & breui vna, & longa vna, & breui vna, et longis tribus. Hostibus resistentes.
- Ex Trisyllabo, cuius media breuis sit, idest, Cretico, & Epitrito secundo, idest ex longa vna, breui vna, longis duabus, et breui vna, & longis duabus. Exercitum compulerunt.
- Ex Iambo, & Epitrito primo, idest, ex breui vna, et longa vna, & breui vna, et longis tribus. Fugam capebant.
- Ex Iambo, et Epitrito secundo, idest, ex breui vna, & longis duabus, et breui vna, longis duabus. Faces sustulerunt.
- Ex Spondaeo, & Pentasyllabo, cuius duae primae breues sunt. Iustus rationalis, idest duae primae longae, duae sequentes breues, et tres vltimae longae Cuius exemplum sursum.
- Ex Spondaeo, et Pentasyllabo, cuius secunda breuis sit. Multum praeferebat. idest tres primae longae, quarta breuis tres vltimae longae. Cuius exemplum sursum.
- Ex Trisyllabo, cuius media breuis sit, idest, Cretico, et Pentasyllabo, cuius secunda breuis sit, & quarta longa quinta breuis et tribus vltimis longis. Exemplum sursum.
- Ex Trisyllabo, cuius media breuis sit, idest, Cretico, & Pentasyllabo, cuius secunda breuis sit. Instantia comprobatur, idest ex prima longa, secunda breui, tertia longa, quarta breui, & tribus vltimis longis. Cuius exemplum supra.
- Ex Iambo, et Pentasyllabo, cuius duae primae breues sint. Rates reparabantur: idest, ex prima breui, secunda longa, & tertia, & quarta breui, & tres vltimae longae. Bonus consulebatur.
- Ex Iambo Pentasyllabo, cuius secunda breuis sit, prima, et secunda, et tertia longae et quarta breuis, et tribus vltimis longis. Cuius exemplum supra.





INDEX



INDEX TESTIMONIORVM VNDE LAPIDEA
DE PRISCIS CAESIIS
MONVMENTA A FONTEIO COLLECTA SVNT.




- 1  YRIACVS Anconitanus anno M. CCCCXXX. hoc studio antiquitatis flagrans, multa congeffit. exstat liber apud Ciuem Romanum auctus, vt videtur à Germano quodam, homine docto temporibus Pomponij Laeti. vt edū habui Fuluij Vrsini opera.
- 2  Fr. Ioannes Iucundus Veronen. an. M CCCCXXXIII. libros duos antiquorum Epigrammatum confecit, & Laurentio Medici dicauit. horum prior, in quo se testatur omnia vidisse, ad manus meas dono peruenit.
- 3 Thomas Scandianus, anno MDV. reliquit librum Graecis, & Latinis Epigrammatibus plenū. Nunc commodato mihi dedit Fuluius Vrsinus.
- 4 Iacobus Mazochius, Romanae Academiae Bibliopola, studio Angeli Colotij, Marij Volaterrani, Aquinatis Episcopi, atque eius tempestatis doctorum hominum Urbis Romae Epigrammata, quae habuit, in lucem dedit, anno MDXXI.
- 5 Paulli Aemilij Caesij Cardinalis antiquorum monumentorum Farrago, in quibus Andreae Alciati, Titij, Chermadij, Angeli Corytij, Fabij Vigilij, doctissimorumque hominum schedae exstant. MDXXXV.
- 6 Petrus Appianus, Math. & Bartholomaeus Amantius Inscriptiones verustatis ex toto Orbe collegerunt, fauente Raymōdo Iugero, atque Ingolstadij, in Germania publicis Typis volumen euulgarunt, anno. MDXXXIV.
- 7 Farnesianus Codex omnium optimus, ac fidelissimus confectus olim labore, ac diligentia eruditi viri è familia Cardinalis Carpenfis. MDL.
- 8 Torellus Sarrayna I. C. Veronen. & Urbis Veronae, & agri antiqua Epigrammata descripsit, atque edidit anno MDXL. Alexander Sarraticus Medicus adiecit, quae ille omiserat.
- 9 Honufrius Panuinius Veron. Fr. Augustinianus libros suos multis veteribus inscriptionibus refert. praecipue commentaria in Fastos, & volumen de Ciuitate Romana. MDLVI.
- 10 Bernardinus Scardeonius Canonicus Patauinus, edidit Parauij antiquitates. MDLX.
- 11 Ioannes Baptista Nazarius libellum, cui Brixia antiqua titulum fecit, multis Epigrammatis auctum edidit. MDLXXII.
- 12 Oculi nostri, & amicorum, qui suo loco nominantur, ipsaq; obuia monumenta, reliquum in testimonijs locum habent. MDLXVV.
- 13 Benedictus Iouius Comensis, Paulli historici Frater, vir doctissimus, anno. MDIX. patriae inscriptiones collegit, exemplar multi habent. Archetypum, vt videtur, vtendum dedit Basilius Pallaucinus medicus.
- 14 Alciatus I. C. Libellum Epigrammatum extra patriam collectorum: Autographon alumno suo P. Donato Caesio Cardinali. d. d. MDXXXVI.
- 15 Volfangus Lazius, Medicus, atque Historicus edidit Comentariorum Reip. Romanae, à veteribus Epigrammatibus instructissimos. MDLI.
- 16 Aldus Iunior P. F. A. N. opus edidit de Orthographiae ratione, ex antiquis lapidibus probata, anno. MDLXVI.



PRISCORVM CAESIORVM
CAESIARVMQ. MVLIERVM
NOMENCLATIO.



	Caesius Antiquior poeta Latinus. Ex Q. Cornificio, Catullo, Guarino, & alijs.	15
	C. Caesius Bassus poeta Lyricus.	72
	C. Caesius C. F. Agrippa. Ex lapide Veronenfi.	168
	C. Caesius C. F. Ingenuus. Ex lapide Poetouionenfi, in Pannonia.	165
	C. Caesius Q. F. Ter. Niger. Ex lap. Ro. apud Hieronymum Alterium.	160
	C. Caesius Romanus. Ex Tabella aenea Cremonenfi, Romana, Veneta.	103
	C. Caesius Nepos. Ex lapide Vrbeuetano, nunc Romano.	109
	C. Caesius Ianuarius. Ex lapide Ro. ad S. Basilium in aedibus L. Particappae.	109
	C. Caesius Callinicus. Ex lapide Burgi sancti Sepulchri.	110
	C. Caesius Priscus. Ex lapide Rom. Farnesiano.	106
	C. Caesius Symphorus. Ex eodem.	
	C. Caesius Syntrophus. Ex eodem.	
	C. Caesius & lemes. Ex lapide Amerino.	163
	C. N. Caesius Decumanus. Ex M. Tullij Ciceronis Orationibus in Verrem.	37
	C. N. Caesius Zosimus. Ex lapide Rom. nunc in hortis Caesijs.	164
	L. Caesius, comes Q. Ciceronis Procos. in Asia. Ex M. Tullij Epistolis ad Q. Fratrem.	42
	L. Caesius, Triumuir A. A. A. F. F. Ex Nummo Argenteo.	59
	L. Caesius, L. F. Sab. Caesius Balbinus. Ex lap. Castren. & in monumento Paulli Cardinalis.	142
	L. Caesius, L. F. Sab. Valens. Ex eodem.	
	L. Caesius, L. F. Balbinus. Ex eodem.	
	L. Caesius L. F. Pollio Aed. Cens. Ex lapide Hispalen. in Hispania.	140
	L. Caesius Asiaticus, vi. Vir. Ex Lapide Laudepompeiano.	138
	L. Caesius Florus Procur. Iudaeae. Ex Iosippo, Hegesippo, Marino.	144
	L. Caesius Ampliatus. Ex lapide Neapolitano.	144
	L. Caesius Priscus. Ex lapide Rom. ad S. Georg.	141
	L. Caesius Lucifer. Ex eodem.	
	L. Caesius Tallus. Ex lapide Rom. Farnesiano.	106
	L. Caesius L. L. Cyrus. Ex P. Aelio Phlegonte, Tralliano in Macrob.	
	L. Caesius L. L. Agathangelus. Ex lapid. Rom. in hortis Caesijs.	157
	L. Caesianus Largus. Ex lapide Comensi.	44
	L. Apronius Caesianus, Cos. Ex P. Cornelio Tacito, & nummo Argenteo.	43
	M. Caesius, Scriba, & Imperator. Ex Val. Maximo, & alijs.	6
	M. Caesius, Praetor Vrbanus. Ex M. Ciceronis Orationibus in Verrem.	24
	M. Caesius, Aedilis Arpinas, Ex M. Ciceronis Epistolis ad Brutum.	51
	GG M. Caesius	

M. Caesius Scaeva, Centurio Caesaris. Ex Val. Max. Plutarcho, Suetonio, &c.	44
M. Caesius Q. F. Veteranus. Ex lapide Veronensi, & multis.	90
M. Caesius M. F. Magnus, Duumvir. Ex lapide Aquilano.	131
M. Caesius T. F. Aedilis. Ex lapide Narbonen.	151
M. Caesius Marcianus. Ex columna marm. nunc in aedibus Caesijs.	135
M. Caesius Castrensis. Ex eodem.	
M. Caesius Chresimus, Augustalis. Ex lapide Rauennati.	245
M. Caesius Euthyches, Decur. Ex lapide Rauennati, ad S. Agathae.	149
M. Caesius Primus. Ex lapide Rom. Farnesiano.	106
M. Caesius Epaphroditus, pater. Ex lapide Rom. nunc in hortis Caesijs.	136
M. Caesius Epaphroditus, filius. Ex eodem.	
M. Caesius L. F. Mutilus. Ex lapide in Belgio, prope Arciburgium.	137
M. Caesius M. F. Kaeso. Ex eodem.	
M. Caesius Eunus, vi. Vir. Ex lap. Opitergino, in aed. Melchiorum.	152
P. Caesius Eques Romanus. Ex M. Ciceronis Oratione pro Balbo.	20
P. Caesius Junior in Magistratu. Ex M. Ciceronis Epistolarum lib. ad Memmium.	29
P. Caesius P. F. Aedilis. Ex lapide Lucerino.	32
P. Caesius P. L. Phosphorus. Ex Epistolis Plinij ad Traianum.	88
P. Caesius P. L. Crescens, Cur. Regionum. Ex lapide insigni, Capitolino.	35
P. Caesius Hilarus. Ex Sepulchretis Latinae Viae.	36
Q. Caesius M. F. Ex lapide Mantuano.	94
Q. Caesius Q. F. Signifer. Ex lapide Veronensi.	89
Q. Caesius Q. Vibij pater. Ex lapide Venafrano.	96
Q. Caesius Secundus. Ex lapide Veronen. in Medici aedibus.	95
Q. Caesius Lucanus. Ex eodem.	
Q. Caesius Fontinalis. Ex lapide Rom. nunc in aedibus Caesijs.	96
Q. Caesius Q. L. Primus. Ex lapide Veronen. & multis.	165
Q. Caesius Pancarpus. Ex lapide, & Vrna, in hortis Caesijs.	181
SEX. Caesius Eques Romanus. Ex Oratione. Ciceronis pro L. Flacco.	40
SEX. Tettius Sex. F. Caesius Sab. Aed. Ex Epigrammate Salsinati.	97
SEX. Caesius Hilarianus. Ex lapide Romae, nunc in hortis Caesijs.	156
T. Caesius I. C. Scriptor. Ex Pomponio de Origine Iuris.	55
T. Caesius Primus, Praefectus Annonae. Ex lapide Praenestino, & multis.	111
T. Caesius Taurinus filius. Ex eodem.	
T. Caesius T. F. Herodes. Ex Altero lapide Praenestino.	121
T. Caesius C. L. Chilo, vi. Vir. Ex lapide Opitergino, in aed. Melchiorum.	130
T. Caesius Bassianus Senator. Ex lapide Neapolitano.	126
T. Caesius T. F. Perficus. Ex lapide Rom. ad fontem hortorum Caesiorum.	154
T. Caesius Hermes, Postumianus. Ex eodem.	
T. Caesius Agatho. Ex eodem.	
T. Caesius Hilarus. Ex lapide Rom. in hortis Caesijs.	156
T. Caesius Lyfimachus. Ex lapide Saffinate.	159
T. Caesius T. L. Onesiphorus. Ex lapide Rom. in hortis Caesijs.	157
T. Caesius M. F. Kaeso. Ex lapide in Belgio, prope Arciburgium.	137
T. Caesius Diophantus. Ex lapide Tudertino.	134

CAESIAE

CAESIAE MULIERES.

Caesia Acuria. Ex lapide Plebis Incinae, Brixiani agri.	177
Caesia Seuera. Ex lapidibus Aquilano, & Tudertino.	131. 134
Caesia C. F. Cemetiana. Ex lapide Amerino.	163
Caesia Secunda. Ex lapide Rom. ad Pantheon.	180
Caesia P. F. Quarta. Ex lapide Traguriensi.	183
Caesia Ingenua. Ex lapide Poetouionensi.	165
Caesia Victoria. Ex vrna in aedibus Caesijs.	153
Caesia Fortunata. Ex eodem.	
Caesia M. F. Festa. Ex lapide Materni.	186
Caesia Optata. Ex lapide Traguriensi.	182
Caesia Didu. Ex lapide Tudertino.	134
Caesia Mater. Ex lapide Nursino.	187
Caesia Fusca. Ex lapide Gambarae.	177
Caesia Victrix. Ex lapide Rauennat. ad S. Ioannem Euang.	179
Caesia Paccia. Ex altero lapide Rauen.	179
Caesia Germana. Ex lapide Rom. in aedibus Caesijs.	156
Caesia Funam. Ex lapide Veronen.	178
Caesia Flora. Ex lapide Rom. in hortis Caesijs.	136
Caesia Grata. Ex lapide Opitergino.	152
Caesia Chresime. Ex lapide Rauen. Rasponum.	145
Caesia Casiana. Ex lapide altero, ad S. Vitalis Rauennae.	184
Caesia Panthera. Ex lapide Stratae Patauni agri.	185
Caesia Olympias. Ex lapide Rom. nunc in aedibus Caesijs.	178
Caesia Calliope. Ex lapide Rom. in hortis Caesijs.	164
& Caesia Anaphe. Ex lapide ad fontem Caesiorum.	154
Caesia Perfis. Ex eodem.	
Caesia Zoe. Ex lapide Rom. in aedibus Vallae.	187
Caesia Spatale. Ex lapide Rom. in hortis Caesijs.	157
Caesia C. L. Theoris. Ex lapide Alteriorum.	160
& Caesia Marillis. Ex lapide Rom. in aedibus Caesijs.	181
Caesia Licini L. Ex lapide Rom. in aedibus Bubal.	180
Caesia Plautij. Ex eodem.	

Caesij, qui leguntur sine praenomine.

Caesius Rex Argiuorum. Ex Paufania, & alijs.	2
Caesius Temeni filius.	3
Caesius Cordus Procons. Cretae, & Cyren. Ex Cornelio Tacito.	63
Caesius Nasica, Legatus Legionis. Ex eodem.	67
Caesius Sabinus, Patronus, & Vmbriae ornamentum. Ex Val. Martiali, & alijs.	79
Caesius Siluanus, Cons. Ex Caecilij Plinij Epistolis Cuspiniani.	85

Caesius de Dijs scriptor. Ex Arnobio. **V M E A I E H A D**
 Caesius Numerarius Apparitionis, & Magister Equitū. Ex Ammiano Marcellino. 168
 Caesius Aequidicus. Ex Mar. Epigrammate Romano in Caesiorum cubiculo. 174
 Caesius Stipendorum XIII. Ex lapide Narbonensi. 91
 Caesius Pangelianus. Ex lapide Rom. in aedibus Caesii. 153
 Caesius Pallelienus. Ex eodem. 153
 Caesius Fontanus. Ex Corio Historico Mediolanensi. 188

Caesios qui intelligant, etiam si non nominent.

Scaeuam Caesar, Lucanus, Appianus, Val. Maximus, & alij.
 Bassum Propertius, Ovidius, Persius, Priscianus, & alij.
 C. Bassum Lactantius, Gellius, Macrobius, Fulgentius, & alij.
 Sabinum Martialis, Caecilius, Plinius, vt Cataneus, & Cuspianus aiunt
 Florum Iosephus, Hegisippus, Eusebius, & Sacri historici.

Veteres Auctores qui diserte nominant CAESIOS.

M. Tullius Cicero.
 Q. Cornificius.
 M. Fabius Quintilianus.
 C. Valerius Catullus.
 P. Cornelius Tacitus.
 Valerius Maximus.
 Suetonius.
 Plutarchus.
 Pomponius de Origine iuris.
 Caecilius Plinius alicubi.
 Iosephus.
 Hegisippus.
 M. Annaeus Cornutus.
 Probus, sive Cornutus, Grammaticus.
 Diomedes.
 Arnobius.
 Ruffinus de Metris.
 Pausanias.
 Caesii Bassi ipsa Fragmenta, quae supra edita sunt.
 Corius Historicus.


Veteres Auctores, qui designant CAESIOS, tametsi non nominant.

C. Caesar.
 Appianus Alexandrinus.
 Caecilius Plinius alicubi.
 Martialis alicubi.
 Persius Satyricus.
 Val. Max. alicubi.
 Propertius.
 Ovidius Naso.
 Annaeus Lucanus.
 A. Gellius.
 Macrobius.
 Fulgentius,
 Priscianus.

INDEX

INDEX RERVM, TAM QVAE IN FONTEII QVAE IN C. CAESII BASSI, ad Fonteium ipsum adiuncti, operibus insunt.



A	
	Dismissio vox quid apud Romanos importaret. 161
	Adoptatus quae nomina tenebat, & quae relinquebat. 98
	Aedilitas cuius ponderis esset, & dignitatis. 53
	Aegera vrbs. 118
	Aequinoctia quando. 207
	Aetna Siciliae vrbs à L. Pimario Romano direpta. 12
	Aegerius Iuppiter. 118
	Amidea Mesopotamiae vrbs clarissima. 172
	Anaphe mulier quae dici possit. 155
	Andreas Caesius instaurator praesentis Caesiae familiae. 188
	Andromedae stellae fabulosa narratio. 213
	Anni finitae militiae per milites diuersi. 107
	Annonae curatio principibus iuris dabatur. 116
	Anni 1526. in quibus fere semper aliqui Caesii vixerunt. 188
	Anni vrbs, quibus Caesiorū viri viguerunt. 6
	Anulo donabatur in Equitum numerum receptus. 99
	Annus, quo bellum Romanum cum Cartaginensibus coepit. 7
	Annus coepti belli inter Romanos, & Tarentinos. 7
	Apollo quare sol nuncupetur. 222
	Apparitores qui dicerentur, & eorum dignitas. 169, & 170
	Aquarij signi celestis narratio. 216
	Aquilifer quid erat in Legione. 92
	Aquilae astri narratio pulcra. 217
	Argiui Romam adeuntes, in Saturnia sederunt. 4
	Arctus stella cur in caelum translata. 219
	Arcturi duo. 208
	Aries, & Capricornus genituram felicem denunciant. 93
	Arietis signi celestis fabula. 214
	Aristodemus Herculis filius partem Regni tenuit. 3
	Aselli stellae in caelo. 211
	Aspectuum stellarum nomina explicata. 223
	Augustalis dignitatis exhibitio à Decurionibus dabatur. 147
	A. Gellij locus separando litteras emendatus. 18
B	
	Baptistae Guarini de C. Caesij nomine lapsus. 15. & 16
	Bestiae pro Dijs cultae quare. 216
	Belli Romanorum cum Tarentinis causa. 7
	Biga quare Lunae adscribitur. 223
	Bobij reperta sunt plura volumina in diuersis facultatibus, anno 1404. 205
	Britanni robore Germanos, ferocia Gallos, & peritia Hispanos praestabant. 67
	Britanni ex Germanis, Gallis, et Hispanis consistere creditur. 67
	Britannia locus non voluptatis, sed laboris erat. 67
C	
	Caesa vox, seu vocabulum Punicum. 1
	Caesar Dictator, primus viuis flaminem habuit. 100
	Caesar Dictator primus cum exercitu Britanniam ingressus, Britannos felici praelij euentu terruit. 67
	Caesia gens quando viris magnis, & illustribus floruit. GG 3

I N D E X.

floruit.	105	227. eius mors.	78
Caesianus contra Tacfarinatem in Africa prospere bellum gessit.	44	Caesius Sabinus natura Umbriam, iure Romanam patriam habuit.	8
Caesiorum multorum multa, & varia cognomina.	176. vsque ad 187	Caesius Scaeva quo rei ordine ad honores peruenit.	45. 49
Caesiae familiae cum familia Vlpia necessitudo.	168	Eiusdem egregia facinora.	201. 202
Caesiae gentis viri in quibus locis versabantur.	5	Caesius Florus in Iudaea Procurator ultimus	144
Caesiae gentis virorum dignitates, & officia.	5	Caesij D. Clementi templum in Mutinensi agro condidero.	163
Caesiae gentis multorum cognomina.	5	Caesij à Iuuentia familia adoptati.	107
Caesiae gentis affinitas, & familiae affines.	5	Caesones, & Caesij unde.	137
Caesiae villae, & Caesium oppidum.	2	Caeti stellae consideratio.	220
Caesiae gentis viri ciuitate Romana donati, & quando.	105	Calistonis, & Arcadis narratio.	208
Caesiae siluae.	1	Calliopolis vrbs Traciae.	164
Caesi liberi à Pausania nominati.	3	Callinici nomen quid apud Graecos	110
Caesij populi versus Indos.	2	Callimicus Patriarcha Constantinopolitanus, ignis artificialis inuentor.	110
Caesi nepotes sedem in Italia quaesierunt.	3	Camulodunum Colonia in Britannia.	69
Caesij in quibus locis praedia, & fundos habuerunt.	74	Cancris signi caelestis fabula egregia.	211.
Caesij à nomine viri Caesi dicti.	1	Canophorae dicuntur quaedam signorum partes.	207.
Caesij Sabini pietas, & in extruendis dicendisq. templis magnificentia.	80	Caniculae sidera.	216
Caesiorum posteriorum viginti, & ultra iuris consulti.	57	Capricornus sidus.	216
Caesiorum virorum praenomina multa. 4, et 5		Caractacus Britanniae Rex potens	69
Caesiorum origini Varro fauet.	4	Castoris, & Pollucis consideratio	211
Caesiorum feminae materna cognomina sequitae.	143	Cassiopeia sidus.	213
Caesiorum virorum per nomina cognitorum, cum testimonio lapidum.	150. & 188	Castrensium quis.	136
Caesiorum primorum Chronologia.	190	Cephei sideris consideratio.	213
Caesiorum posteriorum praenomen Angelus.	157	Censorio magistratu nihil sanctius, atque securius.	28
Caesium litus in Corsica.	1	Centauri sideris narratio.	221
Caesius Fluuius è monte Tauro.	1	Chilo ingenuorum cognomentum.	131
Caesius, quomodo cum scriba esset, Imperator dictus.	9	Chresimus, id est utilis, Caesiarum cognomen.	147
Caesius Aquidicus ad centesimum aetatis annum felix peruenit.	119	Cicero Lucretij poemata emendauit.	77
Caesius Bassus quo tempore floruit.	205	Ciues Romani in Latinam Coloniam nomen dantes Romanam ciuitatem amittebant.	105
eiusdem laudes 202. eius opera. 176. à Quintiliano visus 205. eius liber de Verborum origine 204. eiusdem liber de Dijs ibidem eiusdem de stellis 207. de metris		Ciuitate donatus habens uxorem peregrinam non procreabat filios ciues Romanos, nisi ex indulto hoc habuisset.	107
		Ciuum Romanorum nomina in aeneis tabulis conscripta.	104
		Claudius Imperator sibi, & Legatis Britanniae seminarium triumphorum fecit.	68
		Cogidunus Rex in Britannia.	69
		Cogno-	

I N D E X.

Cognomena familiarum, & hominum unde manarint.	2	Decuriones Militum, & collegiorum erant.	149
Cognomina aliqua, non ad distinguendum, sed ad ornandum sunt.	122	Delatores homines publico exitio reperti.	65
Cohors prima in Legione reliquas militum numero, & dignitate alias praecedebant.	92	Delta sidus.	214
Cohors prima in Legione Aquilae signum gestabat.	92	Delphinus sidus.	217
Color glaucus Graece, Latine Caesius dicitur.	1	Dendrophori, qui essent Romae.	128
Comitis Praetoris in prouincia munus, & officium.	42	Dies omnium anni longissimus qui.	224
Consules Magistratum inibant mense Ianuario, & Iulio	64	Dolichemus Iuppiter unde dictus.	146
Continuata praenominum similitudo in aliqua familia coniunctionem stirpis, et generis propagationem demonstrat.	127	Draconis abula.	209
Contubernalis mulier quae dicebatur.	108		
Contubernales in Prouinciis cum Magistratibus euntes, filij Senatorum erant.	40	E	
Cordus quis diceretur apud Romanos.	66	Equo publico militare, & donari, munus magnum erat.	99
Coronis, floribusq. templum dierum redimita videbantur.	118.	Equi Seiani descriptio, ut visus est à C. Basilio.	204
Coronae signi in caelo consideratio.	209	Eques Romanus quantum in censu habere debebat.	25
Crater caeleste signum.	221	Equites aliorum locorum facti, ciues Romani in Plebe censebantur.	25
Crines Berenices, & eorum fabula.	212	Equites Romani tam Romae, quam in Prouincijs Publicanum agebant.	33
Cresphontes Herculis filius Messenem recepit.	3	Equi signi in caelo fabulosa narratio.	213
Curio Maximus quis dicebatur.	162	Erigone.	210
Curiones Sacerdotes, & eorum officium.	162	Et dictio, seu particula in antiquitatibus quomodo ponatur, ibidem.	
Curatoris nomen ad multa officia, & exercitia se extendebat.	35	F	
Currus hominum quadrigae Solis similes.	212	Fabij à Fouo Herculis filio prognati.	4
Cycni sidus.	215	Foederati P. R. quomodo considerentur.	25
Cyrenenses homines suis rectoribus semper insensiti.	66	Familiae alicuius Romanae in uis non terminare, aut desinere nomen.	96
		Fatua, Fauni uxor, quare sic dicta.	204
D		Fecialis bellum indicens, in hostium fines arietem mactabat.	92
Decumani honoratissimi in Romana Republica reputabantur.	38	Fescennia à quo condita est.	3
Decuriae Iudicum quot fuerint.	162	Figurae stellarum à Mathematicis in caelo considerantur.	207, & 208
Decuriae iudicum à Praetoribus legebantur.	162	Flamines quomodo inaugurabantur, & alia.	100
Decuriones in pluribus generibus munerum erant.	161	Flamines qui. 101. eorum officium.	102
		Fluuij in caelo sideris fabula.	220
		Fontinalis Caesii cognomen.	90
		Fortunae Primigeniae Tullius Rex sanum uouit.	123
		GG 4	Fortuna-

I N D E X.

Fortunarum simulachra apud Antium. 118
 Furia Prima Q. Caesij uxor. 94
 Futurus ciuis Romanus non manumittebatur,
 nisi ab Imperatore. 34

G

Gallia Cisalpina fertilis regio. 52
 Genius Romanus belli tempore sagittam, sacro-
 rum autem pateram habet. 61
 Germanici nomen nemo, nisi cum beneuolentia
 usurpauit. 65
 Graeci a patria pulsati in Italia tutum portum ha-
 bebant. 3
 Gyraldi lapsus in describenda antiqua tabula.
 114

H

Hierosolyma ciuitas suspiciosa, & maledica
 Ro. 41
 Hilus Hercules filius Euristeum interfecit. 2
 Helice, & Cinosura quare caelesti honore do-
 natae. 209
 Hiadum Stellarum pulchra narratio. 213
 Hydra in caelo. 221

I

Imagines, & statuas ponere, etiam plebis
 erat. 102
 Imago artificialis nulla durabilior, quam quae
 versibus est scriptorum efficta. 120
 Imperatores quorum aetate gentis Caesiae vi-
 ri fuerant. 6
 Ingenuus Imperator inter triginta Tyrannos re-
 positus, Caesius dictus putatur. 167
 Iniuriae caelestis duo nomina. 225
 Iouis Ammonis templum à quo constructum. 214
 Iustitia in homine fundamentum commenda-
 tionis. 116

K

Kaeso, praenomen Caesiorum. 91

Kaefones ijdem apud antiquos, qui et Caefiones.
 137

L

Laeteus circulus in caelo. 225
 Laesae Maestatis rei, urbe cedebant, bonisq.
 amissis aqua, & igni arcebantur. 66
 Lapides multi de Caesij testantes, non longe ab
 Arpinati agro vituntur. 53
 Lares, Lemures, Manes, qui dicerentur apud
 antiquos. 132
 Lares cur caninis pellibus amicti fiebant. 62
 Larium accurata consideratio. 62
 Laudari à ludatissimo quilibet gaudet. 24
 Laus summa est in nobili solo maiorum vesti-
 gia fixa possidere. 81
 Legati, & Praefeti nomen in Britannia idem
 important officium. 72
 Legio quartadecima Rom. nobilior alijs. 90
 Legum notitia praestat rebus honestis omnibus.
 55. & 56
 Legionarius non Romanus quomodo in Legione
 stabat. 8
 Legionarius miles, ciuis Romanus erat. 8
 Leporis sidus consideratio. 219
 Leo signum. 212
 Libertas quas qualitates habere debet. 256
 Libertorum tria genera. 34
 Liberti, aut dedititij, aut Latini, aut ciues Ro-
 mani dicebantur. 34
 Loca Romae, in quibus de Caesij memoriae
 sunt. 6
 L. Aelius Varronis magister. 18
 Luna quot horis, & diebus Zodiacum peragit
 cursu. 222
 Lyrae sideris narratio. 215

M

M. Caesius primus de Caesia gente nomine
 notus. 6
 Magistratus Prouinciarum, aut Questores, aut
 Legatus, aut Contubernales secum in Pro-
 uincias ducebant. 40
 Maie-

I N D E X.

Maestatis crimen tempore Tiberij Imp. omniu
 accusationum complementum. 65
 Magni extimabatur quicquid beneficij per Im-
 peratorem dabatur. 99
 Mamertini Pyrrhum vulnerarunt, & exerci-
 tum eius perturbarunt, & quando. 10
 Maior est laus, si difficultate agendorum pa-
 retur. 21
 Marcana familia antiqua Romae. 159
 Margana familia Ro. nunc wigens, à Marca-
 na antiqua deducta putatur. 160
 Martialis poeta plurimum fellis, & salis ha-
 buit. 79
 Martialis poetae aetate poetarum foetus uber-
 rimus erat. 82
 Maro Caesij filius. 3
 Mestis Deae nomen, & eius significatio. 139
 Militis boni qualitates plures. 93
 Milites equo publico, & equo proprio meren-
 tes. 99
 Milites buccinae cantu exsuscitantur, Iurecon-
 sulti gallorum. 55
 Missionum, aut dimissionum militum Rom.
 tres causae. 107
 Multis medijs facultas erat Rom. ciuitatis ac-
 quirendae. 106

N

Nauis sideris narratio. 220
 Nemesis etiam Leda dicitur. 215
 Naxus insula, alias Calliope dicta. 164
 Niger cognomen multarum familiarum. 161
 Nobilitas Romana ceteris alijs praeponebatur
 117
 Nobiles aliorum locorum ciuitatem Ro. alicu-
 ius nobilis Romani fauor adepti, ab illo no-
 men desumebant. 106
 Nomina multorum in varias familias adopta-
 torum. 43

O

Opalia festa quae erant antiquitus. 122
 Opima spolia quae. 122

Opulenti à qua re denominentur. 122
 Ortus, & occasus stellarum quando. 223
 Orionis signi in caelo constituti, & Scorpionis
 fabula. 210
 Orionis sideris fabula. 218

P

Papiria tribus quas urbes haberet. 166
 Parca Opis dicta à Graeca uoce. 122
 Parcus unde dicatur. 204
 Patronis statuae clypei, & alia ornamenta pone-
 bantur in Municipijs, & locis. 101
 Paullus Caesius Cardinalis gentis Caesiae co-
 gendae curam suscepit. 139
 Perotti lapsus. 8
 Penatum deorum consideratio. 203
 Pertinax Imp. Fortunae pila uocatus. 123
 Poetouio, uel Poetouium urbs Pannoniae su-
 perioris. 165
 Perseus in mari natus. 215
 Persona uox considerata à Caesio Basso. 204
 Piscium signi, & sideris consideratio. 214
 Philipporum Marciorum familia à quo coepit. 4
 Phalisca ab Argiuis condita. 3
 Plebeius in patria sua, Romae eques esse non po-
 terat. 25
 Pyrrhus Graecorum, & transmarinorum pri-
 mus Ro. intulit bellum. 7
 Pleiades sidera. 213. 215
 Poenarum sepulchralium cognitio ad Pontifices
 spectabat. 41
 Pompeius victor ex sano Hierosolymorum ni-
 hil attigit. 41
 Pompeius omnium gentium laudes supera-
 uit. 24
 Pontificum Ro. numerus, potestas, & officium.
 100
 Pontifices loca pro tumulis assignabant. 157
 Postumus sine aspiratione sculptum reperitur.
 155.
 Praefecti ammonae, et eius officij pulchra consi-
 deratio. 115
 Praetores quo munere, & honore Romae frue-
 rentur. 27

Procura-

I N D E X.

Procuratorum Iudaeae plurima nomina. 143.
 & 144.
 Praefecti Annonae cura, & officium. 116
 Publicani Equestris ordinis flos. 37
 Publicani ordini Senatorio proximi. 37
 Publicani Reipublicae firmamentum. 37
 Pudens cognomen quorum fuit Roman. 128
 Pudor fidei, & pudor famae diuersi. 117

R

Racondius Lusitanus antiquitatum collector. 139.
 Ratio, cur gentis Caesiae continuata fines non habeat. 189
 Rauennas populus ex Vmbria. 23
 Rhegini, de Tarentinis victum suppeditarent, ieiunabant. 11
 Rheginae Urbis pars Phoebia nūcupabatur. 11
 Romanus ciuis alij ciuitati ascriptus, Rom. Urbis ciuitatem amittebat. 26
 Romae, & in Republ. Rom. duo genera hominum erant, vnum ad magistratus, aliud ad negotia conuersum. 37

S

Sabatinus lacus, hodie Anguillariae. 144
 Sagittarij signi consideratio. 217
 Sagittae sideris facti fabula. 217
 Sarta tecta templorum curare, quid Romae importabat. 28
 Satyrus auctor de familijs Alexandrinis historiam fecit. 3
 Sassina Vmbriae municipium graue, & honestum. 98
 Scaevae, & Scaeuolae cognomina Romanorū. 51.

Scalptores antiqui plerunq. incidentes errant. 156
 Scotti gens rebellis, & intractabilis. 71
 Scorpius signum Zodiaci. 210
 Scriba in exercitu quas habere debebat qualitates. 15
 Scribarum in exercitu Rom. dignitas. 14. 15

Scriptores antiqui de Caesijs memoria facientes. 6
 Sepulcrales leges descriptae. 150
 Serpentarius in caelo signatus ab Astrologis, quid fuerit, & eius consideratio. 210.
 Sidones nauigant adspicientes Arcturum. 209
 Signifer quid, et qualis in Legione esse debebat. 92
 Signifer in caelo vbi incipiat. 207
 Sillanus praeno. C. Iunius ex familia Romana fere omnium nobilissima. 65
 Solis equorum nomina, & effectus. 223
 Sodalis quis esset, et quid à Flammine differret. 101
 Socij Po. Ro. quomodo considerarentur. 25
 Solstitia quando fiunt. 207
 Spatiale nomen delicias significat. 158
 Statuarum ponendarum ratio, & causa Romanae. 115.
 Statuae truncae, quibus alia capita imponi poterant, Hermae dictae. 155
 Statuae à quibus rebus interitum capiant. 120
 Stellae in caelo positae, quomodo cum signis Zodiaci iaceant. 207. 208
 Stirpes plures ab hominis nomine vocatae. 3
 Stirpes à uiro insigni, tanquam à Principe generis, nominatae. 1
 Suburra regio primo Argiuorum fuit. 4
 Supplicatio antiquorum Laribus, Vulcano, & Ioui familiari. 61
 Sylures Britannorum omnium acerrimi. 69
 Syrii stella, & eius consideratio. 219
 Syri quare pisces non edant, & columbas decorent. 214. & Pisces argenteos in templo habeant. 220

T

T. littera Caesijs praeposita, Tertios non Titos notat. 4
 Tabulae, in quibus aliquid memorabile esset incisum, in templis, postibus, & muris publicis ponebantur. 104
 Tacitus auctor temporum iniuria spoliatus. 67
 Tarentum à quo fundatum. 3
 Tauri signi caelestis narratio. 213
 Tib.

I N D E X.

Tib. Augusti laus in deligendis ad Magistratus viris. 63
 Tiburis conditores. 3
 Temenus, Hercules filius, Argon tenuit. 3
 Tempora ab antiquis existimata, fructibus nocua. 225. 226
 Terra, quare Opis nomine demonstrata. 122
 Terentina tribus quas gentes, & municipia haberet. 96
 Torellus Saraina Veronen. patriae suae monumenta collegit. 90
 Testimonia lapidum de Caesijs. 232
 Tribus Sabatina, quando Romae coepit numerari. 144
 Trapezus ciuitas, & fabula eius. 210
 Tribus Succusana plures Caesios habebat, Vespasiani Imp. tempore. 4
 Tribus Rom. in quibus praecipue Caesiae gentes viri erant. 5
 Tyrannorum nulla lex certa. 66

V

Veionis Deitas quae, quanta, & qualis. 61
 Veniam negare breuibus Epistolis magni amoris signum. 86
 Vespasianus tempore Claudij Imp. ex Britannis triumphalia ornamenta consecutus. 68

Veterani, & optimi militis doctores. 92
 Vmbria antiquissima, & celeberrima Italiae regio. 81
 Vmbriae nulla de regionibus Italiae iure anteferri potest. 81
 Vmbriae pars montibus munita, in signis, & ornata. 81
 Vindex vox, seu vocabulum, quomodo accipiatur. 113
 Vir litterarum, & litteratorum amator, quid facere, & operari debeat. 86
 Viri insignes Romani à Regibus, Urbibus, & locis Patroni eligebantur. 101
 Voces, quibus sculptura vititur, pulcre accommodatae. 90
 Voces, à quibus Caesiae gentis nomen derivari potest. 1
 Vrbs Roma inter necem Caesaris, & confirmatam Augusti dominationem, sine iure, sine dignitate, sine tranquillitate fuit. 56
 Vrbes, in quibus saxa, Caesiorum memoriam seruantia, exstant. 5
 Vrsarum stellae quot, & quando videantur. 209

Z

Zosimos Graece, Latine Vitalem sonat. 158



I V L I V S I A C O B O N I V S
 A D L E C T O R E M.

SI vnquam (Candide Lector) in Typographorum officinis versatus es, non te clam esse arbitror; quam faciles lapsus in typis ipsis combinandis sint, quam crebri errores, nolis velis, in libris imprimendis occurrant; quamq. omnino Lynceum esse oporteat, errata vt omnia oculis perspicias. Vnum illud tibi persuadeas; adeo imprimendi artem lubricam esse, vt ea exerceri sine casu aliquo, aut prolapsione quadam vix possit. quinetiam ita ad errandum Librarij procliues sunt, vt dum errores emendare student, in grauiores labantur. Quae nos in praesenti volumine corrigenda duximus, ea tibi auersa pagina ostendet. Vale.

ERRATA QVAE VISA SVNT.

Err.	Corr.	Err.	Corr.
8 aduentantibus.	aduentantis.	201 luctuosas	lucidas.
21 obducendarum	obducendarum.	203 Tribacum	Tribacum,
22 responderi	responderi.	206 ornamentum	ornamentum.
23 reliquebatur	relinquebatur.	208 pertinere	pertinet.
24 periculo	periculo.	ibid. vt Homero conueniens	vt Homerus conueniens.
37 vidicantur	videantur.	208 sed Crates	sed & Crates
41 pallo post	paulo post.	208 quae rei praestes	quae rei praestem
42 adqumitrando	adminitrando.	ibid. sufficere	sufficere.
49 pro annis	pro armis.	ibid. vias compertas	vias eo confertas
51 estitut	restituit.	ibid. Duo sunt Arcturi, quorum	Duo sunt Arcti, quarum
53 Aedilitatem	Aedilitatem.	209 lycaei templo	in Lycaei templo.
65 repetandis	repetendis.	ibid. Arcturus	Arctus
69 mifectioe	miseratione.	ibid. Cretica	Creticam
73 optimumum	optimum.	210 in nare	in ore
75 praefissimus	praefissimus.	210 Nigidius de Virgine Iustitiam,	Nigidius de Virgine ita refert, Iustitiam.
ibid. ab imperatis	ab imperitis.	211 quas Graeci dicunt.	quas Graeci dicunt, ⁰¹²⁵
76 exemplo	exemplo.	ibid. Afinus e contrario transeuntibus	Afinis e contrario transeuntibus.
92 Hipotamum	Hipopotamum.	212 ob Iouem promissum cepit.	ab Ioue promissum cepit.
93 Hipotamus	Hipopotamus.	213 Phereades	Pherecydes.
101 public	publice.	ibid. Alterope Taygete	Asterop-, Merope, Taygete.
105 occurrunt	occurrunt.	216 ad binos fructus	ad bonos fructus,
ibid. Cabulae	Tabulae.	217 Aglaostenes	Aglaostenes
206 summus uiris	summis uiris.	ibid. Delphinos maximos honores in mari tribuit	Delphinoq. maximos honores in mari tribuit.
221 PERTINCIS	PERTINACIS.	219 statu suo.	statu suo
223 FORTVNIAE	FORTVNIAE.	ibid. ocifum	ocifum
ibid. FORTVNAE	FORTVNAE.	220 Cetui	Ceto
124 necessitas	necessitas.	221 hydra	Hydrus
ibid. appellari	appellari.	224 occidunt	occidunt.
125 Septimus	Septimius.	In Iulij Iacobonij epistola.	
127 Praestina	Praenestina.	latronum	latronum
129 MEMORIAE.	MEMORIAE.	depromtas	depromptas
ibid. IAM GRAVI	TAM GRAVI.	peragre	peracre
ibid. absolutus	absolutus.	quod tuum est reddo,	quod tuum est, reddo.
130 poenam	ponam.	In Fontei praefatione.	
133 caerimonias	caerimonias.	Antiqua	Antiqua
139 alluc	illuc.	Ad Caput x. libri primi abundat: Item de CN. Caesio Zofimo: cuius mentio fit, ad caput xi v. lib. ii.	
154 exquoquendis	excoquendis.	Ad caput x. libri secundi. pagina 140. deest lapis, ad D. Paulli. sed iactura facta nulla est, nam Iacobonius in Appendicem retulit, & copiosius declarauit.	
155 vexerit	vixerit.		
ibid. mihi indicauit	indicauit.		
ibid. labet	habet.		
156 non Caesia Priscilla.	nam Caesia Priscilla.		
ibid. Orographiae	Orthographiae.		
158 Sorboni	Sorbani.		
ibid. incriptionem	incriptionem.		
161 Viatoria	Viatoriam.		
164 Promontario	Promontorio.		
170 Antonium illum	Antoninum illum.		
172 Vrsium	Vrsicium.		

I N I N D I C E.

A	H	H	H
anni 1526	Hierosolyma	Hierosolyma	Hierosolyma
in Annonae. iuris	Hiadum	Hiadum	Hiadum
in Apollo. sol	L	L	L
in Aquarij. celestis	in Lapides. vituntur	in Lapides. vituntur	visuntur
in Arctis. celestis	M	M	M
C	in Magistratus. aut Legatus,	in Magistratus. aut Legatus,	aut Legatos
constare. creditur	N	N	N
in Calistonis. narratio	in Nobiles. fauor	in Nobiles. fauor	fauorem
in Coronis. templa diorum.	R	R	R
D	in Ratio. gentis Caesiae conti-	in Ratio. gentis Caesiae conti-	gens Caesia continuatos
in Draconis. zbulas	nuata.	nuata.	nuata.
E	T	T	T
in Et. quomodo	in Tribus Rom. Caesiae gentes	in Tribus Rom. Caesiae gentes	Caesiae gentis

